

Det här verket har digitaliserats vid Göteborgs universitetsbibliotek.
Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.
All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.
This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



SCONDIÆ ILLUSTRATÆ
TOMUS XII.

In quo

ANALECTORUM SCONDICORUM
LIBER SECUNDUS,

Sive

APOLOGIA
HISTORIÆ SVECANÆ:

Quæ

Veterum quorundam hallucinationes
Chronographorum manifestat, & confutat; atqui
synceras reliquorum confirmat assertiones,

Simulque

Veram gentis commemorat Historiam,

ab Anno CHRISTI DCCC. usque MCDXLVIII,


operâ & studio

JOHANNIS MESSENI.



STOCKHOLMIÆ,

Typis OLAVI ENÆI, ANNO CHRISTI M.DCCIII.





ANALECTORUM SCONDICORUM

LIBER II.

Sive

APOLOGIA HISTORIÆ SVECANÆ.

Hactenus Principum gentilium, qui in Suecia Gothiaque ab illius primordio rerum sunt potiti, Historiam ventilavimus: Regum Christianorum, vel qui Reipublicæ nostræ clavum moderarunt, quando primum æternæ salutis radius his postremis mundi regionibus illuxerat, tempora, numerum, & successionem paulisper arbitremur. Atque cum tota illius cognitio, à Saxonica gentis dependeat subactione, & conversione; indè narrationis exordium deducam.

Christianissimus Pipini Francorum regis filius, Carolus, cognomento Magnus, pro singulari in Deum pietate, & religionis Christianæ propagandæ zelo, cœpit borealium regionum, & inprimis Saxoniam, densissimæ idololatriæ tenebris immersæ, seridè apud animum suum meditari conversionem, annoque salutis humanæ DCCLXXII. Saxonibus bellum infert, ultra XXXIV. annos eapropter continuatum, donec Christo, & sibi manus præbere victas, & svave salutis jugum admittere consenserunt. Itaque his ad ovile Christi congregatis, ratus magnam sibi oblatam occasionem, vicinos Boreæ populos, Suecos, Danos & Norvegos, Germaniæ continuis infestissimos excursionibus, ad fidelium perducendi quoque contubernium, omnem aliquandiu captat oportunitatem tam laudabili voto satisfaciendi.

Johannes Magnus, in principio Libri XVII. suarum Historiarum affirmat, Carolum Legatis ad Beronem Sueciæ regem missis, non solum sibi confederatum, contra Getricum Regem Daniæ, hostem communem reddidisse, sed etiam ita religionis Christianæ cupidum eadem operâ effecisse, ut ille vicissim literis & nunciis ad Imperatorem directis, verbi Divini præcones sibi postulaverit transmittendos; ac Carolum sine mora S. Heribertum in Sueciam cum fociis ablegasse, primum Ecclesiæ Lincopensis fundatorem, & Ostrogothiæ apostolum, idque circa annum DCCGXIII.

Imò cum messis copiosa, operarii autem pauci, in hac nova Domini vinea fuissent, denuò Beronem per suos Legatos ab Imperatore plures efflagitasse concionatores. Sed jam morte sublato Carolo, Legationis negotium apud filium Ludovicum, in throno successorem, deposuisse, & mox impetratum S. Ansgarium in Sueciam secum adduxisse. Pro suæ autem sententiæ fundamento, allegat Lupoldum Lubenburgensem, Libro de zelo religionis Veterum Germaniæ Principum, asserentem quod anno DCCCXVI. Ludovicus Pius, operâ S. Ansgarii, Sueones & Gothos ad veritatis agnitionem cœlestis perduxerit. Ac proinde graviter illos à veri tramite exorbitare, qui memorant anno DCCCXXII. S. Ansgarium se Haraldo Moguntiae baptizato, in Daniam remeanti, comitem adjunxisse; Rege autem ad thronum, & se ad fugestum, non admissis, indè mox in Sueciam commigrasse.

806. Verum aliud longè, quam Lupoldus & Johannes de Sueonum prima recensent conversione, suggerit antiquissima certissimaque Adami Bremensis Historia. Et quantum ad Beronem, quem Johannes Beronis filium, & Alarici nepotem, annoque Christi DCCC. Suecorum diademate perhibet insignitum attinet, syncerior Sueonum Historia, regem illo tempore in Regno nequaquam agnoscit. Imò Helmoldus, admodum pervertustus Historiæ Vandalicæ scriptor, fatetur anno DCCC. in Gothia rerum potitum Haroldum, (quem ego reor Herotum) cujus auxilio freti hoc anno Gothi, opulentissimum Pomeraniæ incolentes emporium Vinetam, contra suos concives evaserunt victores, & urbe illa solo adæquatâ, in Gotlandiam commigrantes, fundamenta civitatis prima jecerunt Visbyensis.

817. Quod deinde ad S. Heriberti attinet huc adventum, multo post annum DCCCX. vel DCCCXIII. illum contigisse oportet tempore: Nec inter Carolum & aliquem Sueciæ regem quisquam chronographorum, ut dictum, præter Johannem vel uno meminit verbo de confœderatione, & ultro citroque missa Legatione. Denique si anno DCCCXIII. & DCCCXVI. Evangelii doctores in Sueciam Gothiamque destinati fuissent, non tantum supervacanea; sed etiam frustranea consultatio fuerat Imperatoris Ludovici & Stephani IV. Papæ in Concilio Aquisgranensi anno DCCCXVII. de conversione Gothorum Sueonumque instituendâ, cujus, præter alios non paucos rerum Ecclesiasticarum scriptores, etiam ipsemet Johannes, Libro præfato solenniter meminit. Sed quod M. Laurentius Nericius, in suo putet chronico, Heribertum à S. Ansgario Ecclesiæ Lincopeni præpositum fuisse anno DCCCXLVIII. cum secundâ vice sub Olao Tretelga Suecorum rege apud Byrcenses egerat, cum attigerimus eum annum, illud ponderabimus.

Nunc autem ventilatio primæ in Sueciam profectionis Ansgarii nobis incumbit; ad quam reflectimus calamum, absolutâ de Berone & Heriberto disquisitione. Idem namque Gothus noster, plurimum à Lupoldo seductus, paulo ante asseveravit, D. Ansgarium DCCCXVI. primam fidei Christianæ propagandæ gratiâ huc gentium instituisse peregrinationem. Quod sanè paradoxo simillimum; Siquidem ex Hamburgensium Archipræsulum chronico liqueat, Divum anno DCCCLXV. Nonis Februarii vitam cum morte commutasse. Ætatis verò annum tunc egisse LXIV. juxta vetustissima regni Suecici Breviaria, & potissimum Ecclesiæ Scarenfis, ex quo ipsum postea contextum operi inferemus. Anno DCCCII. igitur cum primas hujus lucis auras Ansgarius hausisset, & anno DCCCXVI. concionatoris hic obiisse munus perhibere-

beretur trilustris duntaxat. Quæ tenera fuisset ætas, & tam arduæ & longinquæ discriminibusque plenissimæ nequaquam idonea provinciæ, ut quilibet sanæ mentis homo lubens concesserit.

Absurda quoque aliorum quorundam sententia nostratium, primam hujus sanctissimi viri, pro Christo in Sueoniam, assignantium anno DCCCXV. navigationem: Quo tempore solum quadrimus erat. Neque rectius sibi constat eorum opinio, qui S. Philippum Apostolum memorare non erubescunt, Sueonibus primò Christum annunciaffe, idola Upsaliæ demolitum, & plurimis ibidem editis miraculis, grandem accolarum multitudinem sacrâ baptismatis undâ expiasse. His vero præbuit errandi occasionem, quod Apostolum Scythis, legerint concionatum, & plerique scriptorum vetustiorum, Sueciam Scythiæ regnis meritò adnumerent; distinctionem Scythiæ, in Asiaticam, quam S. Philippus ingressus est, & Europæam, quam S. Ansgarius illo lætissimo salutis nuncio beavit, non ponderantes.

Sed jam ad calculos redeamus, supputando, nunquid annò DCCCXVI. quem censure nostra nunc attingit, morte augustissimi Imperatoris Caroli Magni funesto, vel etiam prioribus, Ebbo Archiepiscopus Rhemensis, socio Arigario, prædicationis obierit munus in aliqua regionum septentrionalium provincia, ut nonnulli perperam docuerant? Quorum profectò turpis hallucinatio paucis demonstrabitur, nempe, cum Eboni gentium conversio à Paschali I. Romano Pontifice demandata fuerit, & ille potitus sit cathedrâ DCCCXX. suo se indicio prodit hæc cespitatio historica, & copiosiori se mox proditura documento, postquam inprimis Laurentio Nericio suum patefecerim errorem, affirmanti anno DCCCXX. S. Ansgarium Danis mandata cœlestia insinuasse, & paucò post tempore Sueonibus eadem manifestasse. Nam & ætas S. Ansgarii, & baptismus Haraldis regis, & clarissima Historicorum testimonia, propediem adducenda, huic assertioni reluctantur.

Sed calculus anni DCCCXXIII. nos ad Ebbonem revocat, quo ipsum Huitfeldius in chronico Dan. Ecclesiastico, & Andreas Vellejus in scholiis Bremensi historiæ appositis, arbitrantur suæ nationi primum lucis Evangelicæ radium, tenui quadam rima commonstrasse. Atqui me tacente Huitfeldium Mag. Adamus erroris convincit Libro I. capite XIV. pag. 16. *In diebus illis scribitur quod Ebbo Remensis cum de salute gentium religionis studio ferveret, Legationem ad gentes cum Halirgario suscepit à Paschali Papa: Quam postea noster Ansgarius Divinâ opitulante gratiâ, feliciter peregit.* Verum clarius hoc ipsum Albertus Crantzius in sua Metropoli, Lib. I. c. 27. *Ebbo tum Rhemensis Archiepiscopus, cum de salute gentium religionis studio ferveret, Legationem cum Ansgario suscepit, à Paschali summo Pontifice: Sed eam solus Ansgarius Divina opitulante gratia devotus implevit, quum Ebbo rebus seculi implicitus, in Francia districtus teneretur.*

Hinc itaque triennio exacto, Haraldus Klack rex Danorum, pulsus à Regnero fratre, Ludovicum Imperatorem anno DCCCXXVI. Moguntia accessit, auxiliares contra fratrem poscens copias, quas baptismate accepto impetrat; sicut etiam S. Ansgarium monachum Corbeiensis in Gallia, annum XXV. ætatis agentem, rediens in Daniam secum adducit concionatorem. Atqui Rex non ulterius quam in Jutiam à fratre permissus, Ansgarius ad intima Danorum cum socio pervasit, incolis verbum Dei aliquot mensibus annuncians, & postea revocatus ab Imperatore, ob religionis in Dania primordium lætus remeavit.

827.

Ludovicus interim per Legatos Sueonum rogatus de concionatore quopiam illuc transmittendo, revocatum S. Ansgarium in Sueoniam ablegat anno DCCCXXVII. ubi spatio anni multis Christo sociatis, ad Corbejense regressus est cœnobium, Imperatore ipsi de negotio bellè peracto magnoperè congratulante, & sexennio post Archiepiscopum totius Nordalbingiæ regnorumque borealium Legatum illum ordinante. Et hoc quidem de prima in Daniam & Sueciam Ansgarij profectio certissimum est.

Enimverò quod anno DCCCXXVI. Rex Daniæ baptismo iustratus, secum adduxerit Ansgarium, nobis sunt testes, præter Albertum Stadenfem, Andream Vellejum, Huitfeldium, Adamus Bremensis Libro I. capite XV. Et Albertus Crantzius, Libro IV. capite X. suæ Daniæ, & Libro I. capite XIX. suæ Metropoleos. Quod autem non biennio in Dania moratus, sed aliquot duntaxat mensibus, neque, ut Huitfeldius memorat, in curia regia, sicut Legatus Imperatoris in honore summo propterea habitus, ut linguam addisceret, testantur iidem locis allegatis, & præsertim Crantzius in sua Metropoli. Imò & Huitfeldius paginâ s. suæ Historiæ Ecclesiasticæ cogitur fateri, gentis utriusque, ab Arigario biennio primum attentatam fuisse conversionem. Quomodo igitur totum illud insumpserit in sola Dania prædicationi, præcipuè cum Legatus in Sueciâ moratus fuerit anno Bircae apud regem Beronem, nemine Historicorum refragante?

Deindè quod Ansgarius, comite Withmaro, Sueciam ingressus est DCCCXXVII. non DCCCXXVI. vix probatione videtur indigere: Quippè si anno DCCCXXVI. Danus Moguntiaë aquis salutaribus ablutus, in Daniam sit regressus, & Ansgarius ad meditullium Danorum progressus, aliquot mensium spacio gentis conversioni operam navaverit, atque tandem revocatus ad Imperatorem remeaverit, profectò nullus mentis compos asseverarit, eodem anno tam longinquam ipsum in Sueciam aggredi potuisse navigationem; sed in annum sequentem dilatam.

Denique quod Bero vocabatur ille Rex seu Dux Sueonum, quem S. Ansgarius Bircae compellavit Christi nomine, nulli fuit unquam dubium scriptorum nostratium, ideoque confirmationem quampiam minimè requirit. Verum an Bero Regneri Danorum tyranni filius, & Heroti Gothorum regis ex filia nepos fuerit, ut nostri plerumque Historici confitentur, disquisitione, ut vera fatear, non facili alius relictâ, Iohannes Magni & Laurentius Nericius in dubium vocarunt.

Crantzius Libro V. capite II. suæ Sueciæ, affirmat Regnerum & filios promptissimè pertinacissimequè patriis erroribus adhæsisse. Atque hinc non video quomodo cohæreat Beronem, juxta Sueonum Breviaria, per Legatos ab Imperatore concionatores Evangelii postulasse, eosdem honorificè suscepisse, retinuisse per annum, pacificè dimisisse, & tamen fidem Christianam non amplexatum? Nisi fortè in gratiam Imperatoris Ludovici, & Haraldis regis Danici, atque Erici fratris, quibus sanguine junctus, & quorum forte literis commendatitiis S. Ansgarius instructus accesserit, tantam benevolentiam novis doctoribus exhibuerit. Quod mihi potius persuadeo, & ita Imperatorem proprio zelo, & precibus solummodò quorundam in Suecia Christianorum, motum, à Rege non invitatum, illuc S. Ansgarium expeditivisse. Idque videtur etiam Adamus sentire. Deindè cum Breviarium Scarense memoret ipsum hoc itinere à piratis supellectili & præcipuè libris spoliatum, incertum est an hac primâ vel secundâ in Sueoniam navigatione contigerit, ut infra determinandum.

Neque

Neque minor difficultas, in statuenda Regum legitima, his temporibus serie, quæ passim in historiis occurrit; quam nemo chronographorum tam perversam assignat, atque Crantzius noster, Saxonis deliria secutus. Is namque Heroto subrogat Carolum, illique per Regnorum sublato, Beronem, quem subinde scribit in Suecia mortuum, aliquandò narrat in Norvegiam à parente translatum, nonnunquam affirmat Orchades populatum, & tandem cum Osteno Sueonum principe fratrum auxilio bellatum.

Similis propemodum relationis inconstantia, de Berone invenitur apud Huitfeldium, quem in primis anno DCCCXXVI. ab Ansgario Bircæ visitatum recenset, & DCCCXXXII. ad thronum Norvegiæ promotum, fratre Erico apud Sueones succedente, & tandem in narratione, quam ad calcem hujus Tomi apponit, de Normannorum excursionione, asserit Beronem Regneri filium à quodam insigni pirata in pueritia circumvectum, & post magnam Galliæ & Italiæ cladem illatam, in Frisia defunctum. Quod anno DCCCLXVII. si verum, oportuit contigisse, cum Regino Francorum historicus, illo tempore Hatingum Norvegum, quem & Huitfeldius Ductorem Beronis fatetur, Galliæ depopulatum testetur regiones.

Sed Crantzius revivamus, qui Beroni subrogat Vitfercum fratrem, illique per Daxonis insidias cremato, tertium fratrem Ericum Ventosi pilei cognomen habentem: Quem ab Osteno casum, proxime secutum, ut eundem Ostenum, & inde Storbiornum Beronis filium, ad demum patrualem Ericum Victoriosum. Atqui tandem ipsemet hæc scribens, & Saxonis, suamque in re seria vanitatem probe cognoscens, sic fatur Lib 5. cap. 8. Sueciæ: *Storbiornus erat Biornis, pridem Suecia, inde Norvegia Regis filius, qui proximus sceptrum Suecia tenuisse legitur. Nam ea tempora apud Saxonem nostrum turbatissima sunt, multis in medio rebus omissis, & regum nominibus vix recensitis.*

Et postea indignans, Saxonem ita sicco pede transivisse Normannorum excursioniones, in hæc verba prorumpit: *Mirum autem his de rebus Saxonis nostri silentium, qui frivolos Regum amores, & monstruosas, si non mendosas pugnas executus, ista pressis labiis præterit. Sed non est ea culpa viri diligentissimi, quod per eam ætatem ut apparet, nulli annales scriberentur, perturbatisque omnibus in iis provinciis, vix Regum invicem sibi succedentium nomina teneantur; de rebus gestis nihil. Imo, mi Crantzj, est ea culpa viri invidentissimi, cui illud nimis solenne, admirandam de sua natione comminisci potentiam, bellorum gloriam, & de toto mundo victoriam, & interim verissimam aliorum populorum fortitudinem vel penitus silentio involvere, vel certè seoptice obscurare verbis, barbaros, rudes, inertes, imbelles, clarissimas etiam gentes passim in suo opere compellendo. Unde non per ignorantiam, sed dedita opera Normannorum facit nullam mentionem, ut neque prius Gothorum, licet utriusque populi in oras transmarinas excursio, ipsi luce meridiana fuerit notior; malevolentiam igitur quadam erga Sueones & Norvegos instigatus, illis tam fortia bellatorum agmina tribuere non dignatur Danus. Interim tamen Longobardorum, quos de Scania sua egressos rebatur, honorificam facit memoriam historicam.*

Verum ad seriem Regum redeamus: Ego Herotum arbitror eundem, quem Helmoldus vocat Haraldum, & anno DCCC. Vinetam Pomeranorum celeberrimum solo qui æquasset emporium, antiquissimumque Norvegiæ chronicon nominat Haugne, Gothorum solummodo

do regem, focerum Grami Sudermännorum principis, & synchronum Ingelli regis Upsalensis; cujus natales neque nostri neque alienigenæ produnt annales. Saxo autem filiam illius venustissimam à Regno in matrimonium ductam, & illos multam liquisse sobolem percenset; Quæ avo materno vitâ functo, Caroloque quodam & avunculis Regneri patris auxiliò de throno pulsâ, Gothia potitur, & deinde Suecia, velut mox dicturus. Nam præfati Noricorum annales, quibus ob vetustatem lubens adstipulor, fatentur Ingellum in sua coronatione, dolo sex regibus diversarum provinciarum exustis, sibi regna illorum subdidisse, & hoc pacto velut restaurasse monarchiam Regum Upsalensium, inter sobolem priorum regum distractam. Hinc Gram Sudermanniæ regulus suæ gratulans absentia, potentiam & insidias Ingelli formidando, cum auxiliares à focero Gothorum rege copias obtinisset, Ingellum profligat. Qui deinde fraudulentas pactus inducias, Gramum in Selia prope Stregnesiam securè morantem, silvâ clam noctu advolans, cum tota familia cremat: Parique deinceps fraude alios quinque variarum Regulos territoriorum flammis absumpsit; Ideoque XII. regum cæde præclarum in historia meruit encomium: Quamquam apud sinceros & Christianos arbitros, non laudi, sed fraudi ignominiaque hæc illi vertantur facinora.

Tantâ verò tyrannide in Gramum affinem, aliosque, motus Regnerus & filii, sicut etiam quòd Afa filia, Gudroto Scanorum regi nupta, & jam inde profuga patri adhærens, quoddam facinus in maritum & levirum perpetrasset, grande meditantur Ingello bellum. Illorum potentiam, & præsertim Ivari hominis crudelissimi perhorrescens Ingellus, nec viribus suorum satis confidens, consilio filia, illam, se & familiam, igne tectis injecto stolidè cremavit, inde memoria non gloria apud posteros relicta. Atque ita reor Beronem regno Sueciæ potitum circiter annum DCCCXX. quem post quadriennium S. Ansgarius Birca accessit. Hinc Bero in catalogo Regum Suecicorum Ingello postponendus: qui cum fratribus, Ivaro, Agnero & Vitferco parenteque per hæc tempora in Suecia & Gothia grassatus aliquandiu, donec potentiâ Olai Tretelgæ regnis cedere compelleretur. Ille namque per fatum tam miserabile Ingello parente sublato, Regnerianorum & indigenarum tyrannide paternâ offensorum timens insidias, profugit cum magna hominum multitudine in desertum Sueciæ quoddam, & illud excindens, humanæ commodum reddidit habitationi: undè per convicia ab inimicis, Olaus Tretelga vocatus est, & hæc appellatur hodiè regio Wermelandia. Saxo igitur turpissimè tempora miscet, & res gestas confundit, qui libro VII. suæ Historiæ, Olaus Wermorum regem & filiam Esam, ad tempora vocet Haquini Ring, à quo nonus in ordine est Olaus Tretelga, secundum antiquiora & veriora regni chronica, præsertim Thiodolphi Frode, qui proximo currente seculo in gratiam Haraldi pulchricomi Noricorum Monarchæ fidelissimè plus quam XXIV. illius avos de Suecorum regibus ordine non interpolato enumeravit, & ab Haldano Huitben, hujus Olai filio ad Norvegos divertit. Is Haldanus thronum Sueciæ Ingoni linquens germano, Noricâ capeffit sceptrâ, illamque apud Norvegos gloriosam Regum profapiam de se progeneravit.

Sed nunc Regneri dominium contemplemur, qui interea Esberni de proceribus Sueonum primarii filiam constuprans, effecit ut ille & filius regno exturbarentur. Eninverò Esbernus filia ignominia mo-

motus, Suecorum & Gothorum incolas tyrannide Danica plurimum alias offensos, in vindictam congregat, hortans Beronem filium, ut nisi regiis privari malit honoribus, una infurgat in vindicationem paterni sceleris. Atqui præcisè reluctantem, regno proturbat, & Olao ejusdem legitimo hæredi de Vermelandia revocato, reipubl. committit utriusque gubernaculum.

Hæc autem Sueonum rebellio, juxta calculos Huitfeldii anno DCCCXXX. occæpit, biennio post non translato, ut Dani comminiscuntur, sed fugato Berone de imperio Suecorum & Gothorum. Neque Vitserco in locum subrogato, aut Olao Tretelga coronato, circiter annum DCCCXXXIV. qui Regnerum ab occidua regni sui plâga imminentem profligat, & Vitsercum ab ortivo latere victorem placat, portionem Finlandiæ Russis conterminam permittens, & sororem filio Ingoni despondens. Neque hujusmodi regnorum violenti invasores, & perturbatores, cujusmodi Saxonis & Crantzii Sorlus, Bero, Jvarus, Agnerus, Vitsercus & Ostenus, in albo Regum legitime regnantium ullo jure collocari merentur. Nam quod Ericum Ventosum attinet, quem Saxo perperam Vitserco submittit, non Regneri filius, sed nepos fuit ex filia Ingoni Sueonum regi sociata; neque proinde hac tempestate clavum regni gubernavit, sicut postmodum erit manifestum.

Nunc S. Ansgarium accedamus, qui ex Suecia reversus, in cœnobio Corbejensi triennio conquiescit. Nec interim Sueciam invisit anno DCCCXXXII. ut Huitfeldius in Chronico affirmat Ecclesiastico; Sed illo Archiepiscopus designatus, & sequenti gratiam inaugurationis, atque DCCCXXXIV. ex pietate & munificentia Ludovici Hamburgensis diœceseos possessionem consecutus est, quemadmodum Adamus locuples & veracissimus nobis testificator, & Achilles Gassarus insignis nugator, qui anno DCCCXXXII. in sua Chronicorum Epitome, Daniæ & Sueciam opera cujusdam Humoldi à gentilitatis errore conversas fabulatur, nemine Historicorum nostratium suffragante. Nec pauca hujusmodi habet ille passim in tota sua chronologia de rebus Danicis & Sueticis, quibus confictam juxta Saxonis & Crantzii methodum apponit annorum computationem. Quod ipsum factitat Hieronymus Henninges in opere suo Genealogico, ut non satis Huitfeldii de mirari possim simplicitatem, alias plus nimium perspicacis, quod juxta Gassari somnia finem & calculos annorum Danicis regibus apposuerit.

Verum his missis, cum nostro colloquamur Ansgario, qui DCCCXXXV. apud Gregorium IV. Pontificem Romanum constitutus, diploma confirmationis impetravit, inter alia sic loquens: *Nos igitur omnem tibi Deo dignam statutam providentiam cognoscentes, instructi etiam presentia fratris filii nostri Anscharii, primi Nordalbingorum Episcopi, per manus Dragonis Episcopi Metensis consecrati, sanctum studium magnorum Imperatorum, tam presentis auctoritate quam etiam pallei datione, more prædecessorum nostrorum, roborare decrevimus, quatenus tanta auctoritate fundatus prædictus filius noster, ejusque successores, lucrands plebibus insistentes, adversus tentamenta Diaboli validiores existant, ipsum nostrum jam dictum Anscharium & successores ejus, Legatos in omnibus circumquaque gentibus, Danorum, Sueonum, Norvegorum, Færia, Gronlandorum, Helsinglandorum, Islandorum, Schricfindorum, Slavorum, nec non omnium septentrionalium & orientalium nationum, quocunque modo nominantur, delegamus; Et posito capite & pectore super corpus & confessione S. Petri Apostoli, sibi suisque successoribus, vicem nostram perpetuo retinendam, publicamque Evangelizandi tribuimus auctoritatem: Ipsamque sedem Nordalbingorum Hamenborg dicitur*

Etiam, in honore Salvatoris, ejusque intemerata genetricis Maria, consecratam, Archiepiscopalem esse decrevimus: Consecrationem vero sacerdotum, donec consecrantium numerus ex gentibus augeatur, sacra Palatina providentia interim committimus.

Comprehendit autem suo amplexu Nordalbingia, Holfatiam, Stormariam & Dithmarsiam, & quid pallium sit, cujus hic facta mentio, liquet ex meo Episcoporum Suecicorum chronico. Verum quibus verbis conferebatur candidatis hujusmodi insigne, illa Crantzius in sua Metropoli adducit Lib. 7. cap. 3.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & in honore Dei genetricis, & in honore Apostolorum Petri & Pauli, & sanctae Ecclesiae Romanae, & Domini N. Papae tradimus tibi pallium, sumptum de beatissimo corpore Petri Apostoli, ut eutaris in consecratione Sacramentorum, & corporis & sanguinis Domini, & consecratione Ecclesiarum & Chrismatis, & ordinatione Clericorum, & celebratione Synodorum, secundum Ecclesiae tuae consuetudinem, Amen.

Itaque tantis instructus rediens ex urbe S. Ansgarius, memorque sui officii, & gentis Sueticae absque Pastore & pabulo animarum salutari a suo inde digressu viventis, mox consultationem cum Ebbone Archiepiscopo Rhemensi, pridem sibi adjutore designato, hac super re habuit, uter illorum Sueones pro tempore accessurus. Atqui Ebbo vel itineris difficultate vel corporis infirmitate; vel certe negotiorum secularium occupatione praepeditus, testibus Adamo & Crantzio, lib. 1. cap. 32. Metropoli vicarium pro se dedit S. Ansgario nepotem suum, Gaudbertum, quem ambo ut verbis illorum utar, consecrantes Episcopum, Simonem vocaverunt, eum in divinae gratiae commendatum miserunt in Sueoniam, idque anno DCCC. XXXV. vel sequenti. Nam Breviarium Scarense auctum post S. Ansgarii de urbe reditum memorat Simonem huc expeditum, ubi permissione dubio procul Olai Tretelgae, illa regnantis tempestate, intermissam aliquandiu Evangelii orditur praedicationem, socio Nithardo presbytero facellano. Verum quadriennio illic exacto, Amundus rex pulsus regno, ut testatur Adamus, lib. 1. cap. 21. anno Ludovici Imperatoris ultimo, nempe DCCCXL. gravissimam movit in Christianos persecutionem, in qua Nithardus cum plurimis Christianorum in Suecia passus martyrium, Episcopo clam inde Hamburgum se subducente. Deinde toto caruit septennio Suecia Gothiaque Sacerdotis praesentia & assistentia, interim Herigario Bircensi Dynasta, viro sanctissimo, & multis clarissimo miraculis, neophytos confortante & conservante.

Præfati etiam Amundi regis Suecici meminit Adamus alio sui operis loco, affirmans quod Ingonem II. immediate, Amundus, Biorn & Olavus in throno praecessissent, idque relatione verissimam Suenonis Estritii Danorum regis (cui Adamus contemporaneus, familiarissimus, & ex cujus sermonibus non minimam de Sueonibus & Danis Norvegisque insertam libris suis portionem narrationis, ipso fatente saepius hausit) certo certius cognovisse. In hoc duntaxat hallucinari videtur Adamus, neque legitimam a Suenone inculcatam regum nostratium seriem sat fideli conservasse memoria, quando Beronem Olao Tretelgae postponit; Quandoquidem S. Ansgarius sub Berone primum Sueciam inviserit, Olao tunc temporis Wermelandiae intento instaurationi, & XXII. post annos secundum in Sueoniam regressus, sceptrum Olao summa moderante, de Wermelandia interim accito. Neque similiter quod Amundum Olao postlocet, ita percipiendum, quasi Olao vita functo regnarit immediate Amundus ante Ingonem Olai filium, quem

836

840.

quem Adamus perperam Ringonem vocat, similitudine vocabuli deceptus; Verum potius, quod nec dum Olao de Wermelandia revocato, Amundus, regum fortè superiorum filius, aut Heroti, vel aliorum flamma consumptorum dolo paterno Olai &c. vel Procerum regni unus, aut provinciæ cujusdam Regulus, regnum invaserit, quod exilio commutare per Olai compulsus adventum. Aut certè sub dominio Olai, consilio & auxilio paganorum, Olauum Christianis faventem detestantium fretus Amundus, contra regem insurrexit legitimum, ab illoque patria ejectus, in ipsum & Christianos crebris defæverit incursionibus; Siquidem Gothus noster Olauum Christianæ religionis nomine plurima fatetur passum detrimenta, & subditorum rebellionem.

Neque contentus & satiatus sanguine Christianorum in Suecia large profuso Amundus, etiam Normannorum succinctus copiis, trans mare properans, ipsum borealium Christi fidelium caput & principem S. Ansgarium aggressus, Hamburgo direpto & incenso, omnibus rebus spoliatum expellit, idque anno DCCCXL. suum fortè infortunium Christianis præsertim & illorum Antistitibus referens expensum. Hinc posteri Christo addictissimi, ipsum, perinde ac alios patriæ perturbatores & tyrannos, regum suorum agmini non dignati adnumerare. Atque hæc mea in re admodum perplexa est assertio, liberam cuique suam veritati propius accedenti permittit sententiam. Nulli tamen historiæ conscio dubium esse poterit, an Olao vivente memorata feruerit Amundi tyrannis, cum septimo abhinc anno ipsum noster Apostolus in negotio compellarit religionis.

Quocirca primum anno Christi DCCCXL Normanni de Norvegia potissimum rarmatim erumpentes, quibus Sueones & Dani plerumque arma junxerunt, (*vide Adamum 146.*) Saxoniam, Britanniam, Galliam & Italiam clade horrenda non paucis afflixerunt annis, & præcipuè Galliam, cujus tandem rex Carolus Crassus, anno DCCC-LXXXVII. Neustriam Franciæ regionem amœnissimam cis flumen Sequanum, ipsis in possessionem concedere perpetuam coactus, Normanniam deinceps ab ipsis vocatam. Cum verò neque hac ratione à regnum quiescerent populationibus Normanni, ipsis anno DCCCXC. ingenti potentia congressus Arnulphus rex, centum millia dedit internecioni, postmodum Normannis sua contentis ditione viventibus, neque tot certatim ex regnis borealibus spe rapinarum ductis ad castra illorum quovis anno convolantibus.

Atque de hoc Septentrionalium populorum excurrendi more Crantzius in principio libri II. suæ Norvegiæ; cui Normannos, ut Suecis Gothos, & Danis Longobardos refert acceptos vel potius expensos, horum paginas complens facinoribus, Sueonum, Danorum & Noricorum destitutus plerumque annalibus, sic testatur Cap. I. *Obtinuit Gallorum consuetudo, ut una omnes voce Normanni dicantur, qui ab Aquilone Gallias petiverunt. Omnis autem illa borealis natio, priusquam Christo crederet, ferocissimos aluit & emisit viros, quibus rapere, latrocinari, terra marique laudè foret, ut aliquando Lacedæmonii in præcipuis virtutibus furta numerabant. In his autem regionibus aquilonis, crebra fratrum Regum ea fuit hereditatis partitio, ut alius terrâ, alius ponto dominaretur: Piraticam enim justam deputabant militiam, eaque locupletati, inter suos erant honoratiores. Quibus etiam vates Danorum Erasmus Lærus cecinit per quam appositè lib. 2. pag. 58.*

Pradatum veniunt, vel belli jure sequuntur,

*Affliguntque adeo populos, violenter in omnes
Grassati, quos inter virtutis & usus
Experundi etiam causa, periisse feruntur.
Istius pro more & consuetudine secli,
Gloria quo bellis stabat, nihilque putabant
Esse virum, qui lecta domi velut ocia ducens,
Horruit externas in praelia sciscere gentes.*

Itaque respectu illorum temporum piratica usque eò infamis non cen-
sebatur, idque non solum arctoæ plagæ habitatoribus, sed etiam Gre-
ciæ ac Germaniæ incolis, si Thucididi & Julio Cæsari fides. Ille nam-
que paulo ante sua tempora tantum in Græcia barbariei & feritatis
testatur viguisse, ut terra marique latrocinia palam exercerentur, ef-
setque latrocinii & piraticæ professio nequaquam contumeliosa. Hic
autem: *Latrocinia*, inquit, nullam habent apud Germanos infamiam, que extra
fines cujusque civitatis sunt, eaque juventutis exercendæ, & desidia minuenda causâ
feri prædicant. Hinc etiam in veterum historiis extant passim hortato-
riæ Regum borealium orationes, ad piraticam & alia præclara seculi
facinora terrâ marique obeunda, quibus nepotum virtus in lucem pro-
traheretur. Indignus quippe præclaro filius parente, qui minus armo-
rum polleret & excelleret industriâ. Proinde ut minores de rerum ge-
starum gloria magis cum majoribus contenderent, testato vetue-
runt avi bona suis quæsita armis, ad filios vel nepotes jure hæredita-
rio devolvi. Quin ea potius cum defunctis Dominis inhumanda cen-
suerunt, qualia gladii, clypei, naves, equi, aurum & argentum, ideo-
que multi navigiis ipsis pro capulo seu urna ferali leguntur usi: alii
cum equis ac panoplia contumulati universa; Quidam sub extremum
vitæ terminum, scrinia thesauro referta, irrecuperabilibus scrobibus
aut puteis demerserunt, quod hæredes, in quibus virtus non ita con-
spicuis eluceret indiciis avita, habuerint, & si quid hujusmodi ama-
rent, suo id Marte, majorum exemplo, quærent. Quid enim ama-
bò, filio parentis eximia armatura, quâ nesciat uti? cujus insuper de-
genera virtus, reliquorum præterea bonorum dispendio mulctanda jure
fuit. Quæ nostratum consuetudo, Spartanæ quendam disciplinæ rigo-
rem videtur æmulari; ad modernos quodammodo perpetuata feros in
regnis borealibus nepotes, præsertim quoad exercendæ quotidie juven-
tutis in mavortiis præludiis & decursionibus, ut testis noster Olaus
Gothus locuples, & experientia locupletior quotidiana.

Huc calamum Normannorum perduxit eruptio; Amundo rege
Sueciæ ductore; nec immeritò, cum Adamus & Crantzius, imò & Huit-
feldius, alique non pauci Historicorum veterum, ex Norvegia, Suecia &
Dania, illa fortissima militum agmina non diffiteantur progressa, ipsaque
apud modernos celeberrima Sueones Gothosque memoria, sermone crebro
& heroicis ingeminata cantionibus, contestetur, illam militarem in exte-
ras oras expeditionem *Rlubbehären* quod prælargis & formidandis plerique
militum illorum, exceptis armis reliquis, instructi fuerint clavis & præ-
ferratis malleis, vulgo appellans; quam ante, L. vel LX. annis Hun-
norum ex Moscovia non ex Suecia facta excursio, indeque Russia in
libris veterum Hunegard, quasi curia & regio Hunnorum nuncupa-
tur, mihi que præter veterum plurimos historicorum, etiam Olaus Neri-
cius nuperorum unus, suffragatur.

Nunc

Nunc denuò ad Historiam Ecclesiasticam anni DCCCXLV. quo plerique scriptorum nostratum, etiam Ericus Upsalensis, Haraldum regem Danorum baptismi lavacro statuunt expiatum, reduxisse D. Ansgarium secum in Daniam, unde venientibus interim ex Sueonia Legatis ad Ludovicum Pium & Doctores poscentibus Evangelicos revocatum in Sueciam abiisse. Verum neque de prima neque secunda Divi ad Bircenses peregrinatione intelligi potest, cum quinquennio ante Ludovicus Pius in fata concesserit, cujus religiosissimo zelo nemo non primam gentis Sueticæ per Ansgarium refert acceptam conversionem. Deinde Ansgarius nec dum Archiepiscopali insignitus dignitate, quando Sueonibus prima salutis monita præbuit; Siquidem inde reversus, negotio probe consummato, commoratur in cœnobio pristino, & anno DCCCXXXII. Archiepiscopus salutatus, & sequenti solenniter inauguratus, sicut aliàs luculenter comprobatur. Neque etiam alteram S. Ansgarii huc navigationem hoc anno contigisse liquet, quandoquidem Simonis Episcopi relegatio, & Nitardi Presbyteri cædes anno DCCCXL. vel DCCCXLI. certo contigerit, & septennio deinceps Suecia Pastoris solatio fuerit omninò destituta. Enimverò S. Ansgarius in cœnobio Turholtensi apud Flandros, & in Ramsola toto hoc fermè sexennio latitat, furore Normannorum Holsatiam & vicinas regiones interim perfulsante. Quibus tandem nonnihil quiescentibus, vel alias invadentibus orbis partes, anno DCCCXLVI. ad Ecclesiam rediit Hamburgensem. Atque à Leone IV. in officio legationis ad conversionem gentium borealium confirmatus, & ad strenuam huic negotio navandam munitus operam, idque mense Martio, novos in Daniam concionatores, & in Sueciam S. Hartgarium Eremitam ablegat, jam septimo anno carentem Evangelii pabulo.

Anno deindè sequenti mortuo Leuderico Bremensi Episcopo, Ludovicus rex Germaniæ, miseratus cladem Ecclesiæ Hamburgensis & statum S. Ansgarii miserabilem, quique Hamburgi ob crebras Normannorum incursiones tutò habitare, & legationis suæ munus obire non posset, regni sui IX, & sedis Ansgarianæ Hamburgi XVI. vacantem Ansgario Ecclesiam Bremensem contulit, cui XII. præfuit annis, priusquam illa Hamburgensi conjungeretur anno DCCCLIX. Quamobrem his rerum incrementis plurimum in Domino exhilaratus S. Ansgarius, & in officio confortatus, profectionem decrevit ipsemet in Sueoniam, de qua M. Adamus & Albertus hoc tenore in Metropol. Lib. I. cap. 37. *Ansgarius ergo his rebus ex voto completis, dum adhuc pro gente Sueonum esuaret, quæ jugum videbatur abjecisse, cum Gaudberto, alias Simone Episcopo consilium habuit, qui eorum laudabile pro Christo subiret exitium. Simon periculum sponte declinans, cum tamen in eam provinciam Episcopus ordinatus diceretur, sanctum potius ut iret rogavit Ansgarium, prætendens ejus auctoritatem, doctrinam & sanctitatem longe supra suas vires esse. Extemplo athleta intrepidus, Erici regis commendatitias rogavit Epistolas, & a litore Danie solvens in Sueoniam navigavit, ubi tunc Olavus in ea gente rex apud Bircam generale sui populi habuit placitum, quem præveniente misericordia Dei ita placatum invenit, ut ex ejus imperio & populi consensu, & jactu sortis, & idoli responso, Ecclesia ibidem fabricaretur, & baptismi suscipiendi licentia passim omnibus sit concessa: His ex sententia compositis, ipse Sueonum Ecclesiam Erimberto commendavit presbytero, & rediit. His præterea non incommodè Adamus noster adjungit sequentia. Lib. I. cap. 26. Et ni fallat opinio, prophetia Ezechelis de Gog & Magog convenientissimè hic impleta videtur; Emittam, inquit Dominus, ignem in Magog, & in his qui habitant in insulis confidenter*

denter. Atqui hæc & talia de Gothis, qui Romam ceperant, dicta arbitrantur. Nos verò considerantes Gothorum populos in Sueonia regnantes, omnemque hanc regionem passim in insulas dispersitam esse, prophetiam eis opinamur posse commodari.

Jam verò quod anno DCCCXLVIII. hæc Ansgarii postrema in Sueciam contigerit navigatio, liquet sole clarius ex authoribus citatis, velut etiam Haraldo Huitfeldio in Danorum chronico. Neque literis commendatus Erici Pueri Daniæ regis, ut quidam sentiunt, utpote qui regno potitus Danico LVI. Sed Erici fratris Haraldii Klack, qui Moguntia cum germano baptismum suscepit DCCCXXVI. & Danorum imperium fratre defuncto capessit juxta Huitfeldium anno DCCCXLVI.

Verum quod dicat Adamus tum Ericum quoque à S. Ansgario conversum, ita capiendum quod ille fraterque Haraldus, acceptæ religionis fecerint naufragium, unde Ericum sibi antea familiarissimum, non difficulter Ecclesiæ reconciliat, & omnia pro voto impetrat ab Erico, qui fidem potius simulavit, ob barbarorum popularium minas, quam antea abjuravit. Hinc proinde constat ipsum Olao Tretelgæ synchronum & amicissimum, cui D. Ansgarium commendavit, non fortè alieno à religione Christiana, vel certè Simonis & Nitardi prædicatione jam Christo credenti. Nec aliàs credibile tantum ponderis Dani apud Olaum habere potuisse commendationem.

Verum ut hæc dubia, sic manifestum hac S. Ansgarii visitatione, Olaum Christo nomen dedisse; quod nostri non inficiantur historici, quorum quidam ipsum fidei desertorem statuunt, contra certissima vetustatis testimonia, deinceps adducenda.

Nunc, quoniam fortis in textu citato facta mentio, modum sortiendi Saxonum & Sueonum ex eodem paucis inducam huic operi, Lib. I. cap. 5. *Auspicia & sortes, inquit, quam maxime observabant. Sortium consuetudo simplex erat, virgam frugifera arbori decisam, in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos, super candidam vestem temerè ac fortuito spargebant; mox si publica fuit consultatio, sacerdos populi, si privata, ipse pater familias precatus Deos, cælumque suspiciens ter, singulos iulit, sublatis secundum impressam ante notam interpretatus est: Si prohibuerunt, nulla de eadem re ipso die consultatio, si permisum est eventuum adhuc fides exigebatur &c. Quem morem & superstitionem adhuc Slavi & Sueones ritu paganico servare videntur. Imò non tuis solum Adame, temporibus, qui hujusmodi circa annum MLXXII. literis mandaveras, sed etiam hodiè nostri in quibusdam provinciis, parem ferme sortiendi retinent & subinde usurpant consuetudinem, aliquantulum immutatam, & ritibus Christianis accommodatam.*

Per oraculi verò responsum, intelligit Adamus, ex quo Crantzius & nos illum mutuavimus contextum, statuam Othini Upsaliæ collocatam, per quam non dæmon solum responsa dabat, sed ipsamet, teste Saxone, in templi crepidine collocata, mirâ artis industriâ, ad humanos tactus fuerat vocalis. Quamquam ego potius illud non arti humanæ ludibrium, per quam id vix fieri posset, ast fraudibus satanæ quoque adscripserim, qui à gentilibus in negotio religionis Christianæ interrogatus, Dei omnipotentis mandato, in sui perniciem cogitur benignum fundere oraculum. Mox idcirco Ecclesia Bircae fabricata, quam primam toto Sueonum Gothorumque imperio arbitror fuisse; antea siquidem in ædibus Herigarii, quas in Ecclesiam convertit, quando illic primum S. Ansgarius sub Berone licentiam prædicandi obtinuit, clam usque hanc tempestatem Christiani pios celebrabant identidem conventus, nunc palam in Ecclesia eosdem frequentant ingenti animorum gaudio, auscultantes

tantes Erimbertum, à sancto ipsis relictum Ansgario abituriente presbyterum, quem alium à S. Remberto fuisse sentio; cum hic mandato Archiepiscopi, curam Ripensis sustinuerit in Dania Ecclesiæ.

Denique quod in Breviariis nostris, & quibusdam chronicis, dicitur Ansgarius literas rei probè in Sueonia gestæ, & sanctitatis exhibitæ testes secum retulisse; id arbitror factum hac vice, non prima, neque ad Ludovicum; sed Ericum, à quo ille regi commendatu Sueonum, datas; Nihil tamen certe in re incerta determinans, quæ incertitudo inde profluit, quod nostri confundant scriptores; primum & postremum S. Ansgarii in has oras adventum. Ideoque cum Scarense narret Breviarium ipsum in Sueciam navigantem, tota supellectili & in ea XL. libris à piratis exutum, reor factum prima huc navigatione: Quandoquidem secunda regiis munitum literis, Dani, Norvegi vel Suecipitata non ausi spoliare. Inter utramque verò huc peregrinationem D. Ansgarii XX. fluxerunt anni, nec tertiam huc instituit, per vicarios fideles inchoatam hic excolens vineam. Atque illo de vivis sublato per LXX. annos nemo præter solum Rembertum, Ansgarii in cathedra & virtute successorem, propter crebras piratarum excursiones huc ausus commeari, donec anno DCCCCXXXVI. sanctus Unno zelo Dei plenus in Sueoniam penetravit, ut infra dicendum; suntque LXXXIX. anni inter postquam D. Ansgarii in Sueonia visitationem & hanc S. Unnonis accessionem, quo tempore gravissimis persecutionum agitata procellis Ecclesia Suecana, non tamen prorsus obruta.

Neque duntaxat Bircae Ecclesia, cum ultimo Divus illic moraretur, fabricata, sed etiam Lincopiæ in Ostrogothia, secundum Laurentium Nericium, qui illuc ab Archipræsule, quendam Heribertum; Nitardi presbyteri martyriò alias in Suecia sublato germanum affirmat ex sententia veterum quorundam fragmentorum, fuisse destinatum.

Olaus fati absumpto Danorum rege Erico Barn, & infante solum filio Lodneknut, Danico sceptro præsidente, animò revolvens quanta Regnerus & filii suis antea regnis detrimenta intulissent Danorum auxilio, armis Daniam aggressus, Sueciæ subdit, illam quinquennio gubernans, teste Erpoldo Lindenbruchio in chronico Danorum pag. 22. *D. mi aguntur hæc; inquit; moritur Ericus Barn, relicto unico filio Lodneknut adhuc infante, que audiens Olaus rex Sueciæ, cum grandi exercitu Daniam invasit; vicit & occupavit; quinquennio possedit; factus rex LXVII.* Huic adstipulatur Adamus, dicens lib. 1. cap. 40. *De historia Danorum, nihil amplius aut scriptum vidi; aut ab alio visum comperi, ea forte causa reor, quod Normanni, vel Dani, tunc ex Arnolpho rege gravibus praeliis usque ad internecionem deleti sunt, bellum cælitus administratum: siquidem centum millibus paganorum prostratis, vix unus de Christianis cecidisse repertus est. Et ita restincta est persecutio Normannorum, Domino vindicante sanguinem servorum suorum, qui jam per annos LXX. fusus est. Narrat hæc historia Francorum. Audivi autem ex ore veracissimi regis Danorum Sueni, cum nobis stipulantibus atavos suos numeraret: Post cladem, inquit, Normannicam, Heiligonem regnasse comperi, virum populis amabilem, propter justitiam & sanctitatem suam; cui successit Olaph, qui veniens à Sueonia, regnum obtinuit Danicum vi & armis; habuitque filios multos; ex quibus Ehnob & Giurd regnum post patris sui obitum tenuerunt. Et paucis inde paginis. cap. 44. Hactenus etiam Francorum tendit historia; que deinceps dicturi sumus; in aliis atque aliis non mendacibus reperimus libris. Aliqua vero recitavit nobis clarissimus Danorum rex ita rogantibus: Post Olaph, inquit, Sueonum principem, qui regnavit in Dania cum filiis suis, ponitur in locum ejus Sigerich; cumque parvo regnasset tempore; Haregon filius Sueni, à Normannia veniens; eum regno privavit; Tanti autem Reges;*

imò tyranni Danorum, utrum simul aliqui regnaverint, an alter post alterum brevi tempore vixerit, incertum est.

Itaque pro nostro instituto liquet imprimis ex Lindenbruchio, Olauum throno Daniæ potitum, illic quinquennio regnasse: atqui non immediatè post Ericum; cum Adamus se veraci Suenonis Estritii relatu fateatur cognovisse, post stragem Normannorum, anno DCCCXC. auspiciis Arnulphi regis procuratam, Helgonem Danis imperasse, illique Olauum in throno successisse; Atque post ejus mortem filios Ehnob & Giurd, seu, juxta Saxonem, & Lindenbruchium, Ennignupum & Sivar-dum, & tandem Ericum, non Victoriosum, ut Adamus sentit, aut Ventosum, Olai ex filio Ingone & Regneri ex filia nepotem, de quo postea, ad regios in Dania honores sublimatos.

Neque refert quod Andreas Vellejus in Scholiis Adamo appositis, & Huitfeldius Tomo chronicorum Danicorum primo, in communi regum suorum catalogo hos non adnotatos reges, eo mundi labentis ævo regnantes, obtendant, cum ipsimet sæpius de numero & ordine suorum principum incertissimo querantur, subinde plures, aliquando pauciores plerisque requirentes. Hinc ipsorum seriem variat Saxo reliquorum antesignanus, Crantzius, Lindenbruchius, & ipse Huitfeldius, qui se Adami sententiam pluris quam reliquorum facere testatur. Idipsum & ego lubens, quod ille suam compegerit historiam, ex verissimis & antiquissimis Archivi Bremensis & Hamburgensis Ecclesiarum fragmentis, ibi à concionatoribus regnorum borealium post suam hinc reversionem, relictis ad posterorum memoriam, vel etiam hinc copiose ad Archiepiscopum perscriptis, de statu qua rerum Ecclesiasticarum qua etiam politicarum, quæ Adamus, velut matricularius, ut semet vocat, vel potius Archiepiscopi & diœceses Cancellarius & historicus sedulo volvens habuit sibi notissima. Sicut etiam quod magnam suæ relationis partem, ex relatione præfati Suenonis Estritii cognoverit, qui XII. in Suecia sub rege Jacobo meruit annis stipendia, & hinc illius & Norvegiæ Daniæque antiquitates, quorum throno potitus, habuit perspectissimas, & alias fuerit literarum peritissimus, ut testimoniis Adami comprobatur quàm plurimis, quorum duo tantum adducam. pag. 59.

Narravit nobis, inquit, diu memorandus rex Danorum Suen, qui omnes barbarorum res gestas, ac si scripta essent, in memoria tenuit. &c. Sed manifestius Libro IV. cap. XVI. Christianitas ab illo Suen rege in exteris nationes longe lateque diffusa; & cum multis virtutibus polletet, sola agrotavit luxuria. Novissimis Archiepiscopi temporibus, cum ego Bremam veni, audita ejusdem regis sapientia, mox ad eum venire disposui, à quo & clementissime susceptus ut omnes, magnam hujus libelli materiam ex ejus ore collegi; Erat enim scientia literarum eruditus & liberalissimus in extraneos &c. cujus veraci & dulcissima narratione didici &c.

Capessit autem hic Sueno, nepos ex filia Suen-Ottonis & filius Ulphonis Ducis Suetici, Daniæ diadema anno MXLVIII. quo renituit ad MLXXIV. quando mortis succubuit imperio, plurimos illosque clarissimos linquens throno Danorum filios, quorum posteritas etiam hodiè rerum illic potitur. Sed Adamus noster anno MLXVII. collegio Bremensium adscriptus Canonicorum, cœpit historiam suam concinnare, illamque ab exordio gentis Saxonicæ ad annum Christi MLXXII. continuat, gesta potissimum Archipræsulum Hamburgensium pro conversione gentium borealium per se & vicarios patrata recensens, & per occasionem illorum populorum historiam una intexens, quæ prima & præcipua, ceterisque ut antiquior, ita certior rerum nostrarum commentatio.

Quocirca nemo fani iudicii, in dubium illa revocat, quæ de nostro Olao & filiis testatum posteris reliquit. Nam quod Ehnob attinet, idem est quem Saxo Ennignupum compellat, qui non tutor Erici minoris, ut ipse perperam suo fingit more, sed absolutus clavi Danici moderator extitit, una cum Olao parente, vel secundum paterna fata; in quo etiam Adamus ipsemet non usque eo certus esse videtur. Deinde Giurd, idem est quem Lindenbruchius Sivardum appellat; Non tamen nepos, verum filius Olai: Facileque ab homine peregrino & linguæ ignaro, ut etiam vitio amanuensium, pro Sivard vel Siurd veterum exemplaribus Giurd obrepere & irrepere potuisse. Post quorum in Dania gubernationem, Ericus jure materno illam capeffit, & dum ille, patruus avus paternus, & Helgo Danis per vices dominantur, adolevit Lodneknut Erici filius, (quem Adamus nominum priorum non sat memor, malè Hardeknut nuncupat) ab his in Norvegiam pulsus. Unde tandem digressus postliminio in Daniam, Ericum Ventosum in Sueoniam secedere coëgit, de quo alias, nunc ad avum regrediamur, quem ex his & supra citatis testimoniis, certissime constat ab anno DCCCXLVIII. ultra DCCCXC, nunc Sueciæ, nunc Daniæ, nunc utriusque dominatum, & ita cum filiis trium regnorum borealium tenuisse imperium. Siquidem Haldanus primogenitus in Norvegia penes avum maternum educatus, illi vita functo subrogatus in regimine, gloriosam solio Norico transmisit propaginem, illic gloriose dominantem ad tempora Margaretae Danorum reginæ.

Atqui cum filio Haldano accessit Vermelandia regno Norvegiæ: Quæ postea sub Olao Girstadio atnepote ad dominium rediit Suecorum, quemadmodum hæc chronicon Norvegiæ copiosius: Sicut etiam de obitu Olai Tretelgæ plenius quam Sueonum Historia. Quippe summa in regno annonæ exorta caritate, culpam gentiles in Olaum rejiciunt, Diis sacrificare nolentem; Ideoque turmatim confluentes flammæ regiis ædibus injiciunt, & illum cum familia in favillas redigunt. Neque tamen hoc in Vermelandia factum, ut falso historia Norica perhibet, sed in Suecia Upsaliæ, ubi rex Othino factus holocaustum, pro fructuum ubertate impetranda: Ut neque in Vermelandia continuo moratus, verum inde vocatus, Sueciæ & Daniæ potenter dominatus est.

Hinc autem liquet Olaum in religione Christiana mansisse constantem, ita ut pro illius confessione mortem per incendium oppetere non dubitaverit. Turpiter igitur illi nostratium hallucinantur, qui ipsum apostatam proclamant, & senio multo confectum morte naturali sublatum. Quæ verò circa calculos annorum ab anno DCCCXLVIII. usque hunc dubia videntur, paucis adnotabo.

Quidam anno DCCCLX. statuunt in suis historiis, primam Normannorum falsò egressionem, cum multò veracior testis Adamus, asserens LXX. annis ipsos orbem maritimum variis cladibus afflixisse, idèò DCCCXC. virtute regis Arnolphi centum millia ipsorum inter necioni data. Unde liquet circa DCCCXXX. ipsos primum egressos, Suecis & Danis. commilitonibus. Atque tot his ex boreæ regionibus olim populorum factas excursiones, causa potissima, vel alias insinuavi, quod sæpe copiosam post se reliquerint sobolem reges, & cum singulis liberis pro dominandi libidine non sufficere visa sit patria, alii horum domi regnum paternum susceperunt administrandum, alii classè atque comœatu instructi, maris imperium ex usu & comodo suo sibi vendicarunt

dicarunt gubernandum. Neque etiam dubium est, ipsos hujus plagæ septentrionalis incolas, bellis continuis assuetos, & quasi innutritos, cum domi pace multa maximè crescerent, nec quo Marte clarent, haberent, foris gloriæ & nominis illustrandi materiam bello atque armis quævisisse. Nonnunquam quoque ob inopiam natalis soli, teste Adamo, contentiones domesticas, & minuendæ gratia multitudinis inde prorumpentes;

Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Ac præcipue quidem Cimbri ex Jutia, & Normanni de Norvegia, propter terræ sunt egressi sterilitatem, cum ita noster Adamus de Cimbra loquatur pag. 131. *Latitudo Jutland secus Egdoram diffusior est, inde verò paulatim contrahitur, ad formam lingvæ in eum angulum qui Vendila dicitur, ubi Jutland finem habet. Ibi brevissimus in Normanniam transitus est: Ager ibi sterilis, præter loca flumini propinqua, omnia ferè deserta videntur; Terra salsuginis & vastæ solitudinis. Porro cum omnes tractus Germaniæ, profundis borreant saltibus, sola est Jutland cæteris horridior, quæ in terra surgitur propter inopiam fructuum; in mari vero propter infestationem piratarum: Vix invenitur culta in aliquibus locis, vix humana habitationi oportuna.*

Noricorum similiter penuriam hoc tenore paginis sequentibus manifestat pag. 146. *Normannia propter asperitatem montium, sive propter frigus intemperatum, sterilissima est omnium regionum, solis apta pecoribus, indeque fortissimos educat milites, qui nulla frugum luxuria molliti, sæpius impugnant alios, quam ipsi molestentur ab aliquo. Sine invidia cum proximis habitant Sueonibus, quamvis à Danis æque pauperibus non impune tentantur aliquando. Itaque rei familiaris inopia coacti totum mundum circueunt, & piraticis raptibus amplissimam terrarum facultatem reportant domum, penuriam suæ regionis tali modo sustinentes. Post susceptam verò Christianitatem, melioribus imbuti scholis didicerunt jam pacem & veritatem diligere, paupertate suâ contenti esse; Imo quæ hæditarant collecta spargere, non ut prius conspersa colligere.*

Sed jam porro in dubietatam ventilationem progrediamur, considerando quam veritati conformiter scribat Arngrimus Jonæ in sua Crymogæa, Islandiam anno DCCCLXIV. à quodam Gardaro Suivari peritissimo navigandi investigatam, omni destitutam colono, quem primum post multos accepit annos DCCCLXXIV. Ingulph duce; Ac interim ab inventore dictam Gardersholm, cum alias Snælandia diceretur. At profecto Danorum oraculum Saxo, ad bellum illud inclytum Haquini Ring Sueonum potentissimi regis, cum Haraldo Danorum rege seculis gestum superioribus, memorat etiam ex Tylenibus, per quos intelligit Islandos, plurimos confluisse. Deinde sequenti seculo, nimirum anno DCCCXXXIV. Ludovicus Augustus Islandiæ conversionem S. Ansgario commisit. Quomodo igitur cultoribus anno DCCCLXIV. destituta? Fatetur autem Arngrimus Saxonem nomine Tylenium Islandos intelligere, à quorum etiam historiis non pauca Danorum chronico mutuata se fatetur inseruisse. Sed utrum Islandia sit Tyle, de qua veteres tam historici quam poëtæ crebram faciunt memoriam, determinat Arngrimus Islandus, ad quem volo remissum lectorem hujus rei cognoscendæ cupidum.

Pergo in nostris, ab anno DCCCXLVIII. denuo repetitis, quando S. Ansgarius Hamburgum remeans, Ecclesiam Bircensem commendavit Erimberto, qui est ille Heribertus, de quo alias nobis dubium fuit, nunc testimonio antiquitatis conspicuum. Nam Bircâ Lincopiam deinceps translatus, illam fundavit Ecclesiam & Episcopam cujus ille primus Antistes, & quintus Sueciæ Gothiæque Episcopus, post fidei illic plantationem, vel apostolus, ita ut Ansgarius sit primus, alter Gaudbertus seu Simon, tertius Nitardus, quartus Arigarius Eremita, & quin-

quintus Heribertus, ab Ansgario una in Sueciam adductus anno DCCCXLVIII. frater præfati Nitardi martyris, volens fraternis inhærere vestigiis, & ipse mortem religionis amore in Suecia oppetere; & dubio procul, singulari quadam pietate, diligentia & fidelitate. Proinde summam meorum demiror Ostrogothorum ingratitude, quod nullam hujus sanctissimi præfulis in suis faciant libris mentionem, vel per quam obscuram, qui ut in cœlis, sic in fastis nostris, ob immortale in Gothiam salutis beneficium, gloriam & memoriam promerisset. Verum quod à meis popularibus, qui circa primam horam hanc sunt vineam ingressi prætermisam, ego quoque Gothus circa postremam hujus vindemiæ cultor factus, pro ingenii modulo in historia Gothorum Ecclesiastica compensare conabor.

Verum à discipulo ad magistrum redeamus S. Ansgarium, cujus postimam huc velificationem, quidam vitæ Ansgarianæ minus gnari, assignant anno DCCCLVIII. confundentes librariorum errore hunc cum superiore, quo certissimus S. Ansgarii secundus in Sueciam contigit adventus, non DCCCLVIII. Sequenti verò, scilicet DCCCLIX. unio Hamburgensis & Bremensis facta Ecclesiarum, post quam anno quinto de vita migravit D. Ansgarius, III. Nonas Februarii, anno DCCCLXV. ætatis LXIV. sedis XXXIV. æterna perfruens beatitudine in omnem ævitatem &c.

Et successorem cathedræ relinquens Rembertum, virum sanctissimum, qui frequenter ultro citroque in Sueoniam navigat illis XXIV. annis, quibus vitæ & Legati Archipræfulisque munere fungebatur, neophytos confortando, cathecumenos docendo, & gentiles ad veritatis æternæ agnitionem hortando, plurimis etiam miraculis illic & in via sermonem confirmando, de quibus alibi copiosius. Neque ullus in Sueoniam proficisci ausus Doctorum per illos LXX. annos, qui obitum S. Ansgarii & B. Unnonis Bircam adventum intercesserunt, propter gravissimam in Christianos persecutionem, præter solum Rembertum. Quo proinde DCCCLXXXVIII. carnis mortalitate exuto, annis XLVIII. Suecia Gothiaque caruit animarum pastoribus, ab infernalibus lupis miserrime interim dilaniata.

Nam plerique Sueonum patriæ superstitioni cupientes mordicus adhærere, crebro contra regem Olaum insurgunt, illorum communiter auspicio & consilio, auxilioque, quorum parentes vel cognatos Ingellus flammis absumpsisset, religionem prætendentes & regionem intelligentes, ut tandem Olaus simili quo pater alios & seipsum perdidit, perierit incendio. Sic luunt plerumque filii infantes, & expiant delicta parentum, juxta illud: *Luget adhuc soboles, quod commiserunt parentes.*

Reliquorum verò antesignanus erat ille Amundus dudum regno pulsus, & illi tamen inhians filius vel nepos alicujus de regibus illis XII. quos Ingellus vita & regnis spoliavit, aut certò Heroti. Ac proinde anno DCCCLXXV. post varias terra marique jactationes, in Britannia conjunctus avunculis Regneri filiis, regem Alfredum in Mercia conatur oppugnare, testibus Vigornienſe & Huitfeldio, ibique sceleratam & impiam reor ipsum effluisse animam.

Sed revertamur ad neglectos præcedentium annorum calculos, quibus nonnihil subductis, inveniemus opinionem quorundam asserentium, DCCCLXXXIX. vel sequenti, Ecclesiam Wexionæ fundatam, quæ ita manifesto exposita mendacio, ut vix ullam requirat confutationem. Siquidem nemo, qui vel per transennam legit historias Scandia-

nas inficiabitur, a S. Sigfrido Eboracensi præfule, sub Olao Skotkoning in Suecia, Edelredo in Anglia, Suenone in Dania, & Olao sancto in Norvegia multo post tempore dominantibus, huc ingresso fabricatam Wexionensem Ecclesiam & fundatum Episcopatum, ut inferius monstrandum.

Nec minus subinde faciunt veritatis naufragium chronographi Danorum, à quo nec immunis illorum primarius Huitfeldius, qui volens sui collegæ Saxonis corrigere lapsum, asserentis Frotonem Canuti filium, Legatis ad Agapetum Pontificem, multo post sedentem, expeditis, postulasse concionatores in Daniam, affirmat ab Adriano IV. petitos. Quod sanè plus falsitatis habet, cum velit hoc factum DCCCXCVI. & Adrianus IV. M. CLV. cathedræ præfuderit Romanæ. Atqui forte Adrianum III. intelligit, & tamen non effugiet errorem: Quandoquidem ille uno duntaxat fedit anno, & ipsi DCCCXCII. Stephanus V. substitutus, quem annus DCCCXCVI. agnovit Pontificem. Deindè Huitfeldius alibi memorat Frothonem hunc decennio sceptrum Daniae moderatum usque DCCCCXI. & hoc in calce chronici Ecclesiastici, ac propterea illo potitus DCCCCII. Quomodo igitur DCCCXCVI. poposcit Apostolos ab Hadriano III. DCCCXCI. sedente Romæ? Denique antere-ditum ex urbe Legatorum, vel concionatorum inde, testatur Frotonem ab Unnone Archiepiscopo Bremensium aquis lustratum (salutaribus, mox vitæ usura privatum esse. Verum mi Huitfeldi quomodo & ista cohærent, cum antea dixeris Frotonem DCCCXI. naturæ debitum persolvissè, & certò constet certius Unnonem anno DCCCCXVII. Hamburgensem conscendissè cathedram, & Legationis munus ad gentium conversionem suscepissè, neque huic negotio se prius ingessissè? Sub incudem proinde Huitfeldius, propter hujusmodi aliaque plurima menda, de quibus itentidem in progressu operis lectorem admonebo, à fidelissimo quopiam vulcano revocandus, alias de Historia Danorum optimè meritis, cuius non tam destinatæ voluntati, quam occupationum pondere dum officio Cancellarii fungeretur, adscribendum.

925.

Pervenimus itaque ad tempora religiosissimi viri S. Unnonis, qui Daniam ingressus, postquam Henricus Imperator anno DCCCCXXV. armis compulisset Gormonem tyrannum, ad permittendum illic Christianis locum, ingentem hominum frequentiam ad Evangelii cognitionem pertraxit, inter quos & filium Haraldum, piissimæ matris Thyrae Anglæ multum cooperante.

935.

Quamquam Huitfeldius, aliquoties in suo chronico Haraldum asseveret à Poppone anno DCCCCXLVIII. cum filio Suen-Ottone & conjugè albo Christianorum inscriptum: Subinde verò hoc gratiæ cœlestis ab Unnone scribit Haraldo dudum antea collatum. Quam litem anno DCCCCXLVIII. decidemus, interim priori sententiæ tanquam veraciori adhærendo, quam M. Adamus & Albertus Crantzius infallibiles in hoc testes negotio sequuntur, nisi quod ille Haraldum quidem prædicatione Unnonis dogma Christianum fuisse amplexatum, non tamen baptismate lustratum. Sed fieri potest quod illud postmodum ab Unnone perceptit, quod Crantzius clarissimis verbis in sua fatetur Metropoli deinceps inferendis. Nec credibile virum Christianæ religionis studiosissimum, tam diu baptismi gratia carere voluisse, nec matrem religiosissimam, aut Archiepiscopum zelocissimum id permisissè. Qui tandem anno DCCCCXXXV. literis sine dubio Haraldus commendatus regi Sueciæ, illuc capessit peregrinationem, de qua noster Adamus lib. I. cap. 50.

Dein-

Deinde vestigia, inquit, secutus magni predicatoris Ansgarii, mare Balticum navigans, gravi labore venit ad Bircam, quò jam post obitum S. Ansgarii annis LXX. nemo Doctor ausus est pertingere, præter solum, ut legimus, Rembertum, ita persecutio nostros obtinuit. Birca est oppidum Gothorum in medio Sueoniæ positum, non longè ab eo templo, quod celeberrimum Sueones habent in cultu Deorum, Upsala dicto. In quo loco sinus quidam ejus freti quod Balticum vel barbaricum dicitur, in boream vergens, portum facit barbaris gentibus, quæ ad hoc mare diffusa habitant, optabilem; sed valde periculosum incautis & ignavis ejusmodi locorum. Bircani enim piratarum excursionibus, quorum ibi magna copia est, sæpius impugnati, cum vi & armis nequeunt resistere, callida hostes aggrediuntur arte decipere. Qui sinum maris impacati, per centum & amplius stadia, latentium molibus saxorum obstruentes, periculosum æquè suis ac prædonibus iter meandi fecerunt. Ad quam stationem quæ tutissima est, in maritimis Sueoniæ regionibus, solent Danorum, Normannorum, Slavorum atque Semborum naves, aliique Scythiæ populi, pro diversis commerciorum necessitatibus solenniter convenire. In eo portu confessor Domini egressus, insolita populos cœpit appellare legatione. Quippe Sueones & Gothi, vel ita si melius dicantur, Normanni, propter barbaricæ excursionis tempora qua paucis annis multi reges cruento dominati sunt imperio, Christianæ religionis penitus obliti, haud facile poterant ad fidem persuaderi. Accipimus autem à sepedicto rege Danorum Suein, tunc apud Sueones imperitasse quendam Ring cum filiis Erich & Emund, ipsumque Ring ante se habuisse, Amund, Biorn & Olaph, de quibus in gestis legitur S. Ansgarii, aliosque quorum non occurrunt vocabula. Et credibile est athletam Dei Unni, eosdem reges quamvis non crediderint, adisse, eorumque licentia verbum Dei per Sueoniam prædicasse. Sicut enim inutile est æta non credentium scrutari, ita impium arbitramur eorum præterire salutem, qui primum crediderunt, & per quos crediderunt. Sueones igitur & Gothi à S. Ansgario primum in fide plantati, iterumque relapsi ad paganismum, à sancto Patre Unni sunt rebotati &c. Perfecto autem legationis suæ ministerio, cum tandem redire disponderet, Evangelista Dei apud Bircam agritudine correptus, ibidem fessi corporis tabernaculum deposuit: Anima verò cum multo animarum triumpho stipata, cælestis patriæ capitulum semper letatura conscendit. Tunc discipuli Pontificis exequias ejus cum fletu & gaudio procurantes, cætera quidem membra sepelierunt in eodem oppido Birca, solum caput Bremam reportantes, quod decenti condiderunt honore in Ecclesia S. Petri coram altari. Obiit autem, peracto boni certaminis cursu in Scythia, ut scribitur anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXVI. Indictione IX. circa medium Septembrem.

936.

Hinc constat, velut etiam ex superioribus Adami testimoniis, Bircam hac tempestate Regiam Sueonum urbem fuisse, ubi S. Ansgarius Beronem & Olaum, & nunc Unno Ingonem reges Sueciæ accesserunt. Imò totius septentrionis emporium celeberrimum, & frequentissimum potentissimumque, utpotè quod juxta sententiam Jacobi Zigleri in sua Schondia, XIV. hominum millia in campum producere poterat olim contra hostium agmina. Ideoque Albertus Bremensis Archiepiscopus, ipsum velut metropolim statuit vicinarum gentium, teste Adamo. pag. 139. Illic Getæ, Daci, Sarmatæ, Neutri, Alani, Geloni, & Trogloditæ. Quorum errori condolens noster Metropolitanus, statuit Bircam illis gentibus metropolim, quæ in medio Sueoniæ posita, contra civitatem Slavorum opposita, respicit Juminem, paribusque spatiis omnes illius ponti amplectitur oras. In qua civitate primum ex nostris ordinavit Hiltinum abbatem, quem ipse Johannem appellavit.

Unde cum Birca tantæ celebritatis & æstimationis fuerit, & tam manifesta in historiis depingatur adumbratione, non satis Andrea Vellei imprudentiam mirari possum, qui suis huius paginæ glossis adpositis affirmat, plerosque scriptorum dubios ubinam locorum olim fuerit sita, quibusdam ubi nunc Ienecopia, aliis quo Holmia solo constructa, asserentibus

rentibus quondam floruisse; Sed ipse tandem in Olandia, ubi arx hodie Borchölmensis, vel certè ubi in Ostrogothia Stecheburgensis, visuntur, arbitratur fundatam. Nam ut in nostra scripsimus Pentaprotopoli, vix ullus in tota Sueonia reperitur, ignarus ubi regionum & locorum viguerit olim Birca, non solum quotidiano edoctus sermone; ast etiam luculentissimis emporii rudibus, quæ per Melerum quotidie navigantes, non sine admiratione contemplantur. Verum quando illa solo æquata, ex nostris non satis liquet analibus. Verisimile tamen plerisque videtur sub Olao Skotkonung, dum S. Olaus mortem paternam vindicaturus, numerosa classe Meleri popularetur accolas, Bircam quoque funditus prostravisse. Siquidem postmodum in chronicis nulla ipsius fiat memoria, nisi quod Adamus testetur sub Stenchillo rege Adalvardum juniorem tam utbis visendæ, quam tumuli S. Unnonis investigandi gratia illuc accessisse, & vestigia quidem urbis vidisse, ast sepulchri nulla indicia conspexisse. Itaque ab occasu civitatis, cœpit Sigtonia caput proferre, ubi Adalvardus quoque Stenchillum regem convenit, & inde Scara urbs Gothorum inclarescere cœpit, & tandem Stocholmia palmam obtinuit & hodie obtinet, de quibus in Pentaprotopoli copiosius.

Deinde patet ex hac Adami pagina Ingonem, quem ipse perperam Ringonem vocat, hoc anno DCCCCXXXVI. in Sueonia, diadema conspicuum extitisse, & filium regni consortem habuisse Ericum, quem posteri nomine Ventosi pilei compellarunt; & nepotem ex hoc filio Emundum, velut ipsemet paginis se corrigens sequentibus fatetur, synchronum Haraldo Blatand, ut infra dicendum. De Amundo autem, Biorn & Olaph, quorum hic meminit, aliàs nostram protulimus sententiam, ipsos iusto collocantes ordine, velut antecessores & majores Ingonis, neque plura nunc historia vel memoria de ipsis suggerit calamo exarandum: Ut etiam paucissima de Ingone, qui Glai Tretelgæ filius, & proximus regni hæres ac successor, frater Haldani Norvegiæ regis, & gener Regneri Danorum tyranni, qui non hanc attigit tempestatem, ut Gothus insinuare videtur, cum DCCCLXV. in Anglia serpentibus expositus ab Hella devorandus, mirabili & horribili tyrannidem expiaverit interitu. Nec tamen inficior, Ingonem cum leviris Regneri filiis, hac ætate orbem piratica divexantibus, pacem inire potuisse: Imo & filium Ericum ipsis non socero pridem antea defuncto, comilitonem dedisse, qui non solum militari instructus excellenter peritia, sed etiam magico imbutus ad stuporem artificio, potissimum auxilii impendit partæ ab avunculis creberrimæ victoriæ. Interea pater Ingo pacem domesticam otiumque pertæsus, Moschovitas crebris litora Sueonum incursionibus infestantes, grandi illuc perducto exercitu; Ac tandem circiter annum DCCCCXL. vitam morte commutavit, in gentilitatis errore, an Christi amore dubium apud chronographos. Quod verò circiter illud mundi labentis spatium obierit Ingo, manifestum ex bello quod filius Ericus cum Storbiorno Beronis filio suo gesserit amitino. Nam parente superstite & Gothis Sueonibusque dominante, in Danorum throno Ericus avo & patruis successit, quemadmodum antea suffragio Adami liquidò probavimus, & demum ex Normannia Lodnecanuto Erici filio redeunte, armis pulsus secessit in Sueciam, illius regale solium adiens secundum fata paterna.

Sed Storbiornn amitino regni portionem non minimam sibi vendicante, illum Ericus regno expulit, ad Haraldum sororium de auxiliariis copiis adversus Ericum implorandis confugit, quam hac ratione histo-

hitoriam Crantzius ex Saxone commemorat. lib. V. suæ Sueciæ: Nam Storbiorinus & Ericus fratruales, ubi vires invicem sibi opposuere, magnis se conatibus exhausere. Sed tum cessit Storbiorinus, victor Ericus illum regno deturbavit. Ille concessit in Daniam ad Haraldum, quem ut arctiori sibi affinitatis vinculo devinciret, germanam illi desponsit sororem in conjugem. Erat is Haraldus qui ad tempora primi Ottonis pervenit, cujus mater Thira, Angliæ regis filia longissimum illum jecit aggerem, qui hodie quoque cernitur, à mari ad mare porrectum. Pudebat tadebatque optimam faminam, Saxones, quoties vellet, in Jutiam irrupere, ideo claustris voluit cobibere &c. Non est id passus Otto filius, qui expeditionem renovavit in Jutiam, congressus Haraldus, quod in Saxonia nostra atque Dania diximus, nunc ob eam tantum rationem commemoramus, ut quæ tempora fuerint quæ nunc scribimus, innotescat. Haraldus ergò Dania rex à Storbiorino leviro, Sueciæ regem imploratus aderat, jam copius comparatis, ingressus mare pervenit Hallandiam: ibi accepto nuncio, quod Otto Romanorum rex, ingenti agmine Jutiam invadisset, repedare compellitur, ut proprios magis fines tutaretur quam alienos invaderet. Ita desertus Storbiorinus armis auxiliariis, nec sui potens æmulum regno pellere, quibuscunque conditionibus, pacem à rege accipiens, regni præfectura donatus quievit. In hoc tamen graviter hallucinantur Crantzius & Saxo, quod Ericum Storbiorini patruelem vocent, sicut & Ericus Upsalensis, avunculum appellans, cum clarissimum quod Storbiorinus Berone genitus, & Ericus sorore Beronis, forte Olava nuncupata, & hinc error, prognatus sit.

Neque minus scriptores præfati à tramite veritatis exorbitant, & illos secuti Johannes Gothus, Laurentius & Olaus Nericii, quando hanc controversiam cum Storbiorino tribuant Erico Victoriolo, hujus Erici filio. Quippe Haraldus rex Daniæ Erico Ventoso & Emundo filio regnantibus in Suecia Gothiaque, & Ericus Victoriosus Suenotoni filio Haraldus fuerunt contemporanei. Deinde non fuit Ericus Victoriosus Storbiorini patruelem, vel consobrinus, aut ametinus, quorum tamen unum illi Erico, juxta citatos historicos competere oportet, qui Storbiorinum profligavit, aut erat amitini Erici Ventosi filius. Denique Adamus & Crantzius, ut post paululum subjungemus, Emundum Erici filium post hanc controversiam in Suecia, quando Haraldus in Dania, testantur dominatum atque Haraldus insuper confederatum, cui frater Ericus Victoriosus in throno successit.

His itaque de causis Erico parenti non filio profligationem Storbiorini acceptam referendam, temporum sic calculo poscente. In postima tamen concessit Ericus Ventosus fata, & filius Emundus atque Ericus Victoriosus illi subrogati in republ. Suecana & Dana ante annum DCCCCLXXXVI. quando Episcopus Poppo in Dania permissione Erici salutis dogmata sparit, sicut ex sequentibus perspicue patefcet. Utrum verò Ericus ab Osteno cæsus, velut Saxo & Crantzius narrant, incertum, cum nostrates nullam hujus faciant cædis mentionem, ut neque mortem Erici ab avunculis vindicatam, prout iidem quoque asserunt, quorum commenta sequi non consultum. Ericus denique Ventosi cognomen inde sortitus, quod litatis Diis & præstigiis quibusdam usurpatis, ad motum pilei, pro voto obtineret protinus auram navigaturus.

Sed jam controversia Sueones & Danos inter de Popponis Episcopi in Daniam adventu calamum ad Ottonis & Haraldus revocat congressum. Siquidem Saxo post reditum Suen-Ottonis ab exilio Scotico, affirmet Popponem miraculo per ferri candentis gestationem, Danos convertisse. Adamus verò Bremensis Sueonum propugnans sententiam, sub Erico Victoriolo in Suecia & Dania dominante, contestatur.

Huit-

Huitfeldius autem per dubia vagatur, nunc huic, nunc illi adhæret, quod illubens suum deferat oraculum Saxonem, & nolit tantum honoris tribuere Sueonibus, quod per eorum regem Dania subjugata, illoque regnante religionem Christianam amplexata. Ideoque ut veritas magis innotescat, res ab exordio pertexenda. Crantzius Libro tertio suæ Metropoleos, capite XVI. asserit Haraldum Blatand sub Unnone baptismi gratiam acceptasse, quam ab Imperatore victus Ottone uxori Gunilæ & filio Suenoni lubens indulgit. Sed Adamus testatur Haraldum unâ sacro ablutum lavacro hoc textu, cap. 49.

Postquam verò Confessor Dei pervenit ad Danos, ubi tunc crudelissimus Gurm regnavit, illum quidem pro ingenua flectere nequivit sevitia, filium autem regis Haroldum sua est prædicatione lucratus: Quem ita Christo fidelem perfecit, ut Christianitatem, quam pater ejus semper odio habuit, ipse haberi publicè permitteret, quamvis nondum baptismi sacramentum percepit. Et aliquot post paginas, de bello ab Ottone Danis illato propter cæsos Imperatoris legatos Slesvici, & victoria Cæsaris, Haraldique & filii baptismi lib. 2. cap. 2. Ad quam, inquit, rem ulciscendam rex cum exercitu invasit Daniam, transgressus terminos Danorum apud Slasvich olim positos, ferro & igne totam vastavit regionem usque ad mare novissimum quod à Danis Normannos dirimit, & usque in præsentem diem à victoria regis Ottonis dicitur. Cui regredienti Haroldus apud Slasvich occurrens bellum intulit, in quo utrisque viriliter certantibus Saxones victoria potiti, Danos ad naves cedere coegerunt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haraldus Ottoni subicitur, regnumque ab eo suscipiens, Christianitatem in Dania recipere spondit. Nec morâ ipse Haraldus cum uxore sua Gunild & filio parvulo baptizatus est, quem filium rex noster à sacro fonte susceptum, Suen-Otto vocavit &c. Servantur in Bremensi Ecclesia præcepta regis, que signant R. Ottonem in sua ditione regnum Danicum tenuisse, adeo ut etiam ille Episcopatus donaverit.

Quocirca hinc manifestum non ab Unnone, neque illius tempore Haraldum Christianis sacris initiatum, quod ipsum etiam Crantzius tandem his victus rationibus, in suæ Daniae Libro IV. cap. XIX. Neque hic aut ille vel unico verbo insinuant operâ Popponis baptismi tunc ceremonias administratas, aut illo Haraldum miraculo candentis laminæ provocatum credidisse. Saxo autem pro consueta mentiendi libidine, contra totius antiquitatis sententiam, Danis suis victoriam de Ottone admirandam affingit, nulla Haraldî & uxoris filiive lustratorum facta memoria, velut antea quoque Geterico triumphum insignem de Carolo Magno pari attribuit impudentia, ut gentem suam nè Augustorum quidem armis superabilem, vel unquam fuisse subjectam posteris fidem faciat, ast omnium nationum victricem & Dominam, quas imbelles barbaras, serviles & tributarias passim in suo opusculo non erubescit appellare, etiam populos clarissimos, prout ex libro superiori conspicuum, ubi & Crantzius contra Saxonem hujus nomine gravibus verbis insurgentem produxi. Quamobrem dum Huitfeldius Saxonis sui commenta sequitur, miris historiam suam involvit antilogiis. Victus tamen certissimo scriptorum veterum testimonio, non audet Ottonem victoria defraudare, variat interim sententiam de persona, nunc Ottonem I. statuens nunc II. Atqui primus indubiè fuit, cum imperio potitus DCCCCXXXVI. & illud cum sepulchro permutat DCCCCLXXIV; successorem relinquens filium Ottonem II. Haraldî autem cum Augusto accidit congressus DCCCXLVIII. non DCCCCLXXIV. post obitum Ottonis I. sub ejus filio, ut Lambertus Schafnaburgensis perperam in sua perhibet Epitome chronicorum. Quippe Suenotto Haraldî filius à citatis authoribus

ribus dicitur in pueritia lustratus, qui parenti anno DCCCCLXXX. impiè trucidato successit, & ita sexto post baptismum anno regnare cœpisset, quod veritati & ætati non consentaneum, ut neque historiis certioribus & temporum calculationibus.

Deindè asseverat Huitfeldius Popponem cum Imperatore destinatum à Benedicto III. Romanorum Antistite. Verum Benedictus III. superiori seculo circiter annum DCCCLX. per biennium Romæ sedit, & Benedictus IV. eidem præfuit cathedræ, anno DCCCCVI. ut neutri, multò minus Benedicto II. Popponis expeditio possit imputari; Imò neque Benedicto V. vel VI. siquidem hic anno DCCCCLXIX. ille DCCCCLXI. illa fulserint dignitate, & Haraldus DCCCXLVIII. sacro fonte lavatus. Ac sanè lubens ex te Huitfeldi cognoscerem, quo authore contendis tantopere Popponem Haraldo & Suenoni baptismum impertivisse? Non Saxone, apud quem summum hac de re silentium, qui post reversionem Suenonis Popponem inducit thaumaturgum, & à te in hoc etiam confutatur, dum asseris Popponem DCCCCLXXXIII. fatis absumptum, & Suenonem DCCCXCIII. ab exilio revocatum, & in Scotia Christianæ professioni & agnitioni restitutum. Non Adamo nostro, qui Popponem ab Ottone III. ad Ericum Victoriosum Sueciæ & Daniæ monarcham expeditum ingenue fatetur, & miraculo insigni patrato coram rege & populo Danorum ad fidei Christianæ professionem traduxisse, Adalago Ecclesiam moderante Hamburgensem. Qui etiam non Arhusiensis aut Slesvicensis Ecclesiæ facit Popponem Antistitem, & in cathedra successorem habuisse quendam Esiconem, postquam eodem quo Unvannus Archiepiscopus, nimirum MXXIX. de vita migrasset. Dic proinde amabo Huitfeldi, quo folio in historia Bremensi deprehenderis Popponem anno DCCCCLXXXIII. naturæ debitum persolvissè, ad quam toties provocas, cum ego tam lynceus non sim, ut illud viderim, licet sapiuscule non dormitante oculo vel ingenio illam volutarim? Forte alicui tu exemplari hoc inseruisti, ut popularis tuus Andreas Velieus ex capite XLIV. Libri II. quatuor integros versus ex Bremensi Historia in sua editione per summam impudentiam expunxit, quod Popponis mortem anno MXXIX. testarentur accidisse. Neque video quamobrem vos per tanta maleficia memorati viri sancti obscuretis annos, nisi quod ægerrimè feratis subrege Suecorum vobis dominante illud accidisse.

Eadem quoque de causa scholion quoddam Bremensi chronico apposito antiquissimum Dani corruerunt, pro anno DCCCCLXXXVI. DCCCCLXVI. adscribendo, quod illo anno manifeste constaret, ut infra copiosius probandum, Ericum Dania potitum, & à Poppone Christo conciliatum. Imò cum historia Episcoporum Slesvicensium Popponi annum DCCCCLXXXVI. assignet, mirum in modum se Huitfeldius torquet, ut illud aliquo pacto in dubium vocet apud lectores incautos, licet quibusdam versibus Hieronymus Cyprius Canonicus Slesvicensis, illic non Arhusiæ Præsulem fuisse contestetur. Tandem verò Huitfeldius tot rationibus videns se errori alligatum, & neque Crantzius suis favere partibus, sed Adamo ubique adstipulari, velut certissimo antiquissimoque scriptori, in calce sui chronici Ecclesiastici ubi de Præsulibus agit Arhusensibus, liberam permittit Lectori in hac sententiam. Ideoque non tam pervicacis ac impudentis ingenii censendus atque Vellejus, qui non solum præfatos versiculos ex Bremensibus, expunxit annalibus, sed etiam librum integrum, de situ & moribus

ribus regionum & populorum borealium ab Adamo conscriptum de opere exturbavit, in vitia Danorum nonnihil invehentem, & laudes Suecorum Noricorumque concinentem. Hac fide prodeunt prisca scriptores ex Danicis officinis!

Verum de his satis & copiosius quam decreveram, nunc ad Ericum Ventosum reversus, comperio ex Adamo & Crantzio, Libro III. suæ Metropoleos, capite XXXVIII, Emundum ejus filium & fratrem Victorioli, annum prope DCCCCLXXV. reipub. Suecanæ clavo affedisse, cum ita loquatur Adamus pag. 50. *Emund filius Erici tunc in Sueonia regnavit, is Haraldo confederatus, Christianis eò venientibus placabilis fuit.* Et eundem prorsus verborum contextum habet Crantzius, hinc eum mutuatus. Proinde quandoquidem Haraldus Danorum rex anno DCCCC-LXXX. fatorum violentia & filii tyrannide sublatus, cui fuerat Emundus confederatus, consequens est illum ante tempus memoratum in Suecia dominatum, imò & postmodum. Is siquidem est Emundus, qui fraude Suenonis Haraldo succedentis seductus, in maximum regni Suecici detrimentum, Scaniam, Hallandiam & Blechingiam, iniquissimo limite posito, secrevit; unde cognomento dictus Slemma, quasi provinciarum dilapidator & proditor, regnoque exturbatus, pœnam suæ temeritatis luit extorris. Neque verum quod armis regiones illas recuperare admissus, vel in bello contra Suenonem, multò minus Canutum filium commissò succubuerit, aut superatus ab Ulphone Sprakieleg fororio Canuti in Sueciam cum verecundia remeaverit; Quæ tamen Historici nostri & Danici hunc Emundum Slemma cum Amundo anoso seu vili appellato, dudum post in repub. nostra dominium tenente, turpiter comminiscuntur.

Enimverò præter Adamum & Crantzius, idipsum copiose testatur quoddam antiquissimum hujus limitaneæ designationis, quod passim in Danicis & Sueticis chronicis, legisteriisque ut vocant, circumfertur fragmentum; Nimirum quod Emundo in Suecia, & Suenone cognomen ex barba possidente bifurcata, in Dania, regnantibus, XII. ex utroque regno viri prudentes designati, qui VI. lapides inter Hallandiam, Blechingiam, & Smalandiam Vestrogothiamque limitaneos defixerint, sextum inter Blechingiam & Moringiam, non Norvegiam, ut Gothus noster calumniatur, collocantes. Ac in eadem inter loca limitanea nominatur Dana Holmen, inque hac insula olim trium regnorum borealium monarchas conventum & colloquium solitos celebrare. Ideoque hodiè illic tria de lapide polito regum pausæ accommodata conspici memorantur sedilia, regnorum insignibus illustrata & distincta. Cum verò reges ab invicem digrediebantur, refert præfatum fragmentum, quantum honoris Upsalensi regi Danus & Norvegus exhibuere, & quidem hoc tenore. *Dana insula tribus dissectis portionibus: unius quidem rex Upsalensis; alterius rex Daniae, & reliquæ possessor rex Norvegiae. Illic verò cum horum regum agebatur conventus, freno Upsaliae regis annus, aut stapedi Norvegus dexteram apposuerunt reprimendis & continendis.* Idque factum juxta legem ab Othino latam, regi Upsalensi primas omnium borealium regum, teste chronico Norvegiæ, tribuentem; & hoc quidem propter summum Upsaliae Deorum cultum, regni Suecici & Gothici antiquitatem, ex quo Dani & Norvegoriundi, fecunditatem, opulentiam & potentiam, de quo noster Adamus pag. 140. *Sueonia regio est fertilissima, ager frugibus & melle opimus, extra quod pecorum factu omnibus antefertur, oportunitas sylvarum fluminumque magna, ubique peregrinis mercibus omnis regio*

regio plena. Nullis itaque egere dicas Sueones opibus, excepta quam nos diligimus sive potius adoramus, superbia &c. Populi Sueonum multi sunt, viribus & armis egregii, præterea tam in equis quam in navibus juxta optimi bellatores. Unde etiam sua potentia cæteras aquilonis gentes confringere videntur; Reges habent ex genere antiquos &c.

Hæc ille quingentis ab hinc annis de Sueonum & Gothorum natione posteris liquit testimonia & encomia, ad confusionem quorundam Danorum maligne fragmentum inductum pervertentium, stapedis curam regi Sueonum, quando illic Danus equum ascensurus, tribuendo, in præjudicium totius antiquitatis, & ad calcem legum Sielandicarum, typis excusarum, atq; in Historia Danorum rythmica, illud figmentum non fragmentum, sine verecundia collocando. Quanquam non solum historiæ Danicæ & Sueticæ admodum præcæ, sed etiam Legum Vestrogothicarum codex, antiquissimis Gothorum literis & sermone conscriptus multis ante seculis, & fideliter in archivo regni asservatus, mendacii apertissimi adversarios convincat, mala fide ut alias demonstratum, regnorum antiquitates communiter publicantes. Proinde non hoc vetustatis fragmentum loco fabulæ censendum, ut Gothus, antiquitatis hujus ignarus contendit. Nec ipsius rationes quidquam detrimenti nostræ inferent sententiæ, Emundum Suenotoni, non Canuto filio vel nepoti synchronum statuenti. Ut neque Danis firmiter in Scaniam, Hallandiam & Blechingiam jus inde accrescit, quod bini Sueonum reges Emundus & Magnus III. sine ordinum assensu, contra proprium fidelitatis regiæ juramentum, contra leges & pacta conventa, ipsamque æquitatem Danorum fraude circumventi, illas per summam imprudentiam Gothorum limite præsciderint. Siquidem non quid & quantum dominii quis possideat, sed quo jure ab æquis quærat censuribus. Ideoque Ericus Emundo, & Albertus Magno subrogati expulsis, quod antecessores injuste regno subduxerunt, hoc illi juste repetiverunt, & hodie posteris jure meritissimo repetunt. Nam Ericus quidem Victoriosus tam stolido fratris permotus facinore, non quod Haraldus Storbjorno Sueoniam impugnantem auxilium tulisset, ut Saxo & ejus Achates Crantzius confingunt, Germanum & Danum utroque regno, quemadmodum mox comprobandum, præcipites exturbavit.

Ac sequenti seculorum præcursu toto in hodiernam usque tempestatem, erant illæ ditiones Sueonibus & Danis velut pomum æridos, multis hominum millibus eas propter interea utrinque corripientibus, dum Sueci ablatum reposcerent, & Dani alienum nullo jure defenderent; Ideoque vanus hac de re Michaelii Cimbrici in suo poemate triumphus, & spes inanis pag. 165. & 455.

Expleto fidei & pietatis munere, certos
Regnorum fines animo est complexus, Amundo
Principe Suecorum, cujus semorvit ab orbe
Hoc nostro partes perducto limite, ne qua
Venturos inter succrescat rixa nepotes,
Finitum, & ignoti ceu nomine limitis &c.

Quo Danos Suecia lucro
Moverit? an caca rerum spe ducta futurum
Id putat ut Gotthis accedat Scania? Limes

*Regnorum medio sit fixus in aquore, qua se
Objiciunt minimis gemina trajectibus arces,
Oppositasque videt Sielandia fertilis urbes?
Hæc equidem veteris sunt mundi somnia.*

Verum in suo Dramate Margaritico receptui canit, saniori perpendens judicio cladem hinc suis frequenter illatam, immensasque viduarum, pupillorum & orphanorum lacrimas emerfisse, atque pacem suadens, quam nostrates non amplexuri cum regnorum suorum dispendio. Inquit autem pag. 187.

*Scania materies semper fuit una, manebit
Materies semper bellique & cadis, ab isto
Posteritas rapiet tristes sibi fomite pugnas;
Hæc direpta ferent Scanensia prædia Dani,
Suecia nec fuso quod partum est sanguine linquet:
Hinc igitur populis suaderem fœdera. Quid si
Scania Margræta cadat? ubi pondere magno
Venerit, ac justo depensa pecunia lance,
Militiæ præcium, longoque salaria bello?
Respice quantum homini dederint tibi fata; recordor
Auditum, Sueones amplissima rura tueri,
Sceptraque sub boream porrectis tendere regnis. &c.
Longè equidem tua regna ferunt, tua magna potestas.*

Bellè profecto ratiocinarius ac licitaris Erasme, optima pacis utrinque adminicula suggeris, nimirum solutionem à tuis argenti quod Sueones pro Hallandia, Scania & Blechingia olim numerarunt, & insuper sumptuum bellicorum refusionem: Hoc sympatriotis persuade, & eris mihi magnus Apollo, vel potius sequester pacis egregius. Ego autem interim ad Emundum reversus, comperio ipsum circiter annum DCCCC-LXXXVI. regnis per suam excidisse stoliditatem, neque in tenera ætate, ut somniat noster Ericus, volens Emundum & Amundum vilem confundere, sed proveciori, cum vixerit tempore avi Ingonis, & juxta Adamum, regni aliquam gubernarit portionem. Cujus infortunium ea propter dignum commiseratione, quod Christianis in Sueoniam ventitantibus existens placabilis, prout idem fatetur, magnam conversionis suæ ad fidem Christianam spem præbuerit, vel fortè amplexus jam erat, illam, quæ dubio procul in toto regno plurimum his fraternis armis turbata, vel certè omnino exturbata, & prostrata. Siquidem Ericus victor patriis erroribus fuerit addictissimus, à quibus in Dania per S. Popponem revocatus, in eosdem tandem relapsus sit.

950. Nunc verò à rerum consideratione, ad temporum digrediamur speculationem aliquandiu intermissam, ab illis revocati, qui anno DCCCCCL. vel DCCCCCLIV. vel DCCCCCLV. aut saltem DCCCCCLVI. vel DCCCC-LXXX. S. Sigfridum in Sueoniam ex Anglia fabulantur penetrasse. Nam unanimes Historiarum consensus est, nemine reluctante, sub regimine Olai Scotkonung S. Sigfridum esse Sueciam ingressum, qui memoratis annis nec dum in lucem editus, prout ex sequentibus evadet perspicuum paginis. Imò neque Ericus pater scepro adhuc Suecico potitus, quod fra-
tre

tre proscripto capeffit circa annum DCCCCLXXXVI. Prius tamen aliquam regni ditionem possedit, quam de sententia quorundam annalium DCCCCLXXVI. accepit gubernandam.

Neque minus certant quidam opinionum monstris de S. Popponis primo in Daniam adventu, quibusdam anno DCCCCLX. aliis DCCCCLXVI. nonnullis DCCCXCIII. vel DCCCCLXXIV. magna confidentia assēverantibus, quibus partim præcedentibus, partim sequentibus arbitror satisfactum paginis, ut hoc supervacaneum loco illa denuo memori inculcare lectori. Hos etiam inter est Huitfeldius, qui præterea occasione qualibet oportune vel importune arrepta, nostris iniquus esse nequaquam prætermittit. Is namque, ut aliis hic supersedeam, comperiens ex Adami relatione, Othincarum Ripensis Ecclesiæ Antistitem, intra annos DCCCCLXXX. & DCCCCLXXXVI. Suenottonis declinando tyrannidem, mandato Adeldagi Bremensis Archiepiscopi in Sueoniam secessisse, & illic aliquandiu pro suo erga fidei Christianæ propagationem zelo, gentium conversioni per doctrinam & crebra miracula instituisse, seniorisque vocabulo appellatum, mox concludit ipsum Sueciæ primarium fuisse præfulem, cum senior apud quosdam pro Episcopo usurpetur auctoritas. Quamquam ipsum non præteriverit, ad distinctionem Junioris Othincari dictum esse seniore, qui non paucis juniorem, utpote à Canuto juvenem studiorum gratia in Angliam expeditum, præcesserit annis.

Est verò Othincarus, quasi charus Othino Deorum potissimo. Atqui præfules memorati postea virtutum exigentibus meritis, vero Deo cœli terræque conditori sunt facti charissimi, ut Deochari jure fuerint appellandi; & plus honori Sueonibus quam dedecori fuisset, si Senior principem inter illorum Apostolos gradum obtinisset. Neque illud Huitfeldio exprobrassem; verum cum ipso cæcutiat in meridie, suorum primatem ad illam mundi ætatem in Sueones adnitens falso prorogare, silentio impudentiam involvere nequeo. Idem similiter asserit, regem Sueciæ quendam, anno DCCCCLXXXV. à Bernhardo Angliæ Episcopo sacrosancto baptismi fonte tinctum, Jacobi nomen accepisse, & Canutum Suenonis filium S. Sigfridum Suecis destinasse, quæ duo veritati prorsus contraria, & postmodum infra loco confutanda commodiore: nunc chartam & tempus quibusdam Arngrimi Jonæ confingendis impendendo antilogiis.

Ille namque anno DCCCCLXXXII. cuidam Erico Ruffo primam Gronlandiæ tribuit inventionem, & coloniarum illuc translationem, licet anno DCCCXXXIV. illa fuerit populosissima, prout Ludovici Pii diploma S. Ansgario datum, sicut & bulla Gregorii IV. Antistitis Romani, super legatione ad gentium concessa conversionem, liquido testantur. Quocirca quæ Arngrimus de Islandiæ & Gronlandiæ primis inventoribus, excultoribus & concionatoribus habet, quantum ad incertum anni calculum hinc erroris convincuntur.

Velut etiam illi chronographi, qui Ericum Victoriosum anno DCCCCLXXXII. thronum sepulchro referunt mutasse, inde potissimum falsitatis arguuntur, quod DCCCCLXXXII. pro DCCCXCII. suis fastis inscripserint non tam sua quam veterum librariorum incuria, de qua propediem acturus. Sed quantum illos attinet historicos, qui DCCCCLXXXIV. vel DCCCCLXXXV. Suenottonis primos exulantis & Erici Victoriosi in Dania regnantis statuunt annos, partim antea cum de Poppone tractavimus, partim in historia Erici ad veriore temporis semitam traducemus, & nunc historiæ telam pertexere, vel illustrare aggrediemur.

Ericus, præmortui filius Erici Ventosi & frater Emundi, à crebris victoriis, teste Saxone, nomen fortitus; & cum Curetes, Pruffi Estones, aliquique populi contermini, piratica Danorum crebra exasperati, classeque versus Daniam instructissima se vindicaturi velificantes, tempestate in litus Gothicum propelluntur, ratique Gothos Danorum in excursionibus commilitones, illos depopulantur. Ideoque non minus frequentem Ericus extemplo classem comparatam in abeuntes expedit, quæ insigni de hostibus parva victoria, ditiones illorum amplissimas Suecorum imperio subjugavit. Verum quod Gothus à Saxone & Crantzio in hunc inscius allectus errorem, victoriam quoque de Storbiorno huic tribuat Erico, id non ipsi sed præfatis vilis scriptoribus vertendum, & de parente, ut superius luculenter probatum est, interpretandum, qui Haraldo regi Danorum & Ottoni I. fuit synchronus, & hic Suenoni & Ottoni III. Romanorum Augusto cævus, ut sequentia docebunt monumenta. Deinde verò Ericus fortunæ & martis successibus elatus, & Suenoni Dano fratris sui (forte occisus à Dano Emundus.) in limitum injusta designatione abuso simplicitate & imprudentia plurimum indignatus, armis mulctandum & regni provincias statuit quantocius recuperandas.

Et hæc quidem vera belli causa Ericum & Suenonem intergesti, non quod Haraldus Storbiorno contra Erici parentem tulerit auxilia, quam Saxo & Crantzius, illorumque sequaces ad nauseam usque ingeminant. Proinde miror Huitfeldium, in historia Suenonis asserentem se in nullo hæcenus historico dissentionis utrinque ansam, veram aut verisimilem deprehendere potuisse; sicut etiam quod eadem pagina Erici Victoriosi & filii Olai celeberrimas contra Suenonem victorias, immo & Olai Tretelgæ horum proavi triumphum gloriosum à Danis reportatum subactis turpiter confundat. Quanquam Adami scriptoris certissimi testimonio, videat passim manifestæ falsitatis se convinci, sequutus in hoc Andream Velleium, qui in suis ad Adamum scholiis, vel potius foliis putidis, omnibus se diris ferme devovet, quod in nullo legerit chronographo Ericum Daniæ dominatum; etiamsi Adamus, quem præ manibus habuit, & Crantzius, imò & numen Danorum Saxo ad ravim ipsi hoc inculcent. Sed Vellejus nè tamen victus præbeat veritati dexteram, & hanc Sueonibus victoriam annuat, librorum culpâ illum in Saxonem affirmat errorem irrepisse, quem ille censoria virgula arrepta corrigit. Unde liquet quam ille homofrontis habuerit modicum, qui textui vetustissimis Historicis conformi, & aliâs oraculorum instar habito, propter solam in Sueones invidiam erroris maculam non erubescit aspergere; Atque ita stoico, vel potius stolido quodam supercilio Authores mutilat, corrigit, truncat, erroris arguit, violatæ majestatis Danicæ reos agit, per fas nefasque & capillos in suam pertrahit sententiam, ad nationis suæ celebrandam excellentiam. Atqui Andrea, si horum exiguam ducis rationem, saltem majestatem Suenonis Estritii regis Danici potentissimi, & antiquitatum peritissimi de avo materno hæc ingenuè Adamo narrantem vereare, & non dedigneris auscultare. pag. 54. & 56.

Tunc, inquit, potentissimus Sueonum rex Hericus, collecto innumerabili scut arena maris exercitu, Daniam invadit, & occurrit ei Suein à Deo derelictus, frustra sperans in idolis suis. Sed cum utrinque bello navali (sic enim gens illa confugere solet) omnes copiæ Danorum essent obruta, Hericus rex victor Daniam obtinuit. Suein ergò depulsus à regno, dignam factis suis à Deo zelote recepit mercedem.

ceam. Et hæc junior nobis in avo suo Suein recitavit contigisse justo Dei judicio, quoniam illum dereliquit, quem pater ejus bonum habuit defensorem &c. Quem tandem, miseratus infortunii rex Scotorum benigne suscepit, eumque per bis septem annos quibus exulavit, secum detinuit, usque ad mortem Herici. Hæc parricide avi pericula Suein rex nobis attonitis exposuit.

Incidit autem hæc singularis Sueonum de Danis victoria, anno DCCCCLXXXVI. non DCCCCLXXXIV, prout Chytræus in tabula genealogica regum Danicorum confidenter asseverat, à magni nominis apud Danos viro sibi communicata, velut folium aliquod Sibyllinum. Et insuper Huitfeldius scholio marginali, contextum anni DCCCCLXXXVI. corrigens, Suenoni VII. annos exilii assignantem, faretur IX. annis extorrem patria fuisse, & illi restitutum anno DCCCXCIII. interimque Ericum in Dania & Suecia sceptrum tenuisse. Verum chronicon Ecclesiæ Bremensis, à quo nè latum quidem unguem statui discedendum, nisi una veritatis trames deserendus, XIV. Suenonis exilio attribuit annos. Proinde utramque hac via concordare licebit opinionem, sequestra veritate; nimirum Erico vita functo anno DCCCXCII. habenas Danorum Sueno recuperat DCCCXCIII. Atqui, teste Crantzio libro III. capite XLIV. suæ Metropoleos. cum Sueno quidem patriâ exilium non naturam perversam commutasset, Olaus Erici filius paternam in Dania prosecutus ditionem, denuo ipsum regno exturbavit, idque anno DCCCXCIV. quando, juxta Vigorniensem & Huitfeldium, Sueno profugas copias Anslavi Noricorum regis jungens exercitui, die nativitatis Partinice sub Londino in flammam redigendo anchoras jecerint. Sed Edelredus rex Anglorum Anslavo clam vocato, in filium adoptato, & insignibus donis ornato, effecit ut castra infelicia Suenonis desereret, & actutum in Norvegiam se reciperet.

Atque hac fraude Sueno spoliatus commilitone fortissimo, & viribus suis diffusus, ad regem Scoticorum secessit, ubi ad annum DCCCXCVII. commorans, cœpit animæ & corporis statum infelicissimum serio meditari. Actandem ad cor reversus, Ecclesiæ catholicæ restituitur communioni, non illic fonte sacro expiatur, ut Saxo hallucinatur, cum patre vivo illud percepisset cœleste beneficium. Deinde regni amissionem armis recuperari non posse animadvertens, petita in matrimonium Olai matre, Erici vidua derelicta, & principum quorundam intercessione doloque proprio impetrata, tandem uxoris beneficio regnum adeptus est paternum, ultra privigno ipsi non reluctante, neque numine, quo cum in gratiam rediisset.

Hinc luce ipsa clarius est, septennii exilium de prima intelligendum expulsi-
one, & utrumque illos XIV. annos quos Adamus veraciter allegat, complere: velut etiam inde perspicuum in exilio secundo, ad saniolem mentem rediisse Suenonem, & tunc Sigridem matrimonio ductam, non primo in Daniam ab exilio regressu Suenonis. Ac demum ex his liquidum evadit, Olaus non admodum tenerâ constitutum fuisse ætate, quemadmodum Albertus Crantzius à Saxone seductus affirmat, quando pater morti succubuit; Quandoquidem Suenonem mox armis Sueonum aggressus, regio Danorum fastigio exturbarit, & hujusmodi facinus puerili non competat ætati. Quanquam demirer Crantzius, quod Adami sententia infallibili posthabita, Saxonem sequatur. Præsertim cum ille solum in hunc loquatur sensum, nulla ætatis tenerioris facta mentione. *Nam Erici filius Olaus cum matre Syritha Sueciam repetivit, ibique degens regnum materno arbitrio subjectum habuit.* Et hinc duntaxat legitima conjectura colligi, Olaus consilio matris,

matris, foeminae insigni prudentia praeditae, & inde cognomen Storrae de habentis, in regnorum suorum usum moderatione.

Sed Adamum de his Olai in Dania rebus a paterno obitu magnifice gestis paulisper auscultemus. pag. 58. Olaph sane qui post obitum patris sui Herici, regnum super Sueones accepit, cum exercitu superveniens, infelicem Suein iterum a regno expulit, & Daniam obtinuit. Suein autem cognoscens quia Dominus ipse est Deus, rediit in semetipsum, & peccata sua pra oculis habens, poenitensque oravit ad Dominum, qui exaudiens eum dedit illi gratiam in conspectu inimicorum suorum, restituitque eum Olaph in regnum suum, eo quod matrem suam habuerit uxorem, feceruntque pactum ad invicem firmissimum, ut Christianitatem in regno suo plantatam retinerent, & in exteris nationes effunderent.

Denique & hoc tacitus praeterire nequeo, veritatis gratia roborandae, quod Saxo & illius sequaces, Hector Boetius, Albertus Crantzius & Veleius graviter contra justos delinquant annorum calculos, memorando Suenonem ab Edvardo Anglorum rege frustra opem implorasse; utpote cum Edvardus Alfredi filius in tata concefferit DCCCCXXIV. cui successit inprimis in throno Anglorum Adelstenius filius, & inde alter Edmundus, ac tandem tertius Edelredus anno DCCCCXLIX. eodem potius, ipsum prudenter gubernat multo annorum curriculo, ad annum scilicet MXVI. Ac proinde Sueno ipsi, non Edvardo patri aut fratribus factus supplicis extorris, cui & Adamus suffragatur pro suo candore sententiae. Hanc vero propter repulsam in Anglia & Norvegia, quam passus Sueno exul, mox ut regno restitutus, se de utraque natione vindicavit, bellum inprimis Olao Norvego, auxiliaribus privigni fretus copiis inferens, & inde promovet victor illud in Edelredum, de ipso tandem triumphans, & in Anglia dominium tenens, filioque Canuto relinquens.

Sed jam post longius in causa Suenonis diverticulum, ad Ericum Suecorum Danorumque insignem redeamus monarcham, cujus potentia motus Otto III. Imperator Romanus, anno DCCCLXXXVI. ad ipsum destinat Legatum Popponem, testimonio Adami. pag. 56. & 57.

Hec parricide avi pericula Suein rex nobis attonitis exposuit, deinde ad Ericum victorem reflexit narrationem. Hericus, inquit, duo regna obtinuit, Danorum Sueonumque, & ipse paganus Christianis valde inimicus, ad quem missus Legatus Caesaris ac Hamburgensis Archiepiscopi Poppo quidam, vir sanctus & sapiens, tunc in Slesvicensem ordinatus Episcopum, de regno Danorum seu pace Christianorum Caesaris partes exposulavit. Quem etiam ajunt pro assertione Christianitatis, cum barbari suo more signum quererent, nihil moratum, sed statim ignitum ferrum manu tulisse, & illud apparuisse. Dumque hoc facile omnem gentilibus erroris ambiguitatem tollere videretur, iterum sanctus Dei pro submovendo gentis illius paganismus, aliud aequae magnum ostendit, tunicam scilicet indutus ceratam, cum staret in medio populi circo, in nomine Domini praecepit incendi: Ipse vero oculis ac manibus in caelum tensis, liquentes flammam tam patienter sustinuit, ut veste profusa ambusta & in favillam redacta, hilari & jocundo vultu nec fumum quidem incendii sensisse testatus sit, cujus novitate miraculi & tunc multa millia per eum crediderunt, & usque hodie per populos & Ecclesias Danorum, celebre Popponis nomen effertur. Hec aliqui apud Ripam gesta confirmant, alii apud Sliaswich &c. Hericus igitur Sueonum rex in Dania conversus ad Christianitatem, ibi baptizatus est; Qua occasione praedicatorum a Dania in Suediam transcuntes, fiducialiter agebant in nomine Domini. Dicebat tamen clarissimus Suein rex Danorum; Hericum post susceptam Christianitatem, denuo ad paganismum relapsum esse. Quod vero cum Ottone III. pugnaverit & victus sit, rex tacuit, sed ab aliis audiri. Mortuo post haec Erico, Suein ab exilio regres-

regressus, obtinuit regnum patrum suorum, anno depulsionis & peregrinationis sue XIV. Accipitque relictam Herici uxorem, matrem Olaph, quæ peperit ei Knut, sed nihil ei affinitas connubii profuit, cui Deus iratus erat. Quam manifestus hic Adami contextus de Popponis cura sub Erico Sueonum & Danorum rege, non Suenone, Danis Evangelium annunciante? Et tamen quidam eò descendere non erubescunt impudentiæ ut hoc vocent in dubium, quod ipsis paginæ resolverunt superiores, ut nova non indigeat ventilatione.

Deinde quam luculenter etiam Adamus his verbis Erici conversationem, visis usque eò insignibus à Poppone editis miraculis. Ingemiscendum verò tantum monarcham in reipubl. Christianæ emolumentum uberius, & salutis suæ lucrum certissimum, in agnita divinæ vocationis gratia non perstitisse: Idque fidei naufragium non tam animi quadam inconstantia, quam gentilium rebellionem factum arbitror. Et cum ipsorum nefaria persuasionem denuò in Christianos desævire cœpisset, Otto Augustus in auxilium ab illis imploratus, ut liquet ex Adamo, armis protinus illatis, ut prius Henricus, Gormonem, & Otto I. Haraldum, victoriaque obtenta, Christianis mitiorem reddidit.

Illud autem est arcanum quod Sueno Estritius chronographo nostro pandere noluit, & Crantzius tantopere in Metropoli vitio illi vertit. Sed an Imperator cum Erico parta hac victoria, vel quando totius Christianitatis nomine Popponem ipsi destinat, fœdus commune paxerit, de quo Gothus noster loquitur, annales non manifestant; ut neque nūm ante ultima Ericus fata ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ redierit, cum Sigridis illius conjunx post mariti obitum in gentilitatis ignorantia & caligine ab Olao rege Norvegiæ sponso Christiano deprehensa, & re-
prehensa pertinaciæ, nec tamen resipiscens patitur repudium, velut mox inculcandum. Hanc verò Ericus unicam duxit uxorem, filiam Haraldipulchricomi Noricorum monarchæ: & Hillæ, ut quidam memorant, Osteni regis Hedemarchiæ, ex qua etiam Olaum Vichiæ regulum, & patrem Haraldum Grönike, qui & S. Olaum genuit, Pulchricomus suscepisse fertur.

Præfatæ verò Sigridis ex fratre nepos Haraldus rex Norvegiæ, ab illa post maritum defunctum in Suecia cum filio regnante, ad epulum Upsaliam invitatus, prolatis inter pocula quibusdam verbis Sigridis aures & animum offendentibus, noctu mandato amitæ cum tota familia inclusus exurit. Quam deinde mortem paternam, quæ circiter annum DCCCCXCV. accidit, S. Olaus jam adultior ulturus, classe infesta Meleri accolæ depopulatur, velut postmodum exactius indicandum.

Quamobrem cum Ericus bigamus non fuerit, & scholia in Adamum vetusta referant ipsum Boleslai Chrobry Polonorum regis filiam duxisse uxorem, illud de Olao Erici filio interpretandum, cui filia regis Slavorum, juxta Adamum deinceps citandum, connubio sociata. Neque aliud temporum ratio permittit, cum Ericus anno DCCCCXCII. in 992. Dania mortuus, & Boleslaus anno M. ad scepra promotus Polonica, patre Miecislao mundum superiori linquente. Quod autem Ericus apud Danos morti succubuerit, liquet ex Saxone & Crantzio, illic continuam ipsi moram, ob metum rebellionis assignantibus, & reditum inde Sigridis cum filio in Sueciam, post justa marito persoluta.

Sunt quidam Historicorum, qui DCCCCLXXVI. Ericum in aliqua Succorum ditone una cum fratre Emundo testentur regni sui exordia cœpisse, quibus, cum tempori & rebus gestis ejusmodi consentiat assertio, non multum reluctor. Atqui mortuum anno DCCCCLXXXII. E-

ricum asseverantium sententiam, omnes hujus ævi peritiores & saniores explodunt una mecum, velut erroneam, historici; siquidem, ut alias inculcavimus, vitio amanuensium veterum, pro anno DCCCCXCII. subrepsit sensim in exemplaria DCCCCLXXXII.

Tandem neque hic prætermittendum, quod præfatus Sueonum Danorumque rex Ericus, triplici donatus olim cognomine; siquidem ob prosperum in bellis plerumque successum, *Victoriosus*: ob copiam illo regnante omnigenæ annonæ maximam, *Ærsell* seu fructiferax. Denique quod flumine salutari conspersus, Christo nomen dederit, *Stenchil* vulgò, Latine vocaretur *Lustratus*. Quæ cognominum multiplicatio, nostris chronicis turpissimum obtrusit errorem, hanc propter vocabuli variationem, regias personas etiam multiplicantibus, & alium hunc Ericum gentilem, & alium Christianum facientibus: Ac subinde fratrem Olai Skotkonung, nonnunquam patrem statuentibus. Aliquando primum ex regibus Sueonum Christianum, & constantissimum; Quandoque religionis periturum proclamantibus. Nunc ab Adaldao, nunc ab Unvanno, nunc Adalberto, Hamburgensis Ecclesiæ Præsulibus, Adalvardum & Stephanum Evangelii præcones illi destinatos profitentibus,

Potissimum verò huic errori tribuit occasionem, illud cognomen Stenchil; quandoquidem, cum illud commune cum proprio cujusdam alterius Sueonum monarchæ vocabulo, nominibus distinctis, res & tempora nostrates historici horum regum perperam confuderunt. Neque ullus ex toto chronographorum nostrorum senatu, tam lynceus & circumspectus fuit, ut manifestam hanc cernere posset exorbitationem, præter D. Ericum Upsalensem, qui serò quidem, verè tamen lapsus agnovit, illum ceu scopulum postea devitans, nè veritatis pluries cum reliquis faceret naufragium.

Enimverò probatissimorum annalium colligitur suffragio, Ericum præter Olam non habuisse filium, neque in throno alium successorem immediatum, neque annorum calculos regem sequestrum admittere constat, ex prolatis hætenus rerum & temporum monumentis momentisque. Ex quò igitur angulo novus ille prorupit Ericus Stenchillus & Ærsell? Deinde quidam nostratium ipsius attribuunt Sigridem Olai matrem conjugio, illa prodentes assertionem suam hallucinationem, & quod ex indivisibili faciant divisionem, multitudine cognominum seducti.

Denique aliud de suo non commemorant rege, quam quod cæcitate percussi sacrificuli gentilis permotus, Evangelii Doctores à Bremensi, missis legatis, postularit Archipræsule, & Adalvardum & Stephanum impetraverit concionatores. Atqui præfata contigere singula post multam temporis intercapedinem, rerum apud Sueones Gothosque tunc potiunte Stenchillo, qui Erici Victoriosi successit nepoti Amundo annofo, & Hamburgensem moderante cathedram Adalberto, quam conscendit anno MXLIII. in ipsa residens ad MCI. à quo etiam uterque in Sueoniam expeditus Adalbertus, senior quidem ad Amundum, & junior ad Stenchillum, sicut & Stephanus, quemadmodum illam mundi ætatem ingressus, productis ex Adamo & Alberto Crantzio testimoniis evidenter comprobabo.

Interea remeans ad Ericum Victoriosum, seu Stenchillum, qui non miraculo sacrificuli occæcati & cœlitus illuminati, ast candentis laminæ operâ Popponis gestatione à periculo immuni Deum cœli terræque opificem agnovit, ex præmissa depræhendo disquisitione, ipsum religionis fecisse jacturam timore furentium gentilium, & ob demolitionem idolorum

dolorum regiae vitæ necem meditantium, cum id testentur nostri, qui Victoriosum ab Arsel distinguunt, Stenchillo accidisse, & Adamus defecundo præcise hoc inficietur. In cujus historia illud pseudomystæ luminibus orbatum miraculum enucleabimus, in hujus autem Popponis paulisper ventilandum.

Sed imprimis considerandum, quod Poppo ferri candentis gestationem, non velut novum veritatis eliciendæ usurpaverit experimentum, cum hoc veri argumentum probandi, non solum Justiniani Imperatoris constitutiones, sed etiam jus canonicum Christianis multo ante præscripserint tempore. Ideoque hujus in re dubia manifestandus viguit consuetudo sollemnis in Italia, Hispania, Gallia, Germania & Anglia prioribus quam hic seculis, ut verissimus etiam codex legum Anglicarum attestatur.

Interim verò nationes boreales, duello inter partes litigantes mandato, falsum à vero discernere studuerunt, quem etiam hodiè morem gens Moschorum in negotio sequitur admodum perplexo discutiendo. Verum nostrates, visâ per S. Popponem igniti portatione ferramenti, ad veritatis captandum experimentum; & ceu meliori consuetudine approbata, non fidem duntaxat, de qua ambigebant, amplexi, sed & hanc veri normam indagandi suis imposterum pro lege statuerunt, attestante Saxone lb. 10. pag. 171. *Quin etiam, inquit, ea miraculi celebritate externum genti nostræ religionis spiritum ingeneravit, quo evenit ut Dani abrogata duellorum consuetudine, pleraque causarum judicia eo experimenti genere constituta decernerent, controversiarum examen rectius ad arbitrium Divinum quam ad humanam rixam relegandum putantes.*

Hac autem ratione procedebat Judex indè documentum captaturus veritatis; Principio manus hominis de facinore suspecti, si gestando candens metallum suam probaturus innocentiam, vel pedum plantas, si calcando & per candentia gradiendo ferramenta se culpa liberaturus, curiose obvolutas sigillo probè muniebat, nè interim unguentorum illas efficacie imbuens, ignis eluderet ardorem & fervorem. Deinde præmissò tridui jejunio per reum conventum, & apportatis die constituta in frequenti hominum corona ferramenti igne scintillantibus, Deoque sollemni quadam oratione ad manifestandam ipsis veritatem invocato, jubetur suspectus nudis apprehensum palmis candens ferrum XII. gestare passibus, aut plantis nudatis per XII. ignitos vomeres totidem intervalis dispositos ultro citroque obambulare. Demum si à læsione immunis esset depræhensus, crimine absolvebatur imputato, sin minus, eidem alligatus, pro meritis plectebatur. Atque hæc experiendi consuetudo viguit in foro Sueonum identidem, ad annum MCCCXLI. quando literis Romani Pontificis abrogata, & deinceps nihilominus apud Helsingos aliquandiu continuata, mandato regio & Archipræsulis Upsalensis penitus de foro utroque sublata. In Livonia tamen hac etiam vigere fertur tempestate, ut duellum in Moscovia.

Hæc de Erico Victorioso, illius Evangelista Poppone, & miraculo portatæ candentis laminæ, & illius postmodum consuetudine nostratibus frequentata, cui demum XII. virorum sententia successit, & hodiè in controversiis quibuslibet dirimendis perdurat, sine minori forte numinis tentati offensione, nunc paucis de matrimonio Sigridis Divitis seu Prudentis prælibatis, ad Olaum utriusque filium convertemur sermonem.

Olaus Trugothi, nepos vel pronepos Pulcriconi Noricorum regis, anno DCCCCXCVI. secundum Islandiæ chronicon in patriam re-

996.

versus, ipsam pedetentim sibi universam submitit, & ut vicinorum principum, Olai præsertim Sueciæ & Daniæ regis potentissimi affinitate & confœderatione, in regni melius firmaretur possessione adversus æmulatorum potentiam & frequentiam, honorifica ad Olaum expedita legatione, matrem poscit in conjugem, & consensum impetrat utriusque, nuptiarum solennitate diutius protracta, ob solam fortè religionis utrinque difformitatem, cum ille Christianæ studiosissimus religionis, illa gentilibus addictissima superstitionibus. Tandem verò Kungellam splendide vocatam, & magnificentius comparentem blande compellens, insinuat matrimonium protinus utrinque conclusum iri, dummodo prius sacris Christianis se initiari pateretur. Verum Sigridi asperius respondenti, majorum fidem se non deserturam, & suæ rex pro voto adhereret. ille indignatus, chirothecis quas manu gestabat, ipsam percutiens, affirmat se canem suo non dignari thalamo gentilem. Quibus & Regina vicissim plurimum exasperata surrexit, & abiens minatur aliquando ipsum verberationis morte culpam expiaturum.

Hanc autem Sueno extorris lætus inaudiens discordiam, & magnopere sibi gratulans, officiose Sigridis poscit connubium, & tandem non illud solum, ast etiam regnum Daniæ consecutus. Deindè Sigridis memor injuriæ sibi ab Olao illatæ maritum & filium in vindictam 1000. stimulavit. Qui proinde anno salutis nostræ Millesimo currente, prægrandi armorum apparatu Olaum in autumno aggressi, profligarunt, regnumque Norvegiæ subactum diviserunt, Olao rege Sueonum Sudmörriam, Nordmörriam, Romodaliæ & Suinfundiam australem, provincias amplissimas & Sueciæ conterminas obtinente. Quas aliquandiu tam jure bellico quam hæreditario possedit, cum maternum inde genus duceret, & leges Noricæ prolem de illa non excluderent linea. Olavus verò Trugothi in ipso conflictu præceps in mare profiliens & enatans, in Syriam juxta chronicon Islandiæ profugit, ubi ex sceptrato factus cucullatus, vitam religiose finivit. Sed multo recenset aliter ista Saxo & Crantzius, quorum sententia erroris sæpè convicta, hic posthabita, chronico Noricorum consultius adhæreo, ab Islevo & Arvido Episcopis sequenti seculo fideliter concinnato.

Dominante autem priore Sigridis marito in Sueonia & Daniæ, ex utroque prorupit regno circiter annum DCCCCLXXXVII. bellacissimum populorum agmen, ideò nomine gaudens Aschomannico, quod non plus secum acceperint victualium, quam capsis modicis, vulgo *Aschar* appellatis, contineretur, quorum Adamus recensuit historiam pag. 54. Ferunt eo tempore classem piratarum, quos nostri *Ascomannos* vocant, Saxonie appulsam, omnia *Fresie* atque *Hathula* vastasse maritima, cumque per *Albia* fluminis ostium ascendentes irrumperent in provinciam, congregati Saxonum magnates, cum parvum habuissent exercitum, egredientes a navibus, apud Stadium barbaros exceperunt, quod est oportunum *Albia* portus præsidium. Magnum & memorabile, minusque felix erat illud prælium, in quo viriliter utrisque certantibus, nostri tandem minores sunt reperti. Sueones ergo & Dani totam Saxonum obtidere virtutem, & capti sunt ibi *Sigafrius* Marchio, *Ibiadericus* comes, & alii illustres viri, quibus vincis post terga manibus, barbari traxerunt ad naves, pedesque eorum catena strinxerunt, totam exinde provinciam impune depradantes. Sed cum ex captivis solus *Marchio Sigafrius*, cujusdam auxilio piscatoris furtim noctu sublatus evaderet, piratae mox in furorem versi, omnes quos in vinculis tenuerunt, meliores ludibrio habentes, manibus pedibusque truncaverunt, & nare præcisa deformantes, ad terram semianimes projecerunt. Ex quibus nobiles quidam viri erant, qui postea multo supervixerunt

tempore, opprobrium Imperio, & miserabile spectaculum omni facti populo. Quam videlicet plagam mox cum exercitu supervenientes Dux Benno & Sigafrius Marchio vindicarunt, in tantum ut pirata omnes, quos apud Stadium egressos fuisse diximus, ab ipsis, auxiliante Domino, fuerunt contriti. Altera verò pars Ascomannorum qui per Verrham flumen egressi Hatbele, usque ad Liestmonam depredati sunt, cum maxima captivorum multitudine pervenerunt ad paludem quæ dicitur Glindesmor, ubi à nostris qui pone sequebantur offensi, omnes usque ad unum obtruncati sunt, quorum numerus erat XX. millia. Quidam enim eques Saxonum ab eis captus, dum eum ducem sui facerent itineris, in difficiliora eos paludis loca perduxit, in qua diu fugati, leviter à nostris sunt superati.

Atque hæc fuit postrema gentium Sueticarum in Saxoniam aliæve orbis ditiones eruptio, cum deinceps Sueones Gothique Christiana imbuti religione, didicerint bonis aliorum manus violentas non inferendas. Quippè sub imperio Erici, quando Ascomanni sunt egressi, cœpit quidem Evangelii splendor radios per Sueoniam & Gothiam vibrare. Atqui rege in pristinas corridente superstitiones, illi nonnihil caliginis aliquandiu offusum, donec Christianissimus filius Olaus, paternas nactus habenas, velut bosphorus quispiam clarissimus solem Evangelii toti Sueonum reduceret horizonti. Qui propterea regum Suecorum primus censetur Christianus, quod ejus fidei operâ universo propè Suecorum & Gothorum imperio doctrina cœlestis annunciata, & ipsemet constantissimus in ejusdem perseverarit confessione.

Patri verò tribuunt quidam Historicorum hanc prærogativam, quod primus regum nostratiam, de quo constat indubitate, ille salutaris baptismatis undâ fuerit respersus; opinio quidem est Olao Tretelgæ hoc cœlitus beneficium primo contigisse, verum nullis veterum scriptorum subnixâ testimoniis præter chronici Norvagici suffragium, cujus authoritati derogare nolentes, ut neque assertioni Historiæ Bremensis, affirmantis passim, ante Ericum, neminem regum priorum in Suecia gratiam baptismi consecutum, sententiam suspendimus, & cuique liberam hac in re facientes potestatem sentiendi, donec progressû temporis copiosiori veterum calculo veritas innoverit.

Olaus autem Erici filius eximius, non anno DCCCCLXXXIX. ut Laurentius Nericius asserit, præfato S. Spiritus munere donatus, cum regno non dum potitus, vivente adhuc Erico patre, à cujus fati ille primum albo inscriptus Christi fidelium, prout sequens monstrabit operis procurfus. Anno namque DCCCXCIII. Olaus diademate Suecorum insignitus, quando post triennium Olaus Trugothi ex Anglia reversus, Norvegiæ insignia capessit, quem anno M. non DCCCCXCIX, quod perperam nonnulli statuunt, Olaus rex Sueciæ, vitrici fretus auxilio, profligavit. Jacobus quoque Gislonis, hoc, ut aliis plerisque suæ chronologiæ locis, naufragium facit veritatis, memorans DCCCCXCIX. S. Olao traditam regis Suecici filiam matrimonio; Si quidem hoc tempore in Anglia & Normannia Olaus moraretur, & juxta chronicon Norvegiæ MXVII. ad thronum sublimatus Norvegiæ, duxerit conjugem ex Sueonia, quemadmodum fusius illo probandum censuræ nostræ spacio, & plures Jacobi confutandum hallucinationes.

Interea reversus ad Olai Sueonum & Danorum regis baptismum, comperio ipsum hac cœlesti non ablutum unda patre vivente, cum nostri fateantur annales, post regios honores acceptatos id gratiæ cœlitus ipsi contigisse, hac quidem occasione. Suenotto rex Danorum secundo patriâ extorris, in ipsa dominante Olao, petitâ & obtentâ ejus matre

in conjugem, beneficio privigni throno restituitur. Sueno autem ex summo religionis Christianæ osore & persecutore, maximus in suo factus exilio fautor & amator, mox cœpit novæ conjugii & privigno ejusdem sensim igniculos adducere, tantumque cooperante gratia sancti spiritus actutum in pectoribus ipsorum effecit, ut ipsa manus Evangelicæ porrigeret veritati, & Olavus non solum cum vitrico pactum, teste Adamo pag. 58. de retinendo Christianorum dogmate in regnis plantato, ad aliasque propagando regiones, lubens iniverit, sed etiam legatis ad Edelredum Angliæ regem, sibi antea confœderatum adversus Sueonem hostem communem, & nunc amicissimum, destinatis, doctrinæ cœlestis impense postulaverit concionatores. Neque Edelredus pro sua in Deum pietate, & fidei Christianæ zelo propagandæ moratus, subito Sigfridum Eboracensis Ecclesiæ Antistitem, sibi junctum sanguine, & virum religiosissimum juxta ac doctissimum, ultrò sibi hoc muneris assumentem Sueoniam versus destinat, idque circiter annum DCCCCXCIX.

Præsul autem felicibus auris Oceanum permensus venit in Daniæ, ibique honorifice à Suenone exceptus, testimonio Breviarii Arosiensis, & aliquandiu magnificè habitus, ad Gothorum limites tutò deducitur. Quos ubi transgressus, cœpit extemplò indigenis æternæ beatitudinis sermonem insinuare, non ignarus linguæ Sueticæ, quam illa tempestate Angli cum Gothis, Danis, Norvegis, Normannis, Islandis & Gronlandis, ex sententia veterum chronographorum communem prope modum usurpabant, & hodiè non modicam conservant cum nostra affinitatem. Atque gentis turmatim quotidie ad ipsum confluentis auscultandum, non exiguam convertendæ spem cernens affulgere, angelica per quietem monitus de loco idoneo visione, Ecclesiam in fundo tum temporis Ostrabro, & postmodum Vexiö nuncupato, fundavit.

Deinde Scaras ad regiam curiam nuncio de præsulis adventu perlato, & illuc Episcopus regiis literis invitatus neophytos Verendiæ, & Ecclesiam Vexionensem suis nepotibus, Vinamanno, Unamanno & Sunamanno, Cluniacensis ordinis, in hac contra diabolum sacra militia commilitonibus Episcopo designatis, commendavit, & regis ad conspectum acceleravit. Itaque ipsum in curia prope Scarensem urbem Husebycensi conveniens, cœlestis doctrinæ mysteriis aliquandiu imbutum, tandem cum nonnullis procerum in fonte forte propinquo salutis æternæ mundavit lavacro. Neque reginæ & liberis gratia baptismatis, ut quidam vetustatis ignari asserunt, collata fuit, cum nec dum uxorem duxerit legitimam, multo minus prolem de ipsa conceperit. Emundum tamen ex pellice reor jam à rege genitum, qui regno post fratris Amundi obitum potitus est. Matrem verò illius religioni Olavus sibi ducens retinere diutius, filiam Slavorum regis matrimonio sibi consociavit, attestante Adamo: *Olavus autem rex, Sueonum Christianissimus filiam Slavorum regis Estrid nomine de Obotritis accepit uxorem, ex qua genitus est ei filius Jacobus, & filia Ingerd, quam rex Gerslef de Russia duxit in conjugium.*

Scholion verò quoddam nostri Adami priscum, narrat Erico Suecorum regi filiam Boleslai Polonorum monarchæ, Ottoni tertio juncti foedere, conjugem cessisse, & socerum armis cum genero conjunctis, Danos juxta impugnasse. Verum de Gothorum & Danorum rege Olavi parente, cui hoc applicatur, nullâ potest ratione intelligi, cum Ericus anno DCCCCXCII. vitam cum morte mutarit, & Boleslaus Ottoni confœderatus, anno DCCCCXCIX. rempubl. susceperit Polonorum moderandam, Miecislao parente ex illa per mortem sublato. Deinde filia vel

vel neptis Harald Noricorum regis, Erico nupsit, & ipso mortuo remansit superstes. Neque temporum ratio finit quod ipsam ante Sigfridem duxerit, vel una binis sociatum conjugibus ulla memorat historia aut memoria.

Ideoque, prout alias insinuavi, potius de filio arbitrarer interpretandum, qui Boleslao fuit synchronus, & Slavorum regis vel principis natam suo adjunxit thalamo, Polonice sint gentes Slavonicae, nisi textus adderet productus de Slavis ortam Obotritorum Estridem, ac horum nomine Magnipolenses intelligerentur, priscam Slavorum patriam inhabitantes: Atque operis sui progressu assereret Adamus, Estridem à Turgoto Brema in Sueoniam destinato, Christianorum inscriptam catalogo post annum MXIII. Quod profecto Boleslai non competit filiae, quae religiosissimo prognata parente, avoque, non eò usque tanto caelestis gratiae vixit orbata incremento. Gentilibus proinde fuit orta parentibus Estridis, illa tempestate inter Obotritos rerum potiuntibus.

Atqui modo nobis paulisper ad D. Sigfridum est remeandum, cujus operâ regeneratus Olaus, regale praedium Huseby Ecclesiae novellae usibus & ipsius Sigfridi assignavit commorationi, non paucis adjectis fundis & templo illic fabricato. Quinimo trinæ praeterea Ecclesiae in Vestrogothia illo temporis spatio fundatae, nimirum in Friggeraker, Girhem & Angerstadum, una cum caemeteriis amplissimis, Christianorum tumulationi accommodatis. Quibus omnibus benedictione sacra imbutis & munitis, auditâque nepotum infanda caede, in Verendiam Sigfridus rediit jure maestissimus. Quippe Gunnarus Gröpi filius Giviche Verendiae reguli vel dynastæ, oculos nefarios in pretiosam Ecclesiae suppellectilem conjiciens, occasione propter rigidiorum cuidam injunctam adulteræ famosæ poenitentiam, & quibusdam gentilium denegatam in caemeterio Christianorum merito contumulationem, sedulo captatâ, & frequenti sicariorum cohorte sibi conquistâ, aedes presbyterorum in monte Gelboë sitas, nihil omnino hujusmodi metuentium, clam velut ursus crudelissimus invadit, & trucidatis capita praecidit, quae urnis inclusa saxo ponderosis, in vicinum demersit stagnum. Trunca verò cadavera in palude aut nemoribus condita proximis, nusquam à posteris sollicitè indagantibus sunt inventa. Capita tamen nepotum S. Sigfrido deinceps sunt divinitus manifestata.

Interim autem rex maxima in sicarios jure commotus indignatione, ingentibus illuc copiis expeditis perquiri & supplicio mandat affici universos. Verum Sigfridi intercessionem, data regi praemagna pecuniae summa, inque sacros conversa usus, mortem evaserunt complices Gunnari, ipso in nemoribus & saltibus Blechingiae ad obitum usque delitescite. Filia interim Götha religionem amplexa Christianam, in ipsa constans perseveravit. Antistes etiam hoc pressus mœrore de solito Evangelii propagandi fervore nihil remisit, non tantum Verendiam, sed Sueciam quoque universam docendo & monendo peragrans, pro more suorum antecessorum, qui amore gentis ad Christum perducendae flagrantibus, non praefinito ditionum aut Episcoporum limite se includi permiserunt, prout noster testatur Adamus, horum fidelissimus temporum scriptor. pag. 148. *Inter Normannos tamen & Sueones, inquit, propter novellam plantationem Christianitatis, adhuc nulli Episcopatus certo limite sunt designati; sed unusquisque Episcoporum à Rege vel populo assumptus, communiter aedificant Ecclesiam, & circueuntes regionem, quantos possunt ad Christianitatem erabunt, eosque gubernant sine invidia, quam diu vident.*

Scriptit

Scripsit verò Adamus memorata, circiter annum MLXXII. ex quibus liquet adhuc Sueoniam & Gothiam in certos non dispartitam Episcopatus; sed D. Ansgarium, Simonem, Arigarium & Rembertum Bircae & in Uplandia, Heribertum in Ostrogothia, Sigfridum in Vestrogothia & Smalandia, Eschillum in Sudermannia, certas Christianorum instituisse quidem congregationes, sensim in quolibet territorio Ecclesiam construendo ligneam, non tamen definitas ullibi, ut sequenti ordinatum ævo, presbyteros habuisse parochias, vel præfules Episcopos alicubi determinatas.

Denique omnibus Sueciæ Gothiæque provinciis Evangelio auscultantibus, in quaternos regnum partitur Episcopatus, certo signatos limite, & Præfulibus commissos, nempe Uplandorum, Sudermannorum, Ostrogothorum & Vestrogothorum, cui Verendensis adunata fuit Ecclesia, non jure sed potestate, ut queritur Laurentius Petri canonicus Wexionensis in quodam anni MCDXCII. fragmento, postquam secundum Sigfridum ipsam Asmundus, Sivardus & Johannes per ordinem diu gubernassent. Immò tandem subjicitur Ecclesiæ Lincopensi, testimonio ejusdem, obtemperans illius jurisdictioni, ad tempora usque Caroli Sueonum regis, & annum MCLX. cui numerantes non mediocrem pecuniæ summam, obtinent Stenarum regis cognatum de Gistertiensium ordine monachum, in peculiarem suæ regionis Antistitem. Memorati verò primi diocesium certarum Episcopi, suas deinde provincias in parochias divisere, quarum numerus pædetentim frequentissimus evasit, cum in sola Vestrogothia paulo post Olai regis mortem referat chronicon S. Olao MC. extitisse passim Ecclesias. Similiter proinde crevit numerus Episcoporum, tandem septenarius evadens, velut alias inculcandum, nunc crenam ad Olaum & Sigfridum reflectendo.

Ex prolatis itaque hætenus constat documentis, Olaum non à Bernhar-do Anglo, quem frater Canutus in Norvegiam destinarat, baptismate initiatum, ut Huitfeldius, aliique perperam adstruunt. Neque filia S. Olao in conjugium sociata cooperante, hanc cœlitus gratiam ipsi contigisse, velut quædam regni falso tradunt Breviaria, cum Olai conversio annum prope DCCCC-XCIX. contigerit, & filia acciderit matrimonium anno MXVII. quemadmodum sequentes docebunt paginae.

Inde autem profluxit ad posteros hic erroris rivulus, quod scripturi Suenonem Danorum regem, Sigride in thori sociam ducta, privigni studuisse conversioni, præpostero traderent textu, Olaum accepta Estride, soceri maturasse baptismum, quod ἱερεὸν πρότερον in ævum illud quando Breviaria prodierunt, antiquitatis historicae ignarum facile subreperere poterat. Sicut etiam illa turpis in chronicon regni quoddam hallucinatio, asseverans Olai lustrationem in annum MCVIII. incidisse, quando jam LXXXIV. anni ab Olai transiissent obitu, prout deinceps fiet manifestum, & Ericus Upsalensis in suo demonstrat perspicuè chronico, illam suggillans merito assertionem. Imo Historia, vel potius annalium scoria memorata, diem lustricum Olai statuit, XV. Februarii, qui mortalis & funestus fuit D. Sigfridi, cum ille in fata concesserit, & Ecclesia olim Suetica Divi anniversariae dicatum proinde memoriae multa solennitate peregerit, ita miscet illud fragmentum, vel potius figmentum vera falsis, imasummis.

Huic verò persimile aliud quoddam, ex chronicis Danorum conflatum, quod Olao nomen Jacobi comminiscitur in baptismo impositum, confundens patrem cum filio. Anundo, qui Jacobus in sua nuncupatus
lustra-

Illustratione, ut etiam infra comprobandum. Verum Olaus cognomento Skotkonung appellatus, quod suafu D. Sigfridi tributum Romanæ pendendum hinc annuatim Ecclesiæ suo imposuerit regno, Denarium Petri vocatum, quolibet per universas regni ditiones homine, trium marcarum, præter vestes & arma, possessore unum quovis anno contribuente nummum; Quem Romanus Præsul missò huc suo quæstore, collectum & Arosiæ depositum in urbem avexit. Erat namque Episcopus Arosiensis thesaurarius Papæ per regnum Sueciæ, & Commissarius, quod alias aperiemus copiosius. Sed hunc Ecclesiæ censum Romanæ, anno DCCCXLVIII. Aduoldus rex Anglorum, suis imposuit ditionibus solvendum, indeque huc consuetudo illa cum Anglis permansit prædicatoribus, hic continuo perseverans ad annum MDXX. quando reformatione admittâ religionis, Romam migrare iussit &c.

Quod verò Ericus Upsalensis, & quidam nostratium alii totum Sueciæ regnum sub Olao Evangelii doctrinam affirmant amplexatum nullis gentiliū reliquiis remanentibus, pro vero non acceptandum; Quandoquidem multo post tempore, ut ex operis nostri constabit progressu, illud tandem effectui mancipatum. Verum regni conversio universalis ea propter Olao accepta fertur, quod teste Crantzio, ille primus regum Suecicorum, publice religionem Christianam acceptans, omnibus regni incolis idipsum impunè faciendi dederit facultatem, majorque indigenarum portio, nomen Christo dederit. Atqui tantum fidei orthodoxæ incrementum, plurimis sequenti annorum procurfu, diabolo insaniente, & tantam sibi de faucibus prædam ereptam indigne ferente, pressum & prope oppressum detrimentis. Olao tamen superstitite, florentissima perstitit Evangelica sementis, ut non immeritò Crantzius hujusmodi promat de ipsò encomium lib. 5. cap. 10. *Iste Olaus satis feliciter atque diutine sceptrum regni tenuit, cum interea Canutus, uterinus frater ejus, in Dania, S. Olaus in Norvegia dominaretur. Trium regum optimorum felicissima tum regna dixerim, quando Christus omnium in medio feliciter gubernaret.*

Quocirca non difficulter hinc colligitur, quantum laboris B. Sigfridus, cujus operâ religionis negotium præcipue Olaus promovebat, in tam inculta & gentibus undique horrida excolenda vinea adhibuerit! Qui Sueciam & Gothiam regna vastissima & populosissima, suæ ratur industriæ nimis angusta, etiam Norvegiæ cultorem se præbuit indefessum, juxta M. Adamum p. 66. *Habuit etiam secum beatissimus Olaus, Episcopos & presbyteros multos ab Anglia, quorum monitis & doctrina cor suum Deo preparavit, subjunctumque populum ad regendum commisit, ex quibus clari doctrina & virtutibus erant Sigafred, Grimchil, Rodulph & Bernhard. Hi jussu regis ad Suediam, Gothiam, & alias insulas quæ trans Normanniam sunt, accedentes, barbaris verbum Dei & regnum Jesu Christi Evangelizabant. Misit etiam rex nuncios ad Archiepiscopum nostrum cum muneribus, petens suppliciter, ut Episcopos ejus benigne susciperet, suosque ad eum transmitteret, qui rudem Normannorum populum in Christianitate confortarent.*

Inter alios athletas strenuos in primis, laborumque patientissimos, S. Eschillum sibi propinquo junctum sanguine, & B. David, Abbatem cœnobii in Anglia Cluniacensis, huc perduxit. Illum quidem auspicio Regis Ingonis Sigfridus consecrans Episcopum, Ecclesiam cis borealem sitam nemus, seu Sudermannicam commendavit regendam; unde primus Stregnensis Antistes diœceseos computatur, ubi & martyrii adeptus trophæum, de quo in historia regis Ingonis pluribus agendum. Huic autem Ecclesiæ Suavingenensis, quæ hodiè Munchatorpensis appellatur,

tradidit moderationem, circa quam etiam senio & labore fessus, animam creatori & corpus terræ, cum lucro æternæ beatitudinis restituit. Prius autem quam ingressus Sueciam superiorem B. David, non paucis in circuitu Ecclesiæ Wexionensis Christum prædicat annis, quò auditâ cæde neporum D. Sigfridi, & suorum in cænobio alumnorum, martyrii & ipse cupidus, se actutum ex Anglia conferebat. Verum quo tempore præfatos B. Sigfridus huc viros sanctissimos introduxit, non constat, quibusdam in primordio sui adventus in Sueciam, aliis ipso in senium vergente, asserentibus adductos.

Hamburgenses verò Antistites, præfato Anglorum in regna borealia concursu plurimum exasperati, quod ipsis conversio eorundem foret commendata. Tamen propter concionatorum penuriam & gentium multitudinem docentibus in Sueonia, Dania & Norvegia Britannis, connivere coguntur, testante Crantzio lib. 3. cap. 44. *Quæ res esse præjudicium intulisse videretur legationi Hamburgensis Ecclesiæ. Quia tamen novella fuit provincia, & multis indigebat novâ vinea cultoribus, merito cum Apostolo diceret: Sunt qui per contentionem Evangelizant. Quid enim interest, sive per occasionem, sive per veritatem, dummodo Christus annuncietur? & in hoc gaudeo & gaudebo.*

Tenebantur autem Angli Hamburgensi Metropolitanò spondere obedientiam, ut liquet ex Crantzio similiter & Adamo, memorantibus circa annum MXXX. Sigfridum ex Suecia, Odincarum ex Dania, & Rodolphum ex Norvegia, Episcopos se Libentio II. præsentasse Bremæ, narrantes quanta fecisset Dominus pro salute gentium, turmatim ad Evangelii agnitionem quotidie confluentium, & honorifice à Præsule ad vineam remissos aquilonarem perficiendam. Et quidem B. Sigfridus in Sueonia & Gothia excolendis fidelissime annis desudavit plurimis, adeò ut M. Adamus ipsum attigisse annum MLXVII. quando Adami contigit Bremam adventus, contestetur. Unde quantos LXVII. annis in Suecia & Gothia potissimum informanda exantlarit labores, & quam præclare vir ille sanctissimus de nostra meritis patria, facili conjectura colligendum. Verum quo anno finem laboribus & vitæ imposuerit, ex annalibus non constat. Post MLXVII. tamen B. Sigfridi mortem accidisse, citatum Adami confirmat testimonium, & quidem XV. Februarii, testante Breviariò Arösiensi, reliquisque, quando etiam olim Ecclesia Suecana, solenni diem obitus festivitate peregit annuatim.

Sed hinc calamum clarissimus ille Norvegiæ rex S. Olaus invitat, utpote synchronus Olai Sueonum regis, gener & cognatus. Attamen infensissimus aliquandiu fuit Suecorum hostis, quod Sigridis regina parentem incendio consumpsisset, & insuper filius Olaus regno potiretur Norvegiæ, cujus ille proximus hæres. Ideoque mortem ulturus paternam, & sceptrâ repetiturus Norica, non mediocribus succinctus copiis navalibus, anno MXII. accolâs Meleri in Sueonia depopulatur, Bircam, urbium primariam in illo sinu, celeberrimumque totius Scythiæ Europææ emporium in solitudinem redigens. Verum rediturus ex Melero in Balticum mare, cognoscit Olaus regem Suecorum copioso milite ostia Meleri utrinque obsidere, castris ubi hodie Holmensium acropolis, & cænobium Franciscanorum, positus, & accommodatis ad profligationem remeantis Norvegi.

Quocirca Olaus Noricus insidias devitaturus, obscuræ per aurum noctis beneficio usus, clam effodit isthmum australem, per illam manus hostium in Oceanum effugiens, & alveum flumini præbens

bens meridionali perpetuum. Deinde Gothlandiam Suecorum insulam in Oceano adpellens, incendia & cædēs minatur. Atqui ab incolis non mediocri pecunia persoluta, pacifice in hybernis illic moratus, primo vere in Angliam solvens, triennio sub Edelredi Anglorum regis contra Danos meruit signis stipendia, & anno MXVI. XXII. Aprilis, Anglo fatis succumbente, filios Edmundum & Eduinum in Normannia constitutos, accersit contra Danorum irruptionem.

Itaque Canutus Danorum rex industriam formidans Olai, ipsum dolis ad suas pellexit partes, illi non modicam regni Anglici pollicens ditionem, si Olao sequestro, pax utrinque & regni æqua partitio institueretur. Sed Canutus auxilio S. Olai compos voti factus, non tantum promissam denegat Olao provinciam, ast etiam mulierem Olai charissimam stupro temeravit, teste Crantzio: *Convenit inter reges, ut Edmundus quoad viveret dimidiaregni parte frueretur, post mortem tota, & jam viventi reliqua Canuto regi pareret. Olaus, qui aderat, nullam in fœderibus sui fieri mentionem tacitus dissimulabat. Adjunxit Canutus aliam priori injuriam, ut concubinam Olai stupraret. Qua gemina turbatus contumelia Olaus, in iram excandescens, abiit cum sua classe in Norvagiã, tempora demoratus justæ ultionis.*

Hallucinatus verò Crantzius, suum imitatus Saxonem, textu hunc præcedente, asserens Olaum jam antea throno Norico potitum, & à Canuto injuriam subtracti regni dissimulante, in subsidium contra Edelredum cum fratre Haraldo vocatum. Siquidem qua memoravi occasione, juxta chronicon Norvegiæ certissimum & Ericum Upsalensem, in Angliam penetraverit. Sicut etiam in hoc labitur, dum Edvardo illam cum Dano amnistiam assignat, quæ hunc & Edmundum inter designata, fratre Edvino consentiente, idque anno MXVI, ex sententia Britannicorum annalium.

Verum ad suppetias Canuto latas adversus Angliam rediens, comperio non Olaum Norvegum, ast Olaum Sueciæ regem, Canuti fratrem uterinum, attulisse, testimonio Adami, pag. 64. *Suein rex Danorum atque Normannorum veteres injurias tam occisi fratris, quam sue repulsionis ulurus, classe magna transfretavit in Angliam, ducens filium suum secum, & Olaph filium Craccaben, de quo supra dictum est. Itaque multo tempore plurimis præliis adversum Anglos exactis, Suein veteranum regem depulit Ethilredum, & insulam in sua tenuit ditione, verum brevi tempore: Nam tertio mense postquam victoriam adeptus est, ibidem morte præventus occubuit. Knut filius Suein regis cum exercitu reversus in patriam, de novo bellum molitur in Anglos. Olaph electus à Normannis in principem, separatus est à regno Danorum. Tunc verò Knut ancipiti casu turbatus, pactum inivit cum fratre filio Erici, qui regnavit in Suedia, ejusque fultus auxilio, deliberavit primo quidem Angliam subjugare, deinde Norvegiã. Itaque mille navibus Knut armatus, Oceanum transiit Britannicum.*

Neque solum hinc perspicuum, Angliam Sueonum auxilio à Danis subactam; sed etiam hoc ex textu constat, Olaum Suenoni socia junxisse arma, non Canuto, velut Saxo & Crantzius comminiscuntur, qui Norvegiæ nunc dominabatur, Canuto ex Anglia in Daniam ad comparandas remeante copias. Quam Olaus ingressus est, pro denegata illic provincia, totum Norvegiæ regnum Suecis & Danis subducens. Quod Canutus deinceps sibi pollicetur Sueonum ope repetiturum, Angliæ sceptris potitus inprimis. Verum ut hæc de Norvegiã & Anglia liquidius innotescat instituta narratio, & textus Adami allegatus magis enucleetur, paulo res altius repetenda.

Suenotto reversus ex triluistri propemodum exilio, novæ conjugis

jugis jus in Norvegiam profequi, & contumeliam ab Olao Trugothi anno priore illatam ulcisci cupiens, privigno iisdem inflammato in subsidium adscito, prout alias insinuat, Norvegiam expugnat anno M. eamque inter se, privignum & Ericum Jerl, Norvegiæ principem confederatum, partitus est. Quo tempore S. Olaus in adolescentia constitutus, & Norvegiâ per Olaum Trugoti agnatum suum exutus, ex Anglia in Normanniam, invisurus cognatum Vilhelmum illic dominantem, quemadmodum vita Olai olim typis publicata testatur, migravit. Sueno autem fortunam solito benigniorem expertus, & throno duplici donatus, tertium adjicere meditatur. Ideoque anno MIII. audita Danorum in Anglia clade maxima, illam & suam ibidem annis superioribus repulsam vindicaturus, illuc frequentissima instructus classe navigavit. Olaus verò sperans Suenonis beneficio se Norvegia potiturum, ad signa illius convolvit. Verum post navatam aliquot annis fidelissimam illic Suenoni operam, nullam voto suo spem affulgere videns, anno MXII. armis patrium thronum decrevit recuperandum, inprimis ex Anglia classem in Sueones hostilem adducens, primariam Norvegiæ portionem obtinentes.

Sed neque hac via sibi commode aditum ad Norvegiæ sceptrum patere animadvertens, anno MXIII. in Angliam remeavit, Anglorum se copiis adiungens, & strenuè adversum Danos triennio dimicans, speransque certo certius Anglos victores sibi patrium diadema imposituros. Atqui mortuo Edelredo rege Olai charissimo, & pactis Danos & Anglos inter sancitis, quibus Olaus exclusus, & insuper à Danis egregiè delusus, ut superius inculcatum, in patriam anno MXVI. sibi redeundum putavit. Quam vitrici & cognatorum amicorumque sequente hyeme subjugavit, præfidiis Sueonum & Danorum inde profligatis, & copiis ex Sueonia novis contra Olaum expeditis, ob mortem in itinere Ductoris redeuntibus. Interea temporis Sueno XII. annis in Anglorum expugnatione defudavit, donec tandem ejecto Edelredo illa potiretur, quam anno MXIV. per mortis imperium resignare filio compulsus. Qui proinde mox tertio Febr. à Danis rex salutatus, Anglis de Normannia Edelredo revocato sceptrum porrigitibus, quem inter & Canutum biennio acriter decertatum, donec tandem anno MXVI. Edelredus morte sublatus, sceptrum filio Edmundo traderet gubernanda, de Normannia per S. Olaum advocato. Inter hunc autem & Canutum post aliquot strages cruentissimas pax decernitur memorata, & nihilominus Edmundus circa festivitatem Andreae, anno MXVI. veneno suasu Canuti porrecto de vita migravit. Immò & filios Edmundi minores Olao fratri perdendos destinavit. Sed rex pietissimus sanguinem profundere innocentem sibi religioni ducens, illos cognato vel affini suo regi Ungarorum clam ablegat salvandos. Deindè legitimis regni hæredibus sublatis, & ductâ in matrimonium Algiva Edelredi derelicta, Angliæ & Daniæ tenet pacificè Canutus aliquandiu sceptrum.

Sed paulisper ad pugnam anno MXVI. Canutum & Edmundum inter celebratam regrediamur, in qua nonnulli asseverant Banerorum in Suecia & Dania florentium prima nobilitatis insignia nactam familiam, sequenti Saxonis & Crantzii testimonio provocati lib. 4. cap. 25. *Expositis in terram militibus, acies ex adverso consistunt, pugnatum est acriter diuque. Sed in medio pugna æstiva signifer Danorum, forte an virtute obrutus, signa inclinavit, Anglique rapuere. Erat inter gregarios milites Tymmo, vir & proceritate & robore insignis*

gnis, quem fors obtulit. Is virentem ramum hasta sustulit in sublime, hæc, inquiens, signa nostra commilitones, sequimini quæ præco. Itaque ducens in hostem felix antesignanus, aciem jam de fuga meditantem restituit. Demum cum victoria apud Danos resideret, Rex clara viri delectatus virtute, primipilum fecit in omne tempus militie sue, multis præterea agris & insigni de restituta acie per signa cognomine decoravit.

Verum ego modernos in Scandia Baneros à Tymmone non arbitrarios oriundos, cum Baneri Danici illo primum cognomine, illic regnante Friderico primo, & nostri sub Johanne III. Suecorum rege cœperint gloriari, de insignibus mutuato. Alias profectò illa progenies ab anno MXVI. non interpolata cognomenti serie, ad præfatorum tempora Regum inde nuncupata fuisset, & legitimam continuamque inde successivis periodum documentis posset demonstrare. Ut modò nulla amplius historia vel memoria de Tymmone aut illius posteris facit mentionem, & in re tanta conjecturæ vestigiis inhærere non sit fidelis historici, sed adulatoris levissimi. Verum hoc de negotio copiosius in nostro genealogiarum theatro, propediem castigatius prodituro, & pro tempore Lectori quoque insinuandum, non anno MXVII, ut perperam contendit Andreas Velleius, hanc Danos victoriam obtinuisse, cum superiori in fata concesserit Emundus, de quo fertur reportata, sed MXVI. Ut neque Olaus Norvegia potitus, quando Canutus in Daniam regressus, auxiliares à fratre copias contra Edelredum postularit, quod tamen Adamus in allegato videtur insinuare testimonio. Nam MXVI. pugnae interfuit memoratae Olaus, & MXV. juxta Huitfeldium, & Vigorniensem Canutus fratrem de subsidio invisit, paceque utrinque constituta MXVI. Olaus Norvegiæ aggressus primum expugnationem, anno MXVII. illius regimen capeffens. Enimverò MXXVIII. Olaus insidiis Canuti sublatus, anno regni sui XII. juxta M. Adamum, ideoque thronum conscendit MXVII.

Verum quod chronicon Norvegiæ XV. Olao regiminis assignet annos, ea propter factum, quod anno MXIII. redeunti ex deprædatione Suecorum, regium ab affeclis nomen attributum, licet nullam prorsus regni Norvegici obtineret adhuc portionem, velut clarissimis idem chronicon testatur verbis, pagina XLIII. Unde tribuit postmodum Olao XV. eadem historia annos, ab iis facto supputationibus primordio, quibus titulum nactus sine vitulo, ut dicitur, & occæpit paterni soli machinari aliquantulum recuperationem. Quod ipsum indicat Arngrimus Jonas in chronico Islandiæ, affirmans circiter MXIV. Olam ad Norvegiæ faces eniti cœpisse, nunc propriis armis negotium experiundo, nunc Danorum favore regnum prænsando, nunc Anglorum subsidia ambiendo. Hæc autem copiosius in illum præcipue finem à me ventilata, ut horum tenebris probe discussis, clarissimum evadat, XVI. annis Norvegiam Suecorum regi & Danorum auscultasse, nimirum ab anno M. usque MXVI. quando ex Anglia reversus Olaus, Norvegos ad defectionem permovit.

Atqui bellicam Sueonum regis sequenti anno in Norvegiam expeditionem, & victoriam Canuti de Anglis reportatam inaudiens, sibi que plurimum ab utroque metuens, non marte sed arte litem ratus componendam, nempe filiam Olai Estridem, suafu consiliariorum in consortem postulandam. Verum mox illam per solennem legationem impensè poscenti, præcisè denegata est, & minæ horribiles intentatæ, ni-

cederet throno Norvegiæ. Sed tandem Olao precibus instante, Regina patrocinate, Ragvaldo Westrogothorum Duce Olai amicissimo auxiliante, & indigenis bellorum cladem pertimescentibus, & seditionem, ni filiam elocet, minitantibus, consensit votis Olai, filiam cum regio destinans apparatu Tonsbergam Noricorum, anno MXVIII, non DCCCCXCIX, ut erroneus Jacobi Gislonis habet calculus. Siquidem anno MXVI. Olaus certò Norvegiam ex Anglia ingressus, & MXVII. aggressus recuperandam, velut ex dictis perspicuum, & mox sequenti, filiam duxerit Sueonum regis, juxta chronicon Noricum & Suecicum Erici Upsalensis.

Deinde obitus Suenonis incidit in annum MXIV. & Edelredi MXVI, at præfatus asserit Ericus utrumque vivos inter esse defuisse, cum Estridis matrimonio sociata est Olai, quæ non soror regis Suetici, ut Historia perhibet Norica, sed filia, testibus Adamo, & Sueonum Historiis. Cujus etiam sororem Jeroslavus Nogardiæ rex conjugem duxit, certissimo Adami suffragio, non mariti, ut plerique nostrorum hallucinantur chronographorum, ad quem S. Olaus regno pulsus, anno MXXV. confugit. Fuit autem Jaroslavus Wolodomiri filius, qui anno DCCCCLXXX. Annam sororem Basilii & Constantini Imperatorum Græcorum ducens conjugem, una religionem Christianam Græcis mixtam ritibus amplexatur, quam & posterius hætenus observarunt. Proinde non principi gentili Olaus rex Sueonum filiam elocavit, ut neque S. Olaus Jaroslavum sua dignatus fuisset conversatione, si perversis & infanis Deorum cultibus addictum comperisset. Ad Jaroslavum generum Olaus rex Suecorum filios Edmundi Angli, à Canuto sibi destinatos, ablegat educandos, non perdendos, prout fatetur Adamus, illique potius fidendum censui quam Vigornienti, in Ungariam expeditos contententi, quod Sueonibus vix ulla cum Ungaris illa tempestate necessitudo intercesserit, tanta locorum disjunctis intercapedine.

Demum Adamus in scholiis narrat, Canuti sororem Estridem, à filio regis de Ruffia in uxorem adscitam; Ideoque cum unicam hoc nomine Canutus habuerit sororem, quæ inprimis Richardo nupsit Duci Normanniæ, & inde Ulphoni Spracheleg, eandem fuisse censeo, & Ulphone Roschildiæ trucidato, tertium nupsisse alicui fratrum Jaroslavi, quos XI. habuit. Sed horum nemo tantum emolumenti de suo percepit connubio, quantum rex Norvegiæ, qui Estride potitus, dominum totius Norvegiæ sine ullo assecutus est æmulo, neque patruo vel patre conjugis quidquam ipsi amplius molestiæ facessentibus, illaque gavifus quiete focero vivente; verum ipso vitam terminante, Olai quoque fortuna susque deque jactitata, quemadmodum deinceps intimandum, ubi historiam Sueonum regis ad ipsum perduxerimus sepulchrum residuam.

Quamobrem religiosissimus Sueonum rex, genero in nulla inferior virtute, interim fidei Christianæ non indormivit propagationi per Sueoniam & Gothiam, vicinasque regnorum ditiones amplissimas, indeoque Upsaliam caput idololatriæ aggressus, illinc vanum Deorum obsequium decrevit omninò exturbandum, velut Adamus manifestat pag. 66. *Simili autem, inquit, religionis amore alter Olaph in Suedia dicitur floruisse. Is subditos sibi populos ad Christianam volens convertere fidem, magno laboravit studio, ut templum idolorum Upsala, quod in medio Sueonia situm est, destrueretur. Cujus intentionem pagani metuentes, placitum cum Rege constituerunt, ut si ipse Christianus esse vellet, optimam Suedia regionem quam vellet, suo jure teneret, in qua Ecclesiam*

Et Christianitatem constituens, nemini de populo vim recedendi à cultura Deorum inferret, nisi qui sponte ad Christum vellet converti. Hujusmodi Rex placito gavisus, mox in occidentali Gothia, qua Danis proxima est vel Normannis, Ecclesiam Deo fidei-
demque fundavit Episcopalem. Hec est civitas Scarane maxima, in qua petente Christianissimo rege Olaph, primus ab Unvanno Archiepiscopo Turgoth ordinatus est Episcopus. Ille verò strenuè legationem suam agens in gentibus, duos nobiles Gothorum populos Christo lucratus suo labore. Per illum ergò Episcopum rex Olaph ingentia Metropolitanò Unvanno direxit munera. Præterea duos idem rex fertur habuisse filios, quos ambos una cum uxore sua ac populo baptizari præcepit, quorum alter qui natus est à concubina, Emund nomen habuit: Alter Anund, quem rex à legitima genuit uxore, qui cognomento fidei & gratiæ dictus est Jacobus. Juvenis quidem ætate, verum sapientia & pietate omnes præcessit qui fuerunt ante eum, nec quisquam regum fuit populo Sueonum tam acceptus sicut Anundus.

Ex quo vetustatis clarissimo testimonio, non modica tenebris Historiæ Suecane accedit illustratio. Hinc siquidem non obscure colligitur inprimis eximia Olai in Deum pietas, & zelus erga religionis Christianæ profeminationem, idolorum spurcitie proculcata.

Deindè manifestat hoc suo Adamus testimonio, primam in Vestrogothia Episcopam fundatam, illamque regni ditionem prius reliquis Christo præstitisse obsequium. Unde MC. passim Ecclesiæ in Westrogothia tempore obitus regis Olai memorantur repertæ. Ideoque non mirum illic Olaum & successores Sueonum Gothorumque reges, usque Ingonem IV. plerumque commoratos, nunc in urbe maxima & vetustissima Scarensum, ubi quoque regia fuit olim acropolis, nunc in castro Aranes propinquo, operis splendore & munitionis robore admirandò; nunc in amœnissimo Livenensium prædiò plerumque permanentes. Atqui Visingianam reor insulam à Suerchero II. & illius posteris in Ostrogothia, de qua oriundi, moram lubentius trahentibus, regia commoratione inprimis dignatam.

Velut etiam quæ vetustas, veritatem sub fabularum involucro tegere assueta, de Gilbertero illic à Ketillò mago præstigiis quondam vincito, tradidit posteritati, de regum aliquò, ibidem insulæ detento amœnitate, moramque trahente prolixior, quam regia permittit sollicitudo, ab æmulis in ejus confectum arbitror ignominiam: Potissimum cum veteribus Gothis id genus scommatis & pasquilli fuerit oppidò solenne, & quæ de antri natura & ligati Gilberti usura vitali memorantur, fidem nequaquam mereantur, prout alias fusius demonstraturus, ad Olaum Skorkonung reflectens orationem.

Ex contextu Adami productò insuper liquet, Olaum Episcopæ Scarenensis fundatorem, idque circiter annum MXIV. & primum in illo fuisse Antistitem Turgotum, ab Unvanno Bremensi Archiepiscopo deputatum. Unvannus autem cathedram conscendit, MXIII. quam mortis imperio deserit MXXIX. ideoque Scarenensis Ecclesiæ fundatio, Estridis reginæ, Emundi & Anundi lustratio, & munerum regionum Unvanno destinatio, inter annos MXIII. & MXXIV. Olaò fatalem contigere. Demiror autem regem Christianissimum uxoris & filiorum prorogasse baptismum, nec tamen ipsi, sed vel temporum iniquitati, vel paganorum potentia, vel conjugis pervicaciæ, aut Episcopi absentia, MXVI. S. Olaum in Norvegiam comitantis, censeo imputandum. Ast quod Olaus anno Domini MXXIV, regni XXXII, non autem MXVIII. ut Johannes Gothus supputat, sanctissime vitam terminarit, testis Ericus nobis locuples, asserens octavo post nuptias filiæ anno, morte sublatum Olaum,

laum, aliquot annis S. Olao secundum tata toceri superstitie, quem mox Canutus audito fratris obitu, anno MXXIV. regno exturbandum aggressus, velut protinus indicandum. Ex quo etiam liquet conjectari, Olaum pacis inter fratrem & generum unicum post Deum conservatorem, in primordio anni MXXIV. naturæ debitum persolvisse. Neque minus inde captatur hujus rei documentum, quod S. Olaus anno MXXV. certo certius in Russiam profugerit, quo tempore socer mundo subductus fuit, cum auxilio Anundi, Canutum anno MXXIV. impugnarit.

Denique Olaum Johannes Gothus, Lincopiæ cum filiis sepulchro conditum memorat, ego potius Scaris in Westrogothia crediderim, corporis expetiisse & obtinuisse quietem, cum regionem & urbem quam vivus suâ dignabatur potissimum commoratione, mortuum etiam in illa tumuli consecutum honores, magisque in provincia Christo tota mancipata & dicata suo labore & fidei ardore, creatori animam & corpus terræ gremio reddere voluisse, consentaneum rationi. His accedit, quod prisca reges in spacio illi curiæ seu castro propinquiore, quod frequentius vivi habitabant, plerumque tumulum elegerint; Ideoque paganorum principum & magnatum tot hodiè colles prope veteres curias contemplari licet passim toto Sueonum & Gothorum regno. Ast regum Christianorum sepulchra in Ecclesiis, arci principibus delectabiliore vicinioribus cernuntur. Sed Lincopia nulli veterum regum propinqua habitati-
oni, nec ullus principum gentilium in Ostrogothia legitur humatus, imò neque Christianorum ante Suercherum II. qui cum filiis & nepotibus in cœnobio delegerit Alvastrensi corporis quietem, quod natione Ostrogothus, & illic continuò propemodum moraretur.

Itaque ex prævio hoc de gestis Olai Sueonum regis discursu, manifesti arguitur erroris supputatio Gislouiana, memorans ex quadam conjectura chronographo indigna sinceriore, S. Sigfridum in Sueoniam appulisse DCCCCLXXXII. Olaum regem & Suenonem Danum anno DCCCCLXXXV. Norvegiam subjugasse; DCCCXCVIII. S. Olaum eandem recuperasse; DCCCXCIX. filiam regis Suecici uxorem acceptasse; & denique MXVIII. Olaum nostrum throno valedixisse. Imò etiam Adamus circa obitum lapsus Olai, narrans illum eodem quo Conradus Imperator & Canutus frater de vita migrarunt, tempore contigisse. Nam ille quidem anno MXXXIX; hic autem MXXXVI. mortis tyrannidi, licet potentissimi succubuerunt. Sed noster Olaus MXXIV. ut probatum est luculenter, viam carnis universæ ingressus est, superstitem relinquens generum, qui MXXVIII. calculo infallibili Danorum insidiis fuit trucidatus, non MXXX. juxta Huitfeldii computum, à veritatis orbita eminus digredientem, & deinceps ad abacum nobis revocandum.

Denique Ericus Upsalensis in Historia S. Erici, fatetur Olaum promulgato edicto statuisse, se & suos in throno successores, non Gothorum, sed Sueonum reges imposterum nuncupandos, quod Gothia Sueciæ velut regno primario incorporata, & à potiori esset petenda denominatio, atque ne Gothis pristina nominis usurpatio, ansam porrigeret amplius rebellandi. Sed non tanti sunt hærationes momenti, ut gloriosissimam Gothorum nomenclaturam Reges non usurpare dignarentur, aut subvererentur, quam aliæ nationes interim sibi per fas & nefas arrogare conantur. Proinde solertissimus ex Magnus Ladulas, tantam honoris Gothici sustinere diutius jacturam non posse diadema Sueticum probè animadvertens, aliquot seculorum decursibus imprudenter intermissam decoris appellationem, revocare & usurpare cum posteris suis non dubi-

dubitavit, quemadmodum M. Olaus Petri in proloquio suæ testatur Historiæ. Atque his chronicon Olai Skotkonung illustrasse notis pro tempore sufficiat, ad Anundi nunc descendentes historiam nonnihil ventilandam.

Anundus, non Amundus, aut Omundus, toro natus Olai & Efridis legitimo, in pervigilio D. Jacobi Apostoli, juxta pervetus S. Olai chronicon, nomen Jacobi in baptismo ea propter sortitus est. Qui profectò in tenera ætate singularem virtutis cujuslibet præ se ferebat spem indolemque, nec annis adultior suos defraudabat æstimatores opinionè concepta, testante Adamo, alias etiam citato, pag. 67. *Anundus, inquit, quem rex à legitima genuit uxore, qui cognomento fidei & gratiæ dictus est Jacobus. Juvenis quidem ætate, verum sapientia & pietate omnes præcessit qui fuerunt ante eum. Nec quisquam regum fuit populo Sueonum tam acceptus sicut Anundus.*

Hinc magnam principi optimo prudentissimo, subditisque charissimo intentant calumniam, qui carbonarium vel incendiarium à regni colonis contemptim affirmant nuncupatum, quod lege propalam vulgata, mandaverit ædes delinquentium pro gravitate commissi piaculi flammis absumendas. Nam sanctissimorum præsulum identidem utens consilio, longè consentaneas magis rationi, æquitati & juri Ecclesiastico politicoque tulit Anundus leges, quæ non ipsum indigenis gratissimum, sed odiosissimum reddidissent universis, neque tanto à posteris virtutum encomio quantum illi Adamus tribuit, fuisset decoratus.

Deindè Anundo quoque illi nostratium historicorum injuriam irrogant, qui à vitæ ipsum diuturnitate Annosum contendunt appellatum. Siquidem quinquagenarius duntaxat de hac vitæ migravit statione, omnibus factorum violentiam detestantibus Sueonibus, & Emundus Olai de concubina filius, meritò cognomen annosum sortitus fuerit, utpotè qui non paucis ante Anundum prognatus annis, & illam nactus fuerat appellationem à posteris, velut ex illius fiet perspicuum historia: Sicut etiam quod unà carbonarii nomenclaturam ex illius promulgatione legis contraxerit, liquido comprobandum. Ista vero chronographorum turpis hallucinatio inde potissimum promanat, quod plerique horum ignari temporum, Anundum & Emundum confuderint. Imò Albertus Crantzius, licet Adami apertissimo secus informaretur testimonio, tamen Olai, Anundum & Emundum, illorumque facinora turpissimè commiscet ut etiam horum in throno successores cum rebus clarissime gestis susque deque projectavit.

Demum non minus veritatis faciunt illi dispendium historici, qui passim apud posteros sunt restati, Anundum in Norvegia baptismi gratiam & educationis consecutum disciplinam, S. Olavi præcipue post Deum auspicio. Enimvero Adami luculentissimo constat suffragio, in Suecia per Turgotum, non apud Noricos à Bernhardo baptismatis unda delibutum. Sicut etiam cum B. Olaus paucis in Norvegia post ductam Anundi sororem, quâ illuc occasione penetravit Anundus, pacatum à tumultibus domesticis, illisque periculosissimis sibi & omnibus advenis, non diu illic Anundus absque certissimo quotidie vitæ potuit morari discrimine, à quo interim in patria tutissimum vivere licuit. Nec rationi & paterno consentaneum videtur affectui, quod Olaus rex Sueonum, tanto unicum legitime natum filium in Norvegia æquo diutius morantem exponi permiserit. Attamen nequaquam inficior Anundum in Norvegia penes sororem moratum charissimam aliquandiu, &

multis cumulatum ab affine religiosissimo virtutum ornamentis, in Sueoniam tandem remeasse. Ideoque tam propensò in B. Olaum evasisse animo, ut ipsius causam æquissimam, non sine proprio, totiusque regni discrimine certissimo, non dubitaverit fulcipere contra patrum defendendam, quemadmodum ex sequentibus constabit paginis, & Anundi umbilico regiminis, nos interim ad caput revertemur considerandum.

1024.

Anundus, Olao patre circiter annum MXXIV. de vita in cœlum translato, mox regnum populi procerumque consensu lætissimo gubernandum suscepit, Gunildam quandam, teste Adamo in Scholiis, sibi matrimonio jungens, de cujus parentibus nihil porrò memorat idem, vel ejus paraphrastes, suo mihi silentio tacendi quoque hac in re imponens necessitatem. Summum verò religionis propagandæ studium Anundi non filet Adamus; *Eodem tempore, inquit, memorabiles aquilonis reges obierunt, Knut & Olaph, germani fratres. Quorum alter, videlicet Olaph rex Sueonum, successorem regni habuit filium, de quo supra diximus, Jacobum; sub quo junior Suen filius Wolf militavit in Suedia XII. annis. Qui etiam nobis retulit, Jacobo regnante, Christianitatem late in Sueconia diffusam esse.*

In hoc tamen hallucinatus Adamus, quod Olaum & Canutum eodem memoret tempore mortem oppetiisse, cum ille MXXIV. & hic MXXXV. anno illi succubuerint, & clarissimo historiarum liqueat contextu postmodum allegando, Anundum post obitum parentis superstitem bellum Canuto patruo intulisse. Deinde cespitat noster in hoc colliculo Adamus, quando Canutum & Olaum fratres uterinos appellat germanos. Sed veniam meretur peregrinus scriptor, nullis adjutus sæculi indocti documentis, ex nostro rudi pro tempore archivo subministratis, & alias Suecicæ indagandæ studiosissimus veritatis, adeò ut nemini historicorum veterum tantum debeat historia nostra gratiarum, quantum Adamo; Ac potissimum illa, quæ ab anno salutis humanæ DCCC. ad MLXXII. apud nostrates chronographos admodum lubrico & vacillanti, dubioque ingreditur passu.

Sed excurrentem revocat Anundus calamum, belli patruo justissime illati sinceriores delineaturum imaginem, quam vel Saxo, aut Albertus Crantzius, eorumque incauti sectatores. Quippè Saxo reliquorum primipilus narrat, pro more solito, Ulphonem Suecum à Canuto destinatum ex Anglia in Daniam, ad reprimendas Sueconum frequentes in Scaniam Danorum provinciam excursiones, fraude quadam fororem Canuti Eltridem sibi connubio junxisse. Ideoque Canuti non consentientis in matrimonium pertimescens furorem, in Sueciam cum uxore profugisse, & compendia belli adversus Canutum gerendi, Daniæque subigendæ Anundo suggestisse, atque Olao Noricorum regi. Quem asserit nuper mortem Olai regis Sueciæ inaudientem, & Canutum fratris in propugnatione Norvegiæ destitutum auxilio cognoscentem, thronum invasisse & occupasse Noricorum. Quanquam Saxoni contrarium potius asserendum fuisset, si veritatis attingere voluisset centrum, nimirum Canutum, audito fratris Olai, partibus generi sui in Norvegia plurimum studentis, obitu, S. Olaum soceri orbatum auxilio armis expugnare decrevisse. Et quidem hujusmodi frequens est Saxoni histeronproteron in sua historia, vel potius rerum scoria, & Danorum panegyri fabulosa; nunc ad telam redeundo narrationis, ab ipso de pugna Canutum & Anundum inter habita non satis proba fide pertexam.

Porro namque asseverat, Sueciæ & Norvegiæ reges ab Ulphone persuasos, arma Daniæ actutum intulisse, Canuto in Anglia morante,

Anun-

Anundo copias Sueonum terrestres, Ulphone maritimas, & Olao utrasque Noricorum. Sed Canutus de hac certior factus hostili in patriam impressione, ingenti succinctus classe quantocius advolat, Anundumque in Scania prælio excipiens terrestri profligavit ipsemet. Interea verò classis Danica Olaum & Ulphonem aggressa, doloso quodam hujus stratagemate superatur. Nihilominus tamen uterque fugâ sibi consulit, Danis victoriam & classem, regnaque Sueonum & Noricorum permittens. Hæc Saxo, quam rationi & veritati locutus conformiter, hinc candidus æstimator colligere potuerit. Nam quis obsecro, nisi mentis remotæ, sibi persuadere patietur, Sueones & Norvegos, honesto & insigni quodam stratagemate, Danorum victores, etiam ipso teste Saxone, turpi tamen fuga dilapsos, sine ulla belli renovatione, vel hostili impugnatione, classem, regnaque victo Canuto tradidisse! Etenim Saxo mox pro sua modestia, Canutum sex regnorum plenis proclamatis buccis, monarcham, regionum nominibus suppressis, ut incautum fallat lectorem, arithmetica Danicæ non satis peritum. Sed dic fides amabo, quæ sunt sena illa Canuti imperia, Danicum, Anglicum, Norvagicum, Normanicum & Suecicum? Atqui memorata quinarium non excedunt numerum, ubi proinde sextum? Ignosce quæso immemori, jam remiiscor in Utopia indagandum, vel si mavis in Ethiopia aut concavo lunæ, propinquum idææ Platonice. Quocirca illuc tibi Saxo excurrendum cum tuis informis & anilibus deliriis, Danorumque illic imperiis limitem figendo fabulosis.

Deindè nec quinque agnoscimus Canutum regnorum gubernatorem, & quo jure dominatus quaternis, ipsorum chronographis disputandum permittimus. Quippè Suecorum sceptro nunquam potitus, quandoquidem inprimis Scanico Anundus bello profligatus non fuerit, quod postea demonstrandum, ut neque pugna inferior navali, sed Danis superior, ut ex Saxonis contextu manifestum, & victores in victi cedere non consueverunt potestatem.

Denique testatur Saxo in eadem pagina, Ulphonem in Sueciam de loco pugnae fugiendo, illic securitatem vivendi obtinuisse, continueque vixisse, donec Suenone filio nato, gratiam Canuti, hujus proles interventu sit consecutus. Verum quomodo, mi Saxo, in Sueonia securum manendi locum Ulpho tam diu obtinisset, si Canutus hostis infensissimus ibidem rerum potiebatur? Velut etiam quando sequentibus lineis asseris, Canutum hinc remeantem, Angliæ filiorum unum Haraldum, alterum Canutum Daniæ, & tertium Suenonem Norvegiæ, moderatores præfecisse, quæ oblivione tibi reliqua tria exciderunt imperia? Oportet sanè mendacem esse memorem, Saxo. Quanquam illum senarium in contextu historiae tuæ numerum, non tuo, sed M. Christierni Petri, qui primus illam Parisiis publicavit, & multis pro sua fingendi libidine, in gratiam suæ genis vitiauit erroribus, potius vitio crediderim adnotatum. Quandoquidem tuæ circumspeditioni tot absurdissimas non arbitrer competere analogias, qui longè soles esse cautior in prodendis sub imagine veritatis plerumque tuis imposturis.

Sed modo paululum cum Crantzio de hac colloquamur etiam armorum utrinque expeditione, qui Saxonis seductus antilogiis & paradoxis, pluribus se involvit. Etenim in sua Dania Canuto victoriam & Sueoniæ dominium tribuit, Anundo fortunæ cedente, & ad tempus in angulo delitescente, hac duntaxat ex parte, semita cum Saxone incedens eadem, non in calculo imperiorum, quæ solum quina statuit, Saxonis errore animadverso.

Deinde in sua Suecia, neque Saxoni, neque veritati, imò neque fibimet constat lib. 5. cap. II. *His, inquit, namque rebus incitus Olaus, cum Emundo incentor esset belli Ulpho, moderunt in Daniam; cumque à mari incumberet Olabus, à terra per montana Scania Emundus Suecia rex imminabat. Contulere manus maritimo bello Dani atque Norvegi, sed victoria Danis incumbabat. Interim pars copiarum Canuti Emundo congregitur in Scania, ibi Ubbonis solertissimi Ducis industria tracti in vadum Dani, cedente de industria hoste, inherentes limo Dani, passim à Suecis caduntur, decepti magis quam victi. Ea tum fuit Emundi fortuna, ut Ulphonis militari peritia superior haberetur. Emundus autem reversus in regnum, nihil magis ac prius religioni favebat.*

Hinc, Lector, collige quantum historiae Saxonis & Crantzii in Sueonum rebus commemorandis sit tribuendum. Enimverò palmam Norvegis & Sueonibus Saxo tribuit, industria Ulphonis procuratam bello navali, & terrestrem Danis assignat auspicio Canuti obtentam. Crantzius neque Saxonis, neque suae assertionis prioris memor, navalem Danis, & terrestrem Sueonibus largitur victoriam. Antea testatur Amundum in Scania profligatum, Canuto thronum liquisse. Nunc ipsum cum triumpho in Sueciam de Danis reportato perducit, in religionis negotio Anundum illius studiosissimum cum Emundo persecutore ejusdem confundens. In sua Norvegia Ulphoni bellum adversus Danos assignat maritimum, hic terrestre & victoriam, illic Danis victi & profugi Ulphonis gloriam. In Metropoli primum à Canuto bellum, MXXIV. in Scania & Hallandia commissum, cum secundo, quod in Norvegia MXXVIII. fraudulenter per Danos gestum, in quo & B. Olaus occubuit, per summam incuriam confundit.

1028.

Quamobrem Huitfeldius, videns hanc Saxonis & Crantzii inconstantiam in belli hujus narratione, non verbo facit illius mentionem in toto suo historiarum opere, mox pugnam anni MXXVIII. breviter delineans, in qua Olaus occubuit, & Canutus per fraudem & munerum largitiones Norvegia positus, quod Huitfeldius silentio non præterit. In hoc tamen fallitur ille graviter, quod anno MXXX. prælium sentiat memoratum contigisse, in totius antiquitatis grande præjudicium, asserentis consensu unanimi, MXXVIII. in bello prope villam Norvegiæ Sticheltada S. Olausum insidiis Danorum nefarie trucidatum, contra quos regno injustè insidiantes continuum pro libertate dimicabat patriæ, idque Adamus non subticuit pag. 66. *Inter Knut, inquit, & Olaph regem Normannorum, continuum fuit bellum, nec cessavit omnibus diebus vite eorum, Danis pro imperio certantibus, Normannis verò pro libertate pugnantibus. In qua re justior erat causa regis Olaph, cui bellum necessarium magis fuit quam voluntarium.*

Sed eundem auscultemus Huitfeldium quoque, de bello quidem Canuti cum Anundo filio fratris habito prorsus silentem, sed tamen catalogum imperiorum non negligentem. Etenim suo inserit operi quasdam Canuti literas, anno MXXXI. ex urbe, quò votivam Canutus susceperat peregrinationem, ad ordines regni Anglici perscriptas, in quibus Angliæ, Daniæ, Norvegiæ, & aliquarum ditionum Sueticarum se regem appellat, hoc astu dominium Canuti aliquod in Sueones insinuans. Sed cuperem ex te Huitfeldi cognoscere, quo gaudeant illæ regiones nomine, & quando, quo Marte vel arte Canutus illas Amundo subduxit? Quippè non pugna Scanensi, vel Helgeni, & multò minus Sticheltadensi, vel ut hætenus copiosè & nervosè demonstratum, & copiosius mox demonstrandum. Ideoque Marte publico se nihil

nihil effecturum probe sentiens, ad artes descendit veteratorias, pecuniã inter proceres Norvegiæ distributã victoriam mercatus utramque, & sicarios in necem religiosissimi viri B. Olavi conducens; sicut etiam anno MXXV. destinato in classem Sueonum & Noricorum auro & argento multo victicem, per subornatos profugos, non mediocrem navium & militum frequentiam ad sua pellexit fraudulenter & impudenter obsequia, quorum operã Norvegiæ protinus habenas affectus est, legitimo rege per summum scelus exturbato.

Verum faceſſat hinc Saxo, Crantzius & Huitfeldius cum suis commentis, & prouideat chronicon Norvegiæ, non illud à Johanne Martini mala publicatum fide, aut ipsum manuscriptum antiquissimum, quod prælium hac veraci percenset oratione. De vivorum agmine Olao rege Sueonum expuncto, pacis unico sequestro inter Canutum fratrem & Olauum generum, cœpit Canutus Norvegiæ meditari occupationem, mox per legatos Olao demandans, ut Norvegiam sub feudo, non jure regiõ teneret. Quod abnuens Olauus, & Canutum moliri bellicam illuc expeditionem inaudiens, Anundum Sueciæ regem vocat in suum fidium, & Selandiam Scaniamque ferro flammaque depopulatur. Itaque nuncio à proditoribus Norvegiæ in Angliam perlato de irruptione Sueonum & Noricorum in Daniam, primarios Norvegiæ proceres, missis ingentibus donis, ad suas pertraxit partes, ut mox plenis in Angliam veis tenderent ex castris Olai, atque frequentissima stipatus classe militeque, in Daniam subito remeavit: Ubi suis adjungens copias à Canuto filio & Ulphone genero congregatas, hostes in ostio fluminis Helgani morantes accedit.

Interea Olauus Norvegiæ rex, audito Dani illuc adventu, aquas in ipsum armavit, aggerem cursui aquarum prævalidum obiciens, & hostili portum ingrediente classe relaxans, ac cum præsubito horrendoque in hostem impetu fluvium rapidissimum immittens. Quo stragemate verè bellico uniuersa propemodum Dani classis obruta interiit, parte aduersa Calmariam in hyberna suam destinante, & Anundo in Sueciam, Olao autem in Norvegiam, cum insigni victoria remeantibus. Actutum proinde Canutus ad pristinas confugit artes, profugos Norvegios auro plurimo onustos post Olauum clam submittens, à quibus regni primates muneribus seducti, Olauum regno depellunt Canutum subrogando, quod contigit anno MXXV. Quamobrem Olauus cum uxore & liberis in Sueciam profugit, & illic iis relictis in Rusiam ad Jeroslavum, conjugis suæ germanam tori sociam habentem secessit, ubi moratus ad annum MXXVIII. quando audita morte Haquini Jerl Norvegiæ proregis, non mediocri ex Russis, Suecis & Norvegis exercitu congregato, Norvegiam repetit, & IV. Calendas Augusti, in diem cadentes mercurii, hostem multo potentiolem aggressus, cum suis ferme omnibus prope villam Stichelstada, inter primam & XII. meridianam nefariè trucidatur.

Quæ autem in legendis, ut vocant, quibusdam de S. Olai martyrio circumfertur narratio, ab hac difformis, supposititiã & commentitiã omninò censenda. Quippè memorat illa, omnia Christi salutifera tormenta per ludibrium ab Haraldo fratre paganõ inflicta Olao, & sub his animam efflasse; Fratrem verò Haraldum ab immani protinus dracone devoratum, illoque gentiles viso miraculo, certatim Christo nomina dedisse.

Tantundem etiam veritatis habet alia eodem libro fabula; quæ

etiam carmine vernaculo comprehensa hodie passim cantatur, de navigatione S. Olai per montes saxeos, de imperio Norvegiæ cum Haraldo fratre decertantis velificatione. Siquidem historia Norvegiæ pervetus affirmet, Haraldum XV. duntaxat annum agentem prælio interfuisse Stichelstadenfi, & tyrannidem Canuti pertimelcentem, in Russiam primo, & inde Constantinopolim ad Cæsaris aulam & obsequia profugisse. Unde anno MXLVII. in Russiam reversus, filiam Jeroslavi & neptem Olai Sueonum regis conjugem duxit. Alteram verò sororem, attestantibus Adami pervetustis scholiis, duxit Andreas Ungariæ, & tertiam Henricus Franciæ, reges potentissimi, ex quibus ille Salomonem, hic autem Philippum, progenuerunt.

Ideoque Haraldus cum uxore in Sueciam ad illius perrexit avunculum regem Anundum, & patrocinio ipsius Magno regi Norvegiæ S. Olai ex concubina filio commendatus, dimidium regni Norvegici consecutus est, & reliquum nactus post Magni obitum, anno MXLVIII, prout deinceps memorandum. Tanto Haraldus rerum successu elatus, evasit crudelissimus tyrannus, & bello Danos afflixit diuturno, & tandem Anglis congressus, anno MLXV. cum suis ad internecionem illic deletur. Atque hinc inprimis liquet sole clarius, quam vero similis narratio Saxonis, de Haraldus militia sub Canuto rege, anno MXV. contra Edelredum, quando vix dum primas lucis aspexerat auras.

Nec minus à veritate difformis alia quædam Saxonis de Haraldo, Byzantii draconem in vinculis trucidantem tabulatio, quemadmodum historia verissimè commonstrat Norvegiæ. Et nihilominus eò inverecundiæ descendit Saxo, ut etiam novaculam, quâ belluam Haraldus pernerat, à Valdemaro Danorum rege deinceps multis rubigine consumptam affirmet monstratam sæpius fuisse.

Hinc etiam reor alteram de hoc fabularum sæcundo parente Saxone natam fabellam, quod nimirum Haraldus, cæso fratre Olao, ab immani sit dracone consumptus: Ideò demiror summopere, quamobrem Olai per saxa & montes intermiserit navigationem Saxo Danicus. Verum satis cum illius colluctatum monstris, paradoxis, ænigmatibus & logogryphis portentosis, unde quantum fidei tribuendum illi cothurnato chronico, vel cæcis & surdis conspicuum. Quorum nomine Huitfeldius rubore suffusus, nullam facit cæsi draconis mentionem, ut etiam in aliis non paucis à Saxone sibi descendendum, & potius Amundo statuit adhærendum. Proinde nihil mirum Saxonis fidem apud externos historicos in dubium & judicium vocari, ob violatam historiæ majestatem & gravitatem, autoritatemque.

Jam ad Olaum, Haraldo & Saxone prætermisissis redeamus, cujus filiam Ulfvildem, & neptem Olai Suecorum regis, sibi matrimonio junxit Otto Dux Brunsvicensis, & filius de pellice natus Magnus, Norvegia & Dania post Canuti Duri potitus obitum. Atqui Gunildam Canuti Magni sobolem connubio sibi Henricus sociat Conradi filius Imperatoris, anno MXXX. Anundi Suecici regis patruelem, ad quem modo post longiusculam regrediamur digressionem, & filiam illius præstantissimam Gude, quam Sueno Estritus, annis XII. in Sueonia mereans stipendia, sub Anundi vexillis sibi desponsavit, & regno Danorum anno MXLVIII. potitus, sibi pompâ solenni copulavit. Verum quod nimium vicino cognationis gradu Suenoni juncta, utpotè filia amitini Anundi, non sororis, ut sentit Adamus, illam Suenonis vocans consobrinam, primò adversus Suenonem Vilhelmus Roschildensis, & Egiuo Lundensis, Episcopi, hujus sceleris nomine insurgunt.

Sed

Sed nihil apud pervicacem regis animum efficientes, rem Adalberto insinuant Metropolitano Hamburgensi, qui malis & bonis eò tandem modis negotium perduxit, ut Gudæ libellum daret repudii. Quæ in patriam reversâ, cœnobium Gudhemenfè in Vestrogothia de suo fundavit nomine, bonisque, illic sanctissime vitam traducens, testibus Adamo & Saxone, qui copiosâ in laudes illius excurrit oratione.

Divortium verò præfatum circiter annum ML. contigit, ut colligitur ex Bremensi historia, cujus etiam perantiqua scholia, Gudam veneno à Thora Suenonis concubina memorant propinato sublatam. Hanc demum sanctissimam fœminam Johannes Gothus Ingone III. prognatam narrat; sed tempora regnantis in Dania Snenonis reluctantur, & Gothus pro Jacobo legit perperam in fragmentis, quæ secutus, Ingonem. Atque cum Saxo & Ericus regis Suecici filiam Gude statuunt, neque alius quam Anundus Jacobus ad clavum reipublicæ Suecanc illa sederit tempestate, is conjectura infallibili genitor illius reputandus. Quippe de patruo Emundo, vel consanguineo Stenchillo nulla potest intelligi ratione, cum neuter illo imperaverit tempore, & Gude multis post repudium vixerat annis, quando B. Adalvardus ab Emundo repulsus, auspicio Stenchilli ad Gudam in Vestrogothiam secure perductus, & inde Hamburgum salvus pervenit.

Hæc de uxore, nunc ad maritum Suenonem redeat calamus, qui regnum occupavit Danorum auxilio Anundi & Tugh Ducis, testimonio Adami pag. 85 *Magnus, ait, eo tempore simul tenebat duo regna, Danorum videlicet ac Normannorum. Jacobus adhuc in Sueonia sceptrum tenuit, hujus auxilio Suen & Tugh Ducis effulsus, Magnum pepulit à Dania, Magnus ergò bellum denuò instaurans, obiit in navibus.*

Præterea constat ex hoc Adami textu, & chronico Norvegiæ Adamo prorsus suffragante, falsissimam Saxonis narrationem de obitu Magni, quem deturbato per occursum leporis equo, & trunco, cujus præacuti fortè stipites eminebant, transfossam censet expirasse. Enimverò Adamus illo superstes tempore, & familiarissimè cum Suenone Magni conversans æmulo, magnamque suæ historiæ hauriens ab illo portionem, vir alias optimæ fidei, & neutri favens plus æquo nationi, veritatem certo certius in his, aliisque suorum temporum gestis posteris transmisit. Obstupesco autem ob incredibilem Saxonis mentiendi libidinem, qui commentus ista, ut viro bellacissimo, Danis tamen suis subaspero, notam timoris apud posteros inureret Saxo, insinuans fessorem non magnæ strenuitatis, cujus equus occursum leporis præ timore corruisset. Verum quod hoc impune tulerit ignominiosum figmentum, Magno dudum antea mortuo, & liberis hoc ignorantibus, non multum demiror.

Sed quam turpitudinis fœdissimam aspergit maculam majoribus potentissimi Suenonis Estritii, obstupeo quod Valdemarus primus pronepos Estritii & Canutus hujus filius, quibus in Dania gubernantibus, Saxo contempnit & operâ libroriorum promulgavit sua figmenta, impunitam reliquisset. Nam proavum Suenonis urso belluarum immaniissimo genitum Saxo confitetur, libro 10. his verbis: *Cujusdam patris familias in agro Suetico filiam liberalis formæ cum ancillis lusum egressam, eximia granditatis ursus, deturbatis comitibus, complexus rapuit, exceptamque unguibus præ se leniter ferens, ad notam nemoris latebram deportavit. Cujus egregios artus novo genere cupiditatis aggressus, amplectendi magis quam absumendi studium egit, petitamque laniatui prædam, in usum nefariæ libidinis vertit. Continuo enim ex raptore amator effectus, famem concubitu solvit, ardoremque gula veneris satietate pensavit. Quoque eam indulgentius aleres,*

leret, crebris incursionibus vicinum acrius incessabat armentum, nec nisi lauioribus ante vesci solitam, sparsis sanguine dapibus assuescit. Adcò enim captiva species efferratam raptoris savitiam fregit, ut quem sanguinis sui cupidum extimescebat, amoris avidum experiretur, pastumque ab eo perciperet, cui se fore protinus alimoniam metuebat. Quò non penetrat, aut quid non excogitat amor? cujus ductu etiam apud efferratam beluarum rabiem, gula irritamentum libidinis imperio cedit. Tandem gregis possessor exhausti pecoris inopia provocatus, observatione adhibita, circumventam canibus beluam cursu ac clamore vehementius urgere perstitit, fugacemque sectatus eò fortè loci quo puella servabatur, accessit. Siquidem domicilium ejus in vis paludibus clausum, perplexa ramorum series continenti frondium umbraculo texerat, ubi mox fera à retiariis circumventa, & venabulis occupata confoditur. Ut ergò duplicis materia benigna artifex natura, nuptiarum deformitatem feminis aptitudine coloraret, generationis monstrum usitato partu edidit, silvestremque sanguinem humani corporis lineamentis excepit. Nato itaque filio paternum à necessariis nomen imponitur, qui tandem agnita suæ veritate propaginis, à patris interfectoribus funesta supplicia exegit. Cujus filius Trugillus, cognomine Sprageleg, nullo probitatis vestigio à paterna virtutis imitatione defecit: A quo Ulpho genitus, originem ingenio declaravit abitu animo sanguinem representans.

Hæc Saxo, etiam avum & patrem, viros eximios, insigni convictio perstringens, & non advertens pro sua prudentia, illam veterum de Beronis ortu esse narrationem omnino allegoricam, prisicisque oppido familiarem loquendi modum fuisse per allegorias, præsertim quando rem magni momenti non vulgo notam volebant, vel illius prodicione periculum formidabant, aut infamiam, quod utrumque detecto Beronis ortu metuebant. Enimverò à viro quopiam nobilissimo illa virgo clarissima fuit rapta, pro more illius ætatis, quando nullum, nisi raptu quæsitum, censebatur gloriosum matrimonium, & imprægnata genuit Beronem. Sed virginis parentes & consanguinei puellam raptori invidentes, forte alteri desponsatam proco, ipsum trucidant investigatum. Trugillus autem filius ad legitimam perveniens ætatem, & necem indignè ferens paternam, parentis trucidavit ficarios. Ita quidem ego hac de re sentio, & una mecum Albertus Crantzius, libro IV. cap. XXVII. suæ Daniæ, atque Andreas Vellejus in scholio quodam Saxonis versione Danicæ apposito, consentiunt. Immo quorumlibet rectè philosophantium mihi suffragatur collegium, uno assèverantium consensu, ex belluæ & hominis commixtione, præsertim cujusmodi hæc, impossibilem hominis generationem. Hoc vero Danorum majores nequaquam perpenderent, sed insomnia Saxonis velut oraculum sequentes, rubore quodam suffusi, Suenonem non à parente Ulphone, aut matre nuncuparunt Estritium.

Simili demum allegoria veteres, reginæ Margaretæ scortationem cum Abrahamo Broderi Sueonum potentissimo Equite, obtexerunt, asferentes ipsum veneris commercia cum una nympharum Oceani frequentare, & virginem ex ipsa conceptam in cœnobio Vastenensi curasse olim educandam. Sed Ericus Pomeranus in partem regiminis cum matertera permissus, & facinus rescians, Europæ Jovem, vel bovem admissarium capitis multavit supplicio.

Verum ista ex professo alibi, nunc ad ipsum Anundum capulo proximum redeamus, cui synchronus in Dania Canutus magnus, Canutus Durus, Magnus S. Olai filius, & Sueno Estritius. Patruus quidem Anundi Canutus mortem oppetiit MXXXV. alter Canutus, eandem subiit MXLII. Magnus vitæ perfunctus munere MXLVIII. & Sueno contempo-

temporaneus etiam Emundo & Stenchillo, Halstenoque Sueonum regibus, MLXXIV. mundo & throno valedixit. Anundus autem clarissimus & Christianissimus, ut Adamus illum merito appellat, Suecorum rex, de terreno ad sempiternum beatitudinis vocatus domicilium anno regni XXVII. salutis restauratæ per Christum, juxta Adamum, ML. annis XXIII ab obitu S. Olai evolutis. Unde modicum nobis hallucinatur Gothus, asserens ipsum ex morte D. Olai immenso dolore concepto, non diu vitam egisse postea superstitem, & vero simile in Ecclesia Lincopensium corporis nactum quietem. Mihi autem vero similis videtur, ob rationes de sepultura parentis allatas, illum Scaresi Ecclesia membrorum sortitum humationem.

Atque ex memoratis hætenus proditur error Breviarii Lincopensis, quod Olauum Skotkonung anno MXL. regem Sueo tim paganum statuit, & ML. errore abjurato, Christiana amplexum myteria. Nec minus habet absurditatis calculus historicus, qui cum ex dictis, me tacente, explodatur, ipsum nova non dignor confutatione, ad historiæ regis Emundi me accingens trutinandam.

Quocirca Emundus fratri subrogatur defuncto, cui longe diversum perhibet Adamus virritus testimonium, contextu sequenti pag. 87. Cumque hæc ibi gesta essent, Christianissimus Sueonum rex Jacobus migravit a seculo, & successu ei frater ejus Emundus Gammal, pessimus. Nam iste a concubina Olaph natus erat, & cum baptizatus esset, non multum de Christiana religione curavit, habuitque secum quendam Episcopum nomine Osmund acephalum, quem dudum Sigfridus Normannorum Episcopus Bremae scholis docendum commendavit. Verum is postea, beneficiorum oblitus, Romam pro ordinatione accessit, indeque repulsus, per multa loca circumivit erroneus, & sic demum meruit à quodam Poloniae ordinari Archiepiscopo. Qui veniens in Suediam, iactavit se à Papa consecratum ad illas partes Archiepiscopum. Sed cum Archiepiscopus noster legatos suos ad regem dirigeret Emundum, indenerunt ibi eundem gyrovagum Osmund, crucem Archiepiscopali more ante se ferentem, audierunt etiam quod barbaros adhuc neophytos non sana doctrina fidei nostre corruerit. Quorum ille territus presentia, solitis regem populumque dolis impulsi, ut legati repellerentur, quasi Apostolici non habentes sigillum. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Erant autem legati fratres Bremensis Ecclesie, quorum potissimus fuit Adalvardus senior, olim nostri Decanus claustrum, verum tunc Sueonum genti ordinatus Episcopus, de cuius viri virtutibus multa possent dici, nisi ad alia properarem. Legatos igitur nostros à Sueonibus tali modo repulsos, quidam nepos an privignus regis, ignoro, proscutus eos cum lacrymis, suppliciter se commendans orationibus eorum, nomen ei Stenchil erat, is solus super fratres misericordia motus, obtulit eis munera, transmisitque eos per montana Suedorum salvos usque ad sanctissimam Gude reginam, quæ à rege Danorum pro consanguinitate separata, in prædiis suis trans Daniam commorata est, hospitalitati elemosynisque vacans, & ceteris sanctitatis instans operibus. Quæ legatos cum ingenti honore, quasi à Deo missos recipiens, magna per eos xenia misit Archiepiscopo. Interea Sueones, qui Episcopum suum repulerant, Divina ultio subsecuta est, & primo quidem filius Regis, nomine Anund, à patre missus ut dilataret imperium, cum in patriam foeminarum pervenisset, quas nos Amazonas vocamus, veneno, quod illæ fontibus immiscuerunt, tam ipse quam exercitus ejus perierunt. Deinde cum aliis cladibus, tanta siccitas & frugum sterilitas Sueones afflixit, ut missis ad Archiepiscopum legatis, Episcopum suum cum satisfactione reposcerent, fidem gentis pollicentes. Gavisus ergo Pontifex, petenti gregi Adalvardum prescicit pastorem, qui perveniens in Sueoniam, tanta omnium suscipi meruit alacritate, ut gentem Virmlanorum, & Scritifingorum integram Christo

lucratus, etiam miracula virtutum in populo fecisse dicatur. Eodem tempore mortuus est Emund rex Sueonum, post quem Stenchil nepos ejus, de quo supra diximus, levatur in regnum.

Ex hoc itaque contextu certissimo vetustissimoque pro chronici Suecici liquet illustratione primum, Emundum Olai filium naturalem, & non Anundi, ut Johannes Gothus opinatur. Cujus origo neque fuit contra illius ætatis leges, velut idem affirmat copiosius quam verius, teste Adamo de Canuti magni prole illegitima pag. 74. *Ceterum Suenus & Harold à concubina geniti erant, qui ut mos est barbaris, equam tunc inter liberos Knut sortiti sunt partem hereditatis. Idipsum in operis sui progressu de Sueonibus confitetur pag. 140. In sola mulierum copula Sueones modum nesciunt, quisque secundum facultatem virium suarum, duas aut tres, vel amplius simul habet, divites & principes absque numero; nam & filios ex tali conjunctione genitos habent legitimos. Capitali verò mulctatur pœna, si quis alterius uxorem cognoverit, aut vi oppresserit virginem, sive qui alterum bonis suis spoliaverit, aut injuriam fecerit.* Hinc etiam co-dex legum Noricarum, filios naturales tam in bonis privatis, quam honoribus regni publicis admittit.

Quod autem pro sua stabilienda opinione alleget Johannes, Caroli Canuti nothum à successione in bonis & throno fuisse exclusum, illius non hujus ætatis declarat consuetudinem, quando Sueones solidius multò in fide Christiana fundati & informati, gentilium exosos habuere mores hujusmodi. Neque verissimæ assertioni quicquam officit, ut neque illud de contemptu liberorum clericalium prolatum exemplum. Quandoquidem neque illi hac tempestate in Suecia, Dania, Norvegia, Anglia & Islandia, quemadmodum Gothus asserit, in ullo habeantur contemptu, quod harum nationum leges vetustiores & antiquales non inficiantur; nunc à diverticulo ad Emundum revertentes.

Quem etiam Gothus, à nostris seductus chronographis, confundit cum Emundo Erici Ventosi filio, vocans ipsum *Slemma* & vilem, quæ priori imposita multo ante cognomina propter Scania, posito limite iniquo, abalienationem, & asseverans ipsum armis Scania recuperare conantem, à copiis Canuti magni per Ulphonem illuc perductis profligatum.

Quæ profecto Johannis & reliquorum assertio, infinitis prope modum à veritatis tramite parasangis exorbitat, prout ex superioribus constat manifeste paginis, verissime asserentibus, Canutum Olao & Anundo non Emundo synchronum, & successores in throno Danorum habuisse Canutum Durum & Olavum, priusquam Sueno Emundi coætaneus eundem conscenderet; Sicut etiam Ulphonem Roschildiæ dudum antea, Canuti mandato, trucidatum, & uxorem Estridem Russorum principi copulatam. Nec Saxo illam silentio involvisset victoriam, qui neque belli, neque ipsius Emundi ullam facit mentionem.

Cætera verò Johannis & aliorum de Emundo & limite, regibusque synchronis figmenta, sunt alibi confutata, quò lectorem relegamus, & denuo ad textum Adami velut cynosuram historiæ Suecicæ respiciemus. In illo nuncupatur Emundus *Gamal*, seu vetulus latine, quod Crantzius hac ratione interpretatus lib. V. cap. II. *Hic autem rex diu vivendo, ad eam pervenit senectam, ut cognomine ab annis ducto, vetulus sive annosus diceretur. Nam fratri non paucis annis regnanti, diu superfuit. Ideoque Carbonarius idem Emundus appellatus, cum unus regum Suecicorum utroque appellatus agnomine, illo propter vitæ diurnitatem, hoc ex lege minus æqua in subditos promulgata, de comburendis ædibus, delin-*quen-

quentium, quam ob tyrannidem, aliasque, non natalium, ut sentit Johannes, defectum, continuam prope rebellionem expertus subditorum.

Deinde quod Adamus de Osmundo & Adalvardo memorat, per se manifesta satis, & quidem hunc Adalbertus Bremensium Archiepiscopus, qui anno MXLIII. potitus cathedra, MLXXII. illam vi factorum deferuit, in Sueoniam direxit Adalvardum Junioem, & Tadicum, Simonem & Johannem monachum, pietate & eruditione, dignitateque insignes Episcopali, de quorum provinciis ita paraphrastes Adami, *Adalvardo senior utrique præfectus est Gothia, Junior ad Sigtunam & Upsalam directus est, Simon ad Scritefingos, & Johannes ad Insulas.*

Sed Adamus de S. Adalvardo ipsemet alio sui operis loco copiosior encomiastes pag. 142. *Primus, inquit, Gothorum Episcopus Turgoth fuit, secundus Godeschalcus, vir sapiens & bonus, nisi quod domi sedens, otium labori prætulit. Tertium autem ordinavit noster Metropolitanus Adalvardum senioem, verè laudabilem virum, qui deinde ad barbaros perveniens, sicut docuit ita vixit. Nam sanctè vivendo, ac bene docendo magnam gentiliùm multitudinem ad Christianam convertit fidem. Qui etiam virtutum claruit miraculis, ita ut poscentibus in necessitate barbaris, imbrem de celo faceret descendere, & denuo serenitatem venire, & alia quæ hæctenus quærentur à doctõibus. Is autem vir memorabilis in Gothia permanens, nomen Domini Jesu constanter omnibus predicavit, ibidemque post multos agones, quos pro Christo libenter sustinuit, victricem terræ carnem tradidit; spiritus caelum petiit laureatus. Post quem Archiepiscopus ordinavit in illas partes, quendam Acilinum, nihil Episcopali nomine dignum ferentem, præter ingentem corporis staturam. Et ille quidem carnis requiem diligens, frustra legationem Gothis mittentibus, usque ad obitum suum in delitiis Coloniae permansit. Inter Normanniam & Sueoniam Vermelani & Finvedei degunt, & alii qui nunc omnes sunt Christiani, respiciuntque omnes ad Scaranensem Ecclesiam. In consinio Sueonum vel Normannorum contra Borcam habitant Scritefinni, quos ajunt cursu feras præire. Civitas eorum maxima Halsingaland, & Halsingaland regio est, ad quam primus est ab Archiepiscopo designatus Stenphi Episcopus, quem ipso mutato nomine Simonem vocavit. Qui etiam multos earundem gentium sua predicatione lucratus est. Præterea sunt alii numero carentes Sueonum populi, de quibus ad Christianitatem conversos accepimus solos Gothos, Vermelanos, & partem Scritefingorum, vel qui illis vicini sunt.*

Verum ex hoc Adami prisco contextu, non tantum Adalvardi sanctitas admiranda, & merita in Gothorum Ecclesiam præclarissima, sed etiam quatuor ejusdem Antistites primi, vix nostratibus antea cogniti chronographis, produntur, nimirum Turgotus, Godeschalcus, Adalvardo & Tadicus. Simul etiam declarat Adamus, qui nostratium illo tempore fidem amplexi Christianam, non obscure insinuans Uplandos nec dum Christo manus in obsequium victas præbuisse, impeditos & avocatos dubio procul vicino Upsaliæ idolorum teterrimo cultu. Sed nomine Scritefingorum, Schifinnos, nempe qui lubricorum adminiculo lignorum, nivium perlabuntur celerrime cacumina, unde & feras ipsos prævertere, per auxesim affirmat, intelligit. Quo plerumque vocabulo scriptores externi abutuntur; imò & nostratium quidam ethimologia ignari, hunc Scritefingos, modò Scricfinderôs appellantes.

Denique Apostolum Helsingiæ, Stenphi, quem nostri annales Stephanum, & socium juniõris Adalvardi, Adalbertus Simonem in consecratione adpellavit, virum alias sanctissimum, & de provincia optime meritum prædit Adamus. Sed reportavit illam ab Helsingis prætantis laboribus mercedem, quam mundus plerumque hujusmodi viris per-

persolvere consuevit. Quippe postquam multis illam regionem annis ultro citroque oberrasset, indigenis verba salutis æternæ inculcando, & in veritatis agnitæ perseverantia continendo, tandem in sylva Oedmølenfi, non procul ab Ecclesia Hambrungenfi nefariè trucidatur ab osoribus sanæ doctrinæ, & ab ejusdem amatoribus binis inde milliaribus in cœmiterio Ecclesiæ Noralensis tumulatur, ubi etiam hodiè vestigium sepulchri obscurum conspiciunt adventantes. Cæterum fertur idem vulgò Stephanus, Jemptis vicinis Evangelium prædicans, saxum, in valle alpibus contermina Norvagicis, suscitasse, & his rythmis Suecicis, prophetiam continentibus, à me quondam latinitate donatis, inarasse:

*Cum Sueo susceptat peregrinos undique mores,
Templaque cum claustris subvertunt superiores,
Firmus adhuc extat lapis hac in valle virenti.
Cum peruersorum mundo florentior est sors,
Sed crux dira probis animis infligitur & mors,
Firmus adhuc extat lapis hac in valle virenti.
Presbyter agricola similis sed quandò vigebit,
Agrique cultorem mirari jure licebit,
Stratus humi pausat lapis hac in valle virenti.*

Verum ego sub initium reformatæ in Suebna religionis à quibusdam in exterminationem denique peregrinorum morum hoc carmen reor conscriptum & publicatum, cum nulli veterum scriptorum illius meminerint saxi, neque Olaus Magnus, antiquitatum Sueticarum diligentissimus investigator, & in Jemptia versatus, vel Johannes illius germanus, quidquam de hac statua posteris tradiderint; Sicut etiam quod sæpius proximo quæsitum seculo, & nusquam inventum, ipsaque rythmorum vocabula nuper nata, non tantam videantur redolere verustatem.

Denique ad principalem Adami de Adalvardo narrationem aciem oculorum & calami convertentes, & paraphrasten illius inprimis de quodam Adalvardi apud Noricos patratò miraculo, ac quod Crantzius libro IV. capite 33. suæ Metropoleos percenset copiosius hinc mutuatum auscultantes: *Adalvardus Episcopus à rege Haroldo invitatus venit in Normanniam, ibique corpus viri cujusdam qui ante LX. annos defunctus est, nec omninò putrescere potuit, facta absolutione reconciliationis, mox in pulverem redegit. Erat enim ille homo quondam à Libentio Archiepiscopo propter piraticam excommunicatus, ut ipsi per visionem revelatus est Adalvardo.*

Ipsemet verò Adamus pag. LV. asserit primariorum unum de Ascomannis piratis, Ecclesiam Hamburgensem & diœcesin universam incendio & rapinis divexantibus, hunc extitisse, & non LX. sed LXX. annis post Ascomannorum primam eruptionem, quæ sub Erico Victoriæ oso Sueonum & Danorum rege, non Canuto Duro, ut Crantzius & Vellejus somniant, contigit, teste Adamo paginâ citatâ, mansisse incorruptum. Nec Crantzius in sua Metropoli satis consentit sibi, cum libro IV. capite XXV. Ascomannos primum egressos regnante in Dania Canuto Duro, quam obtinuit MXXXVI. & MXLII. per mortem deseruit, & deinceps libro eodem capite XXXIII. asserit ipsos & præfatam Norvegum sententiam excommunicationis incurrisse, latam

à Libentio seniore, qui sedem nactus Bremensem anno DCCCC-LXXXVIII, & resignat moriturus MXIII. Tandem vero libro tertio capite 42. sequens Adamum, recenset sub Erico Victorioso post Suenonis expulsionem Ascomannorum factam primo eruptionem. Quanquam non me fugiat sæpius ipsos egressos, variis illius ævi temporibus; tamen de prima utrobique loquitur Crantzius, & illam intelligit Adamus excursionem, quam propter maledictionis fulmen vibravit in piratas illos Libentius. Itaque cum Ascomanni primum egressi circiter annum DCCCCLXXXV. & Adalvardus, transactis inde LXX. Haraldum in Norvegia invisens, illud operatus in digito excelsi miraculum, sequitur ipsum anno MLVI. ad Norvegos peregrinatum, & superiori sexennio in Sueoniam profectum.

Atque hæc pro illustratione scholii primi, nunc alterum mox subsequens de B. Adalvarde subnectere operæ pretium duximus: *Adalvardus quoque a rege Haraldo invitatus in Norvegiam venit, & pro sanctitate & fama virtutum ejus, honorifice susceptus est, cui abeunti Rex tantum pecuniæ obtulit, ut exinde statim CCC. captivos redimeret. Adalvardus autem junior eo tempore veniens in Gothiam, cognominem suum reperit infirmum, cujus exequias cum tactu procurans, Sigtoniam properavit. Sed postea cum repulsus esset à paganis, invitatus venit ad Scaranensem civitatem, quod nostro Archiepiscopo valde displicuit, quare sicut violatorem canonum Bremam eum vocavit. Unde præ aliis constat Adalvardum Scaris decessisse, nec tamen mox post eam de Norvegia reversionem, cum tempore Stenchilli vel Halstani filii migratio contigerit Adalvardi, præsentem juniore Sigtunensium Episcopo, quod luculentius infra commemorandum, nunc obiter ex Adamo insinuandum, B. Adalvardum visione quadam cœlitus immissâ, dum Bremensis Ecclesiæ ageret Decanum, ad monstrandam Sueonibus salutis viam provocatum & invitatum, & hoc pacto illius historiam finiendam, ad Emundi remeando, à qua longius progressi sumus.*

Ac imprimis quidem scholiastes Adami copiosius illam filii Anundi in terram fœminarum descripsit expeditionem: *Cum rex Sueonum Emund, inquit, filium suum Anund in Scythiam ad dilatandum regnum suum misisset, ille navigio in terram pervenit Fœminarum, quæ mox venenum fontibus immiscentes, ipsum regem & exercitum ejus tali modo peremerunt.*

Hanc verò terram fœminarum, quam alibi vocat Adamus frequenter Amazonum, affirmat paginâ sui operis CXXXVIII. conterminam Estoniæ, quam gentes ex Scandia progressæ occupantes, reor fœminis & reliquæ multitudini imbelli tradidisse inhabitandam, ut quibusvis liberatæ impedimentis, porrò ad nationum aliarum pergerent expeditius debellationem. Atque ita usque tempora Emundi mansisse illam provinciam in potestate hujusmodi fœminarum. Verum Emundus, nimio gravatus senio & mœrore propter filii præmaturum nimis interitum, anno regni XI. & salvati generis humani MLXI. charissimum in fata secutus filium.

Enimverò mortem Emundi hoc anno accidisse inde non dubio colligitur calculo, quod Adamus Emundo Stenchillum subroget verissime, qui nostrorum assensu chronographorum quinquennio sceptramoderatus est Suecana, & eodem, quo Haraldus Noricorum rex vitæ spoliatus usurâ, in sepulchrum anno illatum, testimonio quoque Adami pagina CXI. Sed Tilius Anglorum Historicus, & Huitfeldius, aliique non pauci horum scriptores temporum, testantur Haraldum S. Olai fratrem uterinum in Anglia cæsum pridie Idus Octobris, anno MLXVI. Horum

proinde collatione paulisper factâ, nullo deprehendetur negotio, Emundum MLXI. extremis absumtum fatis, & Stenchillum eodem vel sequenti orbem Sueciæ thronum scandidisse, illoque MLXVI. mortis violentia spoliatum. Lincopiæ autem tumulo regem hunc mandatum, cum Gotho non existimo, aut Scaris paterno & fraterno arbitror certò conditum cenotaphio, idque propter rationum superius producta momenta & documenta.

Itaque Stenchillus, anno MLXI. post Emundum sceptrum Suecorum suscepit moderanda; non Haquinus, ut perperam nostrates asseverant annales, quibus desertis, malo historiam sequi Bremensem, a viro prudentissimo, & rerum nostrarum gnaro hac prorsus ætate conscriptam, Stenchillo, non Haquino secundum fata Emundi, porrigentem regni Suecici habenas, & ita loquentem pag. 88. *Eodem tempore mortuus est Emund rex Sueonum, post quem Stenchil nepos ejus, de quo supra diximus, ledatur in regnum, qui fidelis erat Domino Jesu Christo, & de cujus religione omnes fratres testimonium perhibebant, qui eas partes adibant.*

Simul etiam hinc liquet contra plerosque nostrorum chronographorum, non Olai ex sorore nepotem, ut Gothus somniat, tempore & producto Adami testimonio reluctantibus, sed Emundi nepotem, & quidem ex filio, ut certus opinor, Anundò, in Amazonia profligato, quem Adamus etiam regio dignatus supra vocabulo. Atque ita Stenchillum Olai ex filio notho Emundo fuit pronepos, à fratre Anundi Jacobi genitus, ideoque post avi mortem proximus regni hæres diadema suscepit. Quod autem chronicon memoratum paucis antè lineis, Stenchillum Emundi appellavit privignum, vel nepotem, tandem fasces illi porrigens corrigit, nepotem asseverans, & illo regnante miraculum occæcati sacrificuli testans contigisse hoc sermone pag. 145. *In eadem provincia nuper res contigit memorabilis, & pro dignitate gestorum longè divulgata, pervenit etiam ad notitiam Pontificis. Quidam enim è sacerdotibus, qui ad Upsalam demonibus astare solebat, nequicquam jurantibus diis factus est cæcus. Cumque vir sapiens, infortunium orbitatis suæ cultura idolorum imputaret, quæ superstitione venerans, potentissimum Christianorum Deum offendisse videretur, ecce ipsa nocte apparuit sibi virgo decora nimis, interrogans si filium ejus credere vellet, ut visum reciperet, abjectis quæ ante colebat simulacris? Tunc ille qui nihil ardui renueret subeundum pro hoc dono, ita se facere latus spondidit. Adhuc virgo; scito, inquit, certissime hunc locum, ubi nunc tantus innocentium cruor effunditur, in meo dedicandum proxime honore, in qua re ne tibi aliqua dubietatis signa remaneant, in nomine Christi, qui est filius meus, tu recipe lumen oculorum tuorum. Mox ille lumine recepto, credidit, pertransiensque totas in circuitu regiones, facili fide paganis persuasit, ut crederent in eum qui cacum illuminavit. Quibus miraculorum causis impellentibus, statim noster Metropolitanus obediens voci quæ dicit: Respicite & levate oculos vestros, quoniam regiones jam albae sunt ad messem, ordinavit in illas partes Adalvardum juniorem, de Bremensi choro assumptum, virum literis & morum probitate fulgentem. Cui etiam per legatos clarissimi regis Stenchil sedem posuit in Sigtona civitate, quæ distat ab Upsala itinere diei unius. Est verò iter ejusmodi, ut à Sconia Danorum per mare deliscans, quinto die pervenias usque Sigtonam vel Bircam, juxta enim sunt. Si verò per terram eas à Sconia per Gothorum populos & civitatem Scaranensem, Telgas & Bircam, completo mense pervenies Sigtonam. Relatum est autem nobis à quibusdam Adalvardi stipulatoribus, cum primum Sigtonam accessisset, ad unam missarum celebrationem, ad manum sibi oblatas LXX. marcas argenti, tantæ enim sunt devotionis omnes populi arcticae plage. Tunc etiam occasione itineris divertit Bircam, quæ nunc in solitudinem redacta est, ita ut vestigia civitatis vix appareant: quare*

quare nec tumulus S. Uvni Archiepiscopi potuit inveniri. Adalvardus igitur magno prædicandi fervore Evangelij Suediam ingressus, omnes qui in Sigtona erant & in circuitu, brevi temporis spatio ad Christianam fidem perduxit. Conspiravit etiam cum sanctissimo viro Eginone Sconiensis Episcopo, ut pariter adirent illud templum paganorum, quod Upsala dicitur, si forte aliquem Christo laboris sui fructum ibi possent offerre, omnia tormentorum genera libenter suscepturi, ut illa destrueretur domus quæ caput erat barbarica superstitionis. Illa enim diruta, vel potius cremata fore ut tota gentis conversio sequeretur. Quam confessorum Dei voluntatem pius rex Stenchil in populo murmurari sentiens, callide submovit eos à tali cæpto, asserens & illos statim morte damnandos, & se à regno depellendum, qui malefactores in patriam duxerit, & facile omnes ad paganismum relapsuros, sicut in Slavonia nuper factum potest videri. Talibus regis allocutionibus consentientes Episcopi, omnes Gothorum civitates peragrabant, idola confringentes, & multa paganorum millia deinceps lucrantes ad Christianitatem.

Non multum profecto diffimile est hoc conversionis exemplum, Paulinæ prope Damascum occæcationi & illuminationi; Atque sub regimine hujus Stenchilli, non Erici Stenchilli, aliàs Victoriosi, ut Johannes & Ericus, aliique nostrates asserunt falso historici, accidisse illud miraculum. non solum ex textu constat allegato verum etiam ex tempore Adalberti sedentis in cathedra Bremensi, quando illud contigit divinitus, & Adalvardum eapropter in Sueoniam ablegantis. Nam illa decoratus Archiepiscopus dignitate MXLIII, quam resignat moriturus MLXXII. Erroneaque inprimis nostratium sententia sub Adalgario rem memorantium factam, & Adalvardi & Stephani huc profectiorem institutam. hoc potissimum Adami certissimo suffragio convincitur, aliisque in historia Erici Victoriosi productis copiose testimoniis confutatur. Deinde perspicuum ex inducto Adami tenore, prius Sigtoniæ fundatam Episcopam, quam Upsaliæ, illicque adhuc idolorum viguisse culturam. Adalvardum verò inter annum MLXII. & MLXVII. Sueoniam ingressum liquet etiam quod illo regnaverit Stenchillus tempore, & Episcopum suscepit honorifice venientem, loco Sigtoniæ morandi assignato, ubi dum sacris primum operatus, illa liberalis præsentata oblatio, nimirum LXX. libræ argenti puri, quas author per marcas, ex consuetudine loquens Sueonum, intelligit.

Ex hoc quoque contextu Andreas Velleius captavit occasionem plurima comminiscendi de situ urbis Bircensis, quæ alias discussi commenta, licet author situm non vocet in dubium, illum non raro describens, & distantiam; sed tantum affirmet illo ævo in solitudinem redactam vix urbis ostendere vestigium. Itaque si Birca tum temporis solo æquata formam non retinuerit urbis, quomodo Adalvardus flagellatus Upsaliæ, ut quidam sentiunt, illuc velut ad asylum profugerit; vel ut alii somniant, illic à paganis cæsus, Bircæ tumulatus? Et quidem testantur hæcenus prolata vetustatis testimonia, neutrum horum Upsaliæ martyrio affectum, vel Bircæ tumulo conditum; Quandoquidem Adalvardus senior apud Scarenfes mortem & sepulchrum reperit, junior autem pulsus ex Uplandia furore gentilium, & fortè virgis etiam cæsus, non Bircam, ast Scaram vocatus, ut scholion testatur supra inductum, profugerit, Ecclesiæ suscipiens regimen. Ideoque Archiepiscopus illi plurimum indignatus, Bremam revocat, defunctoque ibidem substituit Tadiconem, prout eadem testantur prisca scholia: Adalvardo, inquit, apud nos defuncto, subrogavit Archiepiscopus quemdam à Ramsola Tadiconem, qui propter ventris amorem, domi famelicus esse maluit

luit quam foris apostolus. Et paulo ante: Adalvardus autem junior eo tempore veniens in Gothiam, cognominem suum reperit infirmum, cujus exequias cum luctu procurans, Sigtoniam properavit. Sed postea cum repulsus esset à paganis, inditatus venit ad Scaranensem urbem, quod nostro Archiepiscopo valde displicuit: Quare sicut violatorem canonum, Bremam eum vocavit.

Demum ipsemet Adamus in Epistola quadam suo operi inserta, sed ab Archiepiscopo Roschildensi Episcopo Vilhelmo hac de re perscripta hoc loquitur pacto pag. 128. Nunc autem fraternitatem vestram latere nolo, quid molestie mihi Adalvardus Episcopus intulit, quem, vobis testibus, qui ordinationi ejus interfuistis, Sigtonensis Ecclesie consecrari Pontificem, quem dum barbarus gens sibi praeesse nollet, Scarensem Ecclesiam invadere cepit. Peto igitur ut nuncium meum qui illuc iturus est, ad Dalbogensem velit Episcopum dirigere.

Ex secundo autem liquet præterea scholio, Adalvardum seniore, rege in Svecia Stenchillo, mortem Scaris oppetiisse, cum illi junior, tunc regnum primo ingressus, adfuerit agonizanti, qui legatus Stenchilli fuit ab Antistite Bremensi impetratus, velut rex ipsemet fatetur in contextu Adami introducto; Reorque mox in primordio regni hujus seniore fati sublatum, & juniorem vocatum annum circiter MLXIII.

Atqui nunc ad prolixum Adami de Stenchillo sermonem reversus, comperio zelum Adalvardi & Eginonis Scanensium Episcopi laudabilem, pro extirpatione superstitionis Upsalinae, sicut etiam prudentiam pietissimi regis perspicio singularem, qui sensuit idolum prius de corde, quam altari tollendum. Cui proinde sapientissimi præfules merito auscultant, relicta Sueonum, pro tempore, pervicacia, Gothorum se conversioni fideliter accingentes. Nec amplius in Uplandiam puto Adalvardum remeasse; sed in Gothia aliquandiu strenuam gentis conversioni navasse operam, & tandem nuncio præfato Archiepiscopi suboffensi, Bremam revocatum, non sine grandi neophytorum in Gothia detrimento, immò & Sueonia, quæ diu præfulis destituta solatio, continuis gentilium furoribus premebatur, quos religiosissimus Stenchillus, morte præventus, & temporum remoratus iniquitate, sedare nequivit, multò minus illum famosum Upsaliae Deorum cultum penitus eliminare. Quod tamen falso Crantzius in sua memorat Suecia, idque Popponis & utriusque Othincari asserens virtute perfectum, & non considerans Popponem, MXIX. mundo valedixisse, Othincarum seniore prius multò, & juniorem MXLIII. juxta calculos Huitfeldii, consortia vivorum deseruisse. Verum quidquid Rex zelosissimus pro religionis incremento Christianæ, & paganae decremento effecit superstitionis, illud sedula inprimis operâ Eginonis, Adalvardi & B. Eschilli præstitit. Super vixit siquidem Eginus, ad annum MLXXII. quem ipse fatalem cum Adalberto præfule habuit Bremensi, non attingens regimen in Dania Haraldi & Canuti filiorum Estritii, ut hallucinatur Huitfeldius, qui parenti anno MLXXIV. defuncto per ordinem subrogati.

Pari modo labuntur indigenæ Gothorum scriptores, in recensendo Stenchilli obitu, utpote quem inprimis timore furentium paganorum, latibula quæfivisse, deinde fidem abjurasse Christianam, & tandem nihilominus ab iisdem necatum referunt, turpiter hunc constantissimum principem cum Erico Stenchillo seu Victoriouso commiscentes, qui formidans insurgentis plebeculae insaniam, religionis desertor factus, & jugulatus, velut in historia illius alias comprobatur. Neque Adamus illorum temporum fidelissimus scriptor, illud Christianissimi filuisset infortunium, qui honorificam morientis Stenchilli facit mentionem quodam operis sui textu mox producendo.

Triplicem verò nostræ tribuunt Stenchillo victoriam, à Danis illo regni sui quinquennio reportatam. Velut etiam corporis molem quandam insignem, giganteam fortitudinem, atque incredibilem sagittandi peritiam, in prædio Levinensium regio artis triplici documento commonstrato, eidem assignant, amoremque in Vestrogothos peculiarrem, ubi etiam post fata ultima ipsum arbitror sepultum, idque in Ecclesia Livenensi, vel potius Scarenfi, prope avita sepulchra. Qui non circiter annum Christi MC. paucis additis, vel demptis, ut narrat Crantzius, sed ex sententia nostri Adami, multo candidiore & vetustiore, prope annum MLXVII. Etenim suæ Historiæ Ecclesiasticæ, pagina III. testatur eodem quo Haraldus Noricorum rex in Anglia occubuit, quod MLXVI. certo contigit certius, Stenchillum in Suecia vitam cum morte permutasse: *In Sueonia inquit, per idem tempus Christianissimus rex Stenchil defunctus est, post quem duobus Ericis de regno certantibus, omnes Suedorum potentes in bello occubuisse feruntur. Nam & ambo reges ibi perierunt, ita prorsus deficienti omni regali prosapia, & status regni mutatus, & Christianitas ibi turbata est valde. Episcopi quos illic Metropolitanus ordinavit, persecutionem metuentes, domi sederunt. Solus Episcopus Sconia procuravit Ecclesias Gotborum, & quidam Sueonum satrapa Gniph ad Christianitatem populum confortavit, & illo tempore clarissimus inter barbaros fuit Suein rex Danorum.*

Hoc præterea constat Adami testimonio, non Ingonem, quem nostri perperam substituunt historici, sed binos Erici vocabulo gaudentes, Stenchillo in thronum submissos, qui amborum simul non capax, ad cruentissimum civile bellum, in quo illi cum primaria regni nobilitate succubuerunt, protrudebat. Verum quod in eodem simul prælio regia progenies univèrsa penitus sit eradicata, memorat quidem hoc Adamus textu, sed in scholiis suis mox producendis, Halstano Stenchilli filio scepra porrigit secundum cædem præfatorum regum, & nostri unanimiter chronographi Halstanum Stenchillo genitum affirmant, & Ingonem, qui post varios regni tumultus, eodem potitus, Halstani pronunciant una voce germanum. Proinde miror Andreae Vellej impudentiam, in scholio quodam, huic textui adscripto, asseverantis regiam Sueonum stirpem omnino hac cæde funditus sublatam, quod nemo Historicorum prodat nostratium, quo sanguine Ingo cretus Stenchilli successor, & ad Ericum Upsalensem audacter provocantis. Qui tamen verbis apertissimis asserit, Ingoni mortuo Halstanum fratrem subrogatum, qui teste Adamo filius Stenchilli, & proinde natus eodem patre Ingo, quorumlibet rectè sentientium iudicio. Huic reliqui, quotquot sunt scriptores nostrates, immò & Albertus Crantzius suffragatur sententiæ.

Deinde quod idem similiter Vellejus, narret diversum nostros historicos ab Adamo Regum suorum statuere ordinem, videlicet Stenchillo Haquinum, huic Ingonem, & tandem Halstanum, nulla Erici allicujus facta mentione, submittere, illud neque ego inficior. Sed non ideo subscribo illorum narrationi, potius quam Adami, utpote hac viventi tempestate, & literis verissimè gesta mandantis, & mihi quidem sit amicus Plato, at magis amica veritas. Qua etiam permotus causa Huitfeldius, Saxonis plerumque sententia posthabita, potius & tutius Adami censuit adhærendum. Quocirca chronicon secutus Bremenense, Stenchillo duos illos Erici nomine vocatos principes successores assigno, illis Halstanum, huic Anundum, & postea Haquinum, in quo deficiente Adamo, nostratium selectiores & sinceriores comitabor Historicos, Haquino Ingonem seniore, inde Suenonem Sanguinariū, postmodum

modum Philippum filium, Ingonem juniorem, Magnum, Ragvaldum & Suercherum legitimo ordine subrogando, & nunc interim ad contemplationem textus allegati reflectendo curriculum, ex quo insuper manifestum tantam etiam in Christianos motam persecutionem, ut Episcopi Bremam reversi, non sunt ausi multo tempore in Sueoniam remeare, interea religiosissimo viro Eginone Lundensi & Dalbyensi Antistite, Christianos in Gothia confortante, prout alio copiosius testatur loco Adamus pag. 134. *Egino, inquit, cum esset vir sapiens & literatus, ac castitate insignis, tunc etiam totum studium ejus exarsit in conversione paganorum. Quapropter multos adhuc populos idolorum cultui deditos vir ille Christo lucratus est, illos praesertim barbaros qui Blechani dicuntur, & qui in Holmo insula degunt. Qui omnes ad ejus praedicationem conversi in lacrymas, poenitentiam sui erroris ita monstrarunt, ut confractis statim idolis, ultrò certarent ad baptismum properare. Mox etiam thesauros & omnia quae habebant, sternentes ad pedes Episcopi, flagitabant ut haec dignaretur accipere. Quod renuens Episcopus, docuit eos ex eadem pecunia fabricare Ecclesias, egenos alere, & captivos redimere, qui multi sunt in illis partibus. Fertur idem vir magnanimus eo tempore, quo in Suediam persecutio magna Christianitatis incanduit, Scaranensem Ecclesiam, ceterosque fideles, eo quod Pastore carebant, frequenter visitasse, consolationem ministrans his qui in Christum crediderant, incredulis verbum Dei constanter annuncians. Ibi etiam opinatissimum Fricconis simulacrum in frustra concidit. Pro quibus virtutum insignibus, à rege Danorum magno deinceps vir Dei honore habitus, defuncto mox pingui Henrico, utramque Sconiae parochiam, scilicet Lundensem & Dalboensem gubernandam recepit. Qui mox Lundæ sedem Episcopalem constituens, apud Dalbogiam praeposituram fratrum regulariter videntium esse praecipit. Itaque XII. annis in sacerdotio nobiliter exactis, clarissimus vir Eginon à Romana regressus urbe, mox ut domum pervenit feliciter migravit ad Christum, eodem anno quo noster Metropolitanus & Fynensis Episcopus decesserunt.*

1172.

Interea verò, dum Eginon sub hac persecutionis procella Gothos in fide confortat, pientissimus heros Gniph, secundum Adamum, quem ego Griph rectius arbitrò vocandum, Sueones in veritatis Christianae retinebat & confirmabat sedulo agnitione, alias regnum Sueciae Gothicae aequè universum ad pristinam idololatriae relapsum fuisset abominationem. Nam illius maxime urgebant pagani, aliquantulum collapsae, restorationem, ideoque praefatus belli viguit non modico tempore Christianos & gentiles inter tumultus, his praevalescentibus, & quatuor per ordinem reges Christianissimos varie tribulantibus, ut ex sequentibus constabit paginis, haecque generalis illa regni Suecici & Gothici apostasia censetur, cujus nostri frequenter meminerunt chronographi, nec omnino enotare potuerunt, quae etiam B. Eschillum, Stregnensis Ecclesiae praesulem sanctissimum trucidavit.

Haec de negotio religionis hac tempestate, id luculentius in nostro Chronico persecutori Ecclesiastico, nunc ad Regum revertamur catalogum, quem Adamus in scholiis hoc pacto fideliter recenset: *Duobus Ericis in proelio interfectis, Halstein filius Stenchil regis, in regnum levatus est. Quo mox depulso, accersitus est Anunder à Russia, & illo nihilominus amoto, Sueones quendam elegerunt Haquinum.*

Itaque quod primum attinet hunc Ericum & illius homonymum aemulum, quibus orti parentibus, nec Adamus, nec Crantzius, neque ullus nostratium meminit scriptorum, ita ut cum ipsis uno quasi tumulo, omnis ipsorum memoria & historia videantur contumelata. Non obscura tamen colligere licet conjectura, regio procreatos sanguine, & priorem fortè Anundi Jacobi, & alterum Stenchilli filium vel fra-

fratrem, de regni diademate post obitum Stenchilli tantis armis & animis decertantes, ut mortem pro sceptro uterque sit consecutus.

Deinde Halstanus regni admotus clavo, Stenchilli filius, ordinum unanimi consensu, princeps non superbia intolerabili, velut Crantzius comminiscitur, inflatus, sed Erici testimonio, cujus utar verbis, mansuetus, benignus, tractabilis, omnia in meliorem interpretans partem, in concordia & tranquillitate regni negotia dispensans, cujus ob interitum gens Sueonum nimio affecta mœrore, ipsum non secus ac parentem deflevit. Idque de Christianis interpretandum, cujus adversum paganos causam Halstanus acerrime propugnans, mox regno fuit exutus, nec restitutus ullibi historiarum invenitur. Unde liquet quantum sinceritatis quorundam habet assertio, XVI. annorum ipsi attribuentium falso imperium. Illud tamen ex Crantzio, Johanne & Erico conspicuum, Halstano apud Sueones dominante, Sueonem Estritium Danorum Regem fati absumptum, diadema filiorum numeroso agmini transmisisse. Atque cum obitus Suenonis in annum MLXXIV. vel MLXXVI. juxta quosdam alios incidat Chronographos, & biennio deinceps evoluto, primogenitus Haraldus parenti fuerit substitutus, teste Huitfeldio, circiter annum MLXXVIII. Halstano regni fasces à Sueonibus porrectas liquet manifeste. Neque Philippum filium illo regni diadema tempore usurpasse, velut Gothus hallucinatur, quos inter Anunder, Haquinus, Ingo & Sueno, ipsum non tam diu quam potenter gestarunt, evincitur luculenter.

An verò Canutus, insidias declinans fraternas regnante Halstano fugerit in Sueciam, in dubiis relinquo, cum Saxo Regis non expresso nomine, fugam Canuti in Sueoniam duntaxat memoret, neque incerta pro certis lectori obtrudere decreverim. Canutus autem, qui postea in divorum relatus numerum, hinc transacto biennio reversus, vacuum morte fraterna Danorum capeffit fastigium, anno MLXXX. quod Othoniæ MLXXXVII. impie trucidatus germano tradidit Olao. Interim Sueones Anundo, quem Crantzius Amandrum, & quædam nostratum fragmenta Chronicorum *Neskonungæt* vocant, in Russia ob gentiliam in patria furorem latitanti, tradunt sceptra revocato post Halstani depositionem. De cujus natalibus alienigenæ & indigenæ scriptores altum tenent silentium. Regia tamen progenie dubio procul oriundum, & Christianæ addictissimum religioni inde conspicuum evadit, quod Crantzius ipsum pro vitando sacrilegio, dudum contemptui habuisse imperium, & illi prætulisse diuturni temporis exilium, idque potius & melius ducens, quam nefario idololatriæ piaculo se contaminare. Immo regia Suecorum & Gothorum potitus dignitate, cum denuò sub regni jactura ad idem stimularetur flagitium, folio iterum prætulit exilium, aut vitæ privatæ in patria solatium non tantis obnoxium sceleribus, quod præter Albertum Adamus suis confitetur scoliis: *Nuper autem Christianissimus rex Sueonum Anunder, cum sacrificium gentis statutum nollet demonibus offerre, depulsus à regno, ibat gaudens à conspectu concilii, quoniam dignus habebatur pro nomine Jesu Christi pati.*

Promovetur deinde ad regni gubernaculum Haquinus cognomento Ruffus, juxta M. Adamum, quem nostri immediate subrogant Emundo historici, horum non satis periti temporum. Et quidem Johannes synchronum Canuto Duro & Magno Danorum facit Regibus, non absque insigni temporum legitimo calculo irrogata injuria. Nam etiam si Haquino secundum ab Emundo successionis gradum attribuierim; Non

tamen Góthus illud ulla evinceret ratione, ut neque illud synceriorum testimonio scriptorum probabit, quod hujusmodi Haquinum & Stenchillum inter pactum de successionis periodo intercesserit, cujusmodi inter Canutum & Magnum fuerat constitutum.

Lubens etiam cognoscerem, quibus Ericus rationibus inductus, vel documentis informatus, Haquino XIII. gubernationis regiae tribuat annos, in tanta potissimum Reipublicae, tam Ecclesiasticae, quam Politicæ perturbatione, in qua brevi admodum tempore, unus Regum ab illo seditiosorum manipulo sublimabatur, alius ab alia factiosorum cohorte deturbatur. Quibus regnum jactabatur fluctibus, velut oceanus undarum aestu reciproco, donec Philippus illius axioma nactus, illam nonnihil sedaret tempestatem. Nobilissimo autem genere ortus fuit Haquinus in Livina Vestrogothorum, territorio Vistaherenfi, & illic, non Varnhemiae, quemadmodum nonnulli male sentiunt, mortui obtinuit corporis depositionem.

Denique foret alius quidam Erici Upsalensis, circa tempora Haquini gravissimus error confutandus, priusquam ad Ingonem descenderem, nisi tam esset cuique manifestus, ut me tacente sua proderetur magnitudine, & propria corrueret mole. Etenim asserit ille, Haquinum Ruffum eodem in Suecia dominatum tempore quo Imperator Otto, similiter cognomine Ruffus Romano praefuit axiomati, qui circiter annum M. urbi & orbi per mortem valedixit. S. vero Albertus. quem Ungaris hoc tempore & Polonis Christum censet annunciaffe, à Prutenis caelis anno DCCCCXCVII. teste Martino Cromero in historia Polonorum. Ex quo aliisque productis & in posterum producendis nostrorum erroribus historicorum, liquet non obscure, quantis Sueonum chronicon passim fallaciarum tenebris involutum hactenus permanferit.

Sed festino ad Ingonem seniore Stenchilli filium, & Halstani fratrem, qui decedente Haquino, regni suscepit moderationem hoc quidem ordine, non illo quem nostrorum plerique falso praetexunt. Quippe documenta vetustatis producta certissime demonstrant, ipsum post Stenchillum, Ericum, Halstanum, Anundum & Haquinum, Sueciae gubernationi manus admovisse. Atque Suenonis censent nostri scriptores universi antecessorem immediatum, sicut & antiquissima regni Breviaria, eò quod regno pulsus à Suenone, causam paganorum contra fideles Christi sectatores tuente, secesserit in Scaniam, quam armis subactam tenuit triennio, & tandem illic Scanorum perfidia nocte occisus, in Vestrogothiam reportatur, & non cœnobio Varnhemensi, ut communiter historia testatur Suecana, cum illud nec dum prima foundationis sortitum sit primordia, quod in vita Suercheri regis probandum est; sed in cœmiterio Ecclesiae Hongrensis, prope curiam regiam Ingetorp, & monasterium Gudhemense, humatur: ubi etiam hodie illa monstratur adventantibus sepultura, non eo quidem splendida sumptu opereque quo cœnotaphia principum modernorum decorantur. Namque cippo instrata polito, saxea pedes caputque cruce religiose magis quam sumtuose vel pompose stipantur.

Deinde ut nostri de sepultura Ingonis cespitant historici, ita quoque circa obitus labuntur turpiter annum, MLX. statuentes. Neque minus erroris admittunt. Suenonem Estritium ipsi coetaneum & generum afferentes, velut liquidò probant paginae superiores, sine nova eorundem inculcatione argumentorum. Sed illa nostratium assertio plurimum falsitatis, contendens B. Sigfridum multis ante annis mortuum, hoc tempore,

pore, Ingonis mandato, Ecclesiæ Sudermannicæ S. Eschillum consecrasse & præfecisse Antistitem, quod præcedens operis hujus manifestat discursus. Non tamen inficior S. Eschillo consanguineo id muneris collatum à B. Sigfrido, sed non hoc tempore, neque isto in Sueonia regnante Principe. Illud vero certissimum martyrio Eschillum insigni coronatum, Ingone fidei propugnatore, regnis exturbato, quod mox in Suenonis historia memorandum. More suo demum confundunt Ericus & Johannes seniore cum juniore Ingone, secuti quædam vetustatis vitiata fragmenta, dum horum referunt opinionem de Ragvaldo hujus filio, & Helena Regina, Philippoque patruele, ad historiam Ingonis junioris jure spectantibus & illic producendis. Hinc etiam decepti quidam scriptorum, Eschillo palmam martyrii assignant; anno MCXXIX. alii MCXXXIX, quod legerint ipsum regnante cæsare Ingone, & hoc tempus quoque morti viderint tributum Ingonis junioris, ita res & tempora imprudenter commiscentes.

Atqui Ericus de Ingone seniore hujusmodi reliquit virtutis encomium pag. 74. *Ingo vir magna strenuitatis & liberalitatis, magnanimus & justitarius præcipuus, & præcipue in seipso, ut testimonium habuerit à toto regno quod nunquam contra leges patriæ deliquisset. Hunc dicunt contra Dacos in Scania pluries triumphasse, & ad extremum ipsam Scaniam plena jam possessione tenuisse. Sed postquam eam in suo dominio per triennium habuisset, nocte quadam dum minus fideliter à suis, quasi de Scanensibus jam securus seruetur, clanculum est occisus.*

Utrum verò bellum Volodomiros, Russorum principi, quod Johannes asserit, ab Ingone illatum, pro certo non possum adstruere, cum nullibi historiarum illud præterea legerim, & temporum justior calculus huic minus videatur favere opinioni. Sed arma in rebelles ipsum expeditivisse subditos, & regno victoriaque spoliatum, pro indubitato asserendum.

Nam pagani Christiana nimium pressi disciplina, Ingonis mandato, seditione facta, Ingone in Scaniam propellunt, & Suenonem quendam idololatriæ studiosum, ad regni diadema promovent, prout historia Sueonum, & præcipue Lincopensis testatur Ecclesiæ breviarium, hunc civilem tumultum & S. Eschilli recensens hoc tenore martyrium: *Denique idem humani generis adversarius quosdam perversos contra regem Ingonem fidei defensorem acri livore inflammavit. Hi videntes illicita ab ipso sibi non licere, collecto exercitu, Regem in bello victum fugarunt de regno, præficientes sibi in regem Suenonem quendam, impium & indignum decore regio, dictum Blodsuen. Et merito sic vocatum, quia eos permisit bibere sanguinem animalium simulacris libatum, & vesci idololatriæ. His gestis pugile fidei in agone triumphato, multitudo infidelium una cum Rege suo convenit Strengenes in loco idololatriæ, ut immolatis bobus & ovibus, victimas Diis suis libarent, feceruntque ibi grande convivium ob reverentiam Regis & venerationem Deorum; De quorum victimis comedebant adipem, & bibebant vinum libaminum, fausta regi novo acclamantes. Tempore illo Episcopus Eschillus apud Ecclesiam Fors residens, his rumoribus auditis, fortis zelotes indutus lorica justitiæ & scuto fidei protectus, acceptoque gladio spiritus, quod est verbum Dei, cum Clericis suis & paucis aliis ad idololatrias accessit. Intrepidus itaque in medio stans predicando arguit ipsos, quod obliti Domini Creatoris sui immolaverint demoniis & non Deo. At illi ut aspides obturaverunt aures suas ne legem Dei audirent, verbis ejus oblatrantes. Cernens autem hæc vir Dei, oculosque & manus in cælum levans, rogavit Deum ut faceret aliquam suæ ostensionis evidentiæ, per quam incredulorum corda saxea cognoscerent ipsum esse solum Deum verum. Finita vero oratione, mox fragore magno intonuit Dominus, grando, nix & pluvia descendentes, aras immolantium & hostias destruxerunt, super Episcopum ne gutta pluvie venit. Quo viso filii Be-*

lial furore repleti, impetum fecerunt in eum. Unus autem ex ipsis ariolis Spabudde nomine, caput ejus lapide percussit; alius vero securi testam confregit. Tunc sanguine sacro de vulneribus fluente, perfusus est lapis in quo stetit, qui adhuc apparet in eo indelebilis, sicut peccatum Juda stilo ferreo scriptum legitur in ungue adamantino ob memoriam facinoris execrandi. Interim S. martyrem semidivum in terra cecidentem quidam nobiles rapuerunt, & ad Regem traxerunt, ac ne sine causa pati diceretur, asserabant ipsum magicis artibus, ob injuriam Deorum nunc aërem concitasse, statimque à Rege iniquo in eum sententia mortis lata, ductus in vallem ubi nunc situm est claustrum Prædicatorum, pro zelo fidei & defensione veritatis lapidibus obruitur, vitam finiens temporalem, & æternam in cælis feliciter inchoans. Quæ vetustatis pagina inprimis revelat posteris, Ingone in Scania cæso, S. Eschillum Stregnesiæ, velut B. Stephanus protomartyr lapidibus obrutum, in loco hodiè mons regiùs appellato, juxta quem olim asceterium fuit Dominicanorum, mandato Gustavi regis solo æquatam.

Itaque Sueno rerum in Suecia potitur certo illa trieteride qua Ingo Scaniam moderatur extorris, at quanto deinceps tempore, & quo mortis sublatus genere, posteris non innotuit. Deinde colligitur quoque ex hoc textu, solennem illam idolorum Upsaliæ venerationem, hac tempestate desolatam fuisse, idque vel Halstani aut Anundi, vel certe hujus Ingonis zelo Christiano, eaque propter continua subditorum gentilium rebellione jactatos, & tandem relegatos; quam pagani in loco tutiore restauraturi, Stregnesiam idolorum transferunt obsequia, cum superiori ævo illam Upsaliæ duntaxat solenniter frequentarent, ut Dani in arce Letrensi prope Roschildiam. Præfata verò Halstani, Anundi, Haquini, Ingonis, & Suenonis gubernatio, degradatio, exulatio, trucidatio & religionis perturbatio, Eschillique migratio, inter annos MLXXVIII. & MXC. contigerunt; quæ proinde temporum intercapedo Sueonibus & Gothis fuit admodum luctuosa, bello patriam civili flagellante, quod externo quovis à prudentibus rerum æstimatoribus longè perniciosius censetur.

Hoc etiam tempore Dania fraterno flagrabat diffidio, & tandem Haraldo vivis sublato, & Canuto coronato, aliquandiu respiravit; qui septennio prudenter & religiose clavo assidens reipublicæ Danicæ, inter alia rerum gesta, etiam regni præsulibus secundum à Rege dignitatis & sessionis assignavit gradum; Qua etiam dignitate Sueonum Antistites, deinceps quoque decorati, illam continuo usurpantes ad annum MDXXVII. quando in frequentibus Arosiæ comitiis, mandato regis Gustavi hac exuti prærogativa.

Sed jam ad Eschilli agoniam, qua gloriose bravium lucratus sempiternum tempore memorato, & veris spirante favonio, prope festivitatem Paschatos. Corpus verò exanime ad Ecclesiam reportatum humeris & lachrymis Christianorum, ubi primam & alteram in cœnobio trans fluvium propinquo, postea in Divi honorem fundato, depositionem obtinuit. Sed utrum illius aliqua deinceps ad Ecclesiam Stregnesiæ Cathedralē facta translatio, mihi non constat; illic tamen sicut & toto Suecorum regno, D. Eschilli festività ingenti peragebatur sollemnitate XI. Junii, quo die sanctus athleta de mundo & Diabolo, illiusque sequacibus triumphavit speciose. Saxum autem in quo primum certavit, hodiè insertum parieti in cæmiterio Stregnesiensi ossuariæ, non obscura curiosis vestigia monstrat cruoris, quò regis Johannis III. mandato perductum ex civitate, ubi civis cujusdam à reformatæ religionis tempore fulcrum præbuit ædificio, antea muro valvis Ecclesiæ vicino propter reverentiam inclusum.

Hoc etiam labente mundi ævo, post annum MLXXXVIII. Folcho nobilissimus Sueonum unam filiarum D. Canuti Danorum Regis, & alteram Ericus Gothorum dynasta, duxerunt conjuges; teste Saxone lib. II. *Hæc audiens Regina, patriam cum filio impubere repetit, geminis post se relictis filiabus, ex quibus Ingertha Folchoni Sueticæ gentis nobilissimo nupta, Benedictum Canutumque filios habuit; iisdemque mediantibus, Birgerum, qui & nunc extat, Suecia Ducem cum fratribus suis nepotem accepit. Verum ex Cicilia matrimonio, Ericus Gothorum præfectus, Canutum cum Carolo procreavit. Ex quibus generosissimarum imaginum numerosa posteritas, clara propinquitatis serie coherens emerfit.*

Johannes Gothus & Huitfeldius à Crantzio seducti testantur hoc celebratum anno MLXXXVI. conubium, cum Canutus anno MLXXXVII. impiè per ficarios cæsus, & Saxo, ipsumque sequens Crantzius, affirmant Adelam Regis conjugem, mariti audita necè, filias illic liquisse, postmodum à Principibus ductas memoratis, & fugisse in Flandriam; ideoque non ante, sed post obitum patrum nupsere virgines illæ clarissimæ, Sueonum heroibus. Quarum illi amplexibus dignissimi, licet Huitfeldius invidia quadam laborans, non ipsas Canuti Regis, verum potius alterius filias primatis, sub dubio tamen, asseverat, liquidissimæ Saxonis reluctans malignè profus sententiæ. Sed valeat lividus ille, ac prædeat Folcho cum Ingertha conjugè præstantissima, quorum progenies Sueonibus notissima, Erixi autem & Cæciliæ temporum invidit nobis iniquitas propaginem, cum præterea nullam in memoriâ, vel historiâ ipsius habeamus notitiâ. Itaque genero relicto, pergamus ad focerum S. Canutum, qui testimonio Huitfeldii in Chronico Ecclesiastico, pro regni Danici insignibus ex una figilli pagina usurpabat effigiem Regiam, in throno Majestatis sedentem, cum hæc in circuitu inscriptione:

PRÆSENTI REGEM SIGNO COGNOSCE KNUTONEM.

Ex altera Rex equitem agit cataphractum, sublimi caballo insidens, hæc innotescens Epigraphè:

HIC NATUM REGIS MAGNI SUB NOMINE CERNIS.

Unde conspicuum Regibus borealibus hujusmodi insigniorum emblemata olim communia fuisse, cum veteres Sueonum Reges iisdem quæque usos in archivo constet, in publico regni decreto confirmando. In privato autem negotio roborando, aliis illos arbitròr usos insignibus, quod etiam Huitfeldius illic de suis affirmat, nullis productis documentis, nec cogatur fateri Canuti successores in republ. Danica illos quatuor deinceps pro insignibus arrogasse sibi leones, licet illud veritati non multum repugnare videatur, huicque integrum cuique adhærere opinioni, donec secus Dani comprobarint.

Sanè miror Danos in dissertatione de jurè trium Diadematum, plerumque Sueonibus objicientes aliis non usos insignibus ante regimen in Sueonia Regis Alberti, quam hujusmodi, cum ipsimet antiquiora monstrare nequeant, & revera multo post Canuti obitum tempore, illas quatuor beluas caperint usurpare, pedesentim illis adgregantes alias, cum titulo regionum Iliadè Homeri propediem majore futuro, quem alibi ventilabimus penitus, in gratiam antiquitatis amantium, non odium inclytæ Danorum gentis, vel ignominiam, cum honori non dedecori sit, regnorum suorum angustias, novo ditionum incremento propagare, quam titulorum & honorum emblematumque comitatur augmentum, dummodo id Marte honesto & non arte fiat infidiosa.

ofa. Hæc de insignibus utriusque gentis, nunc Reges & imprimis Philippum contemplabimur.

Philippus Halstani filius, non anno MLXXX. thronum adiit, ut Johannes opinatur, neque S. Canuto synchronus, aſt Olao fratri Regi Danorum, & circiter annum MXC. Rex ſalutatus, cui noſter Ericus hujusmodi liquit encomium, de veterum hiftoriis petiti pag. 76. *Erat autem Philippus patri per omnia in vivendo & regnando conformis, homo pacificus & manſuetus, omnium ſubditorum ſuorum benevolentiam hauriens & amorem.*

Chronologia verò Jacobi Giſlonis, XXX. annorum Philippo imperium aſſignat, non Chronographi alicujus ſuffragio nixus, ſed conſuetis conjecturis, ſyncero temporum calculatori indigniſſimis. Multo ſane melius poſteris, & tamæ conſulit propriæ Hiftoricus incerta tacendo, quam pro certis lectori credulo paſſim incerta obtrudendo; neque mendacium & adulatio, ſed veritas, & candida rerum narratio, patriæ decus parit & emolumentum. Quamobrem cum de Philippo priſci ſcriptores aliud non tranſmiferint poſteritati, aliquid commiſci indecorum duco, ad Ingonis me conferens hiftoriam æquo trutinandam momento.

Ingo junior IV. in catalogo Regum Suecicorum legitimo, appellatus hoc nomine, Philippo genitus fuit parente, ſecundum Gothi ſententiam, temporum rationi magis congruam, non Halſtano ut pleræque noſtrarum hiftoriarum falſo continent; Regni autem Suetici poſt fata paterna regimen nactus MXCVI. labente.

Quo etiam intervallo Philippus in fata conceſſit, ſceptrum filio porrigens, idque hoc deprehenditur computu: Magnus cognomento Nudipes Noricorum Rex, Margaretam Ingonis filiam ſibi connubio junxit, poſtquam anno MLXXXIX regnum adeptus Noricum defuncto patre Olao Kyrre, quod cæſus in prælio Irlandenſi, anno MXCIX, Oſteno & Sivardo filius viciffim commendavit; Ac proinde ſi Ingo non præfato annorum interſtitio nactus Suecorum habenas, ſaltem illo dominatum Sueonibus tempore argumentum hinc capitur evidentiffimum. Præbuit autem huic occaſionem matrimonio, bellum quod Magnus ratione limitum Ingoni moverat, qui ſine cunctatione hoſtem aggreſſus, arcem in ditione Sueonum fundatam ſolo adæquat, præſidiariis ad deditiorem compulſis in Norvegiam remeantibus. Unde pacis componendæ gratia ſequenti confluunt æſtate ad civitatem Kungellenſem, Ingo Sueciæ, Ericus Cyprius Daniæ, & Magnus Norvegiæ, Reges potentiffimi, ubi pax utrinque firmiffima decernitur, hac inter reliquas conditione, quod Ingo filiam Magno conjugem traderet, non huc compulſus, ut Saxo & Crantzius commiſcuntur, utpotè victor de Norvegiæ regno Sueciæ profligatis, quemadmodum Norvegiæ teſtatur chronicon, ſed amicorum motu conſilio, pacem & filiam Magno Suecus deſpondet. Ex qua tamen nullam ſuſcepit prolem, non multo poſt connubium tempore apud Irlandos in fata concedens.

Atqui præfata Noricorum hiftoria eximium tribus illis Scandiæ monarchis attribuit encomium, affirmans illa tempeſtate vix ullibi terrarum, principes majori corporis elegantia, proceritate, & ſermonis eloquentia, quam Ingo, Ericus, & Magnus fuerint, reperire licuiſſe, ac potiſſimum Ingo, aliis craſſior & virilior, quo ſolum procerior fuerat Ericus. Hic autem Danorum eſt Rex, cujus opera moderatio Eccleſiæ Scandiavæ Hamburgeniſibus ſubducta præſulibus. Nam etſi dudum Suecia, Dania & Norvegia ab illo peregrinorum jugo Antiffitum, machinatæ libera-

liberationem, tamen potentia & autoritate Bremensium in urbe hactenus remoratae, & nunc Ericus hac occasione negotium aggressus, Daniam quodammodo liberavit. Enimvero Dani Julinensium in Vandalia crebris excursionibus, mare infestum reddendo exasperati, huius auspicio Regis insigni crudelitate vindictam de ipsis sumunt. Qua Liemarus præsul Hamburgensis tyrannide plurimum offensus, quod utraque natio suæ jurisdictioni subjecta, Erico maledictionis intentat sententiam. Sed Danus pronunciationem antevertens, ad Romanum provocat Pontificem, & illuc se actutum confert, intolerabile Bremensium in Boreales populos Archiepiscoporum exaggerando & deprecando iugum. Sed re pro voto nec dum succedente reversus, & Jerosolymam anno MCIV. versus iter ingressurus, per legatos Romam destinatos, Pontifici revocat in memoriam postulata, & impetrat, ut Cardinalis Albericus in Daniam expeditus, locum & personam tanto muneri circumspecturus idoneam, Lundensem Ecclesiam & illius Episcopum Asferum honore decoraret metropolitano.

Interea Hamburgensis non ignorans hanc molitionem, dissimulat, quod speraret certius hoc adminiculo, se patriarcham regnorum Borealium evasurum. Verum plus multo accessit hinc Ecclesiæ Hamburgensi decrementi quam incrementi, adeo ut Crantzius in sua queratur Dania, nullum barbarorum furorem, qui sæpius illam pervasit, tantum ipsi attulisse detrimenti, quantum præfata Ecclesiæ Scandianæ subductio importavit. Ubi etiam se corrigens, temporum ratione victus, asserit non sub Adelberto, quod tamen in sua narrat Metropoli, sed illius successore Liemaro, annum circiter MC. ex mundo migrante, illud dispendium, vel potius ruinam trahere cœpisse Hamburgensem dignitatem. Idem similiter libro memorato, Saxonis deceptus insomniis, asseverat Ecclesiam Sueonum & Noricorum eodem Bremensibus subductam tempore, Lundensi submissam fuisse potestati. Qua dignitatis accessione reliqui Danorum scriptores plurimum triumphant, Saxonis indubiam figmentis adhibentes fiduciam, & alia non producentes ex suo vel Romano, aut Hamburgensi documenta, fidem assertioni conciliantia, tabulario.

Itaque nos Saxonis fluxæ non fatis tutum adhærere opinioni censes, Sueones & Norvegos Hamburgensi auscultasse jurisdictioni, donec peculiarem deinceps quoque nacti Antistitem, arbitramur, præfatis rationum momentis provocati. Sicut etiam quod neque Sueonum, neque Noricorum antiquiores quicquam de hac memorent annales subjectione, immò neque ullus historicorum peregrinorum. Ac quod Saxoni admodum solenne miras nationi suæ victorias, triumphos, imperia & gubernacula reliquarum gentium affingere; Ideoque ut prius mundi borealis absolutum Danis tribuit politicum diadema, ita nunc mitram, illius plenissimo jure dominam, falso assignat Ecclesiasticam. Deinde si Lundensis Præsul illa pollebat antea potestate in Sueones, cur ipsam denuo à Nicolao impetrat Cardinali Anglico? Atque cum nostri hac metamorphosi aratrum jugo & servitutem ergastulo permittassent, nemo sani iudicii homo, sibi persuadet, ipsos non potius Ecclesiæ Bremensi, velut primæ genitrici, nutrici, & altrici, multo vetustiori, illustriori, nobiliorique adhærendum sibi duxisse, quam illa posthabita, Danorum se addicere obscuritati & protervæ authoritati, eaque turpi exorbitatione limpidiſſimis desertis fontibus, putidissimas sectando sponte lacunas. Huic denique Suecorum accedit robur sententiæ

firmissimum ex vetustissimo quodam fragmento, historiae Hamburgensis ad calcem appposito petitem, utpote in quo Sivardus Ecclesiae Upsalensis Episcopus, anno MCXLI, & MCXLII. Athelborem, tertium à Liemarò, Bremensis diœceseos Antistitem, asseritur visitasse, & dubio procul non in aliò quam Religionis negotio, Lundensem illo non dignatus honore Archiepiscopum.

Atqui Saxone missò, ad illius sectatorem accedamus Huitfeldium, cum ut ille in historia, sic is non satis in temporum memoria, primordio Lundensis Archiepiscopae assignata, sibi constare videtur. Quippe in historia Erici Cyprii, sub illo affirmat pallio Asserum circiter annum MC. fuisse donatum, quod vero nequaquam simile, cum Ericus anno MCIV. proficiscens Jeròsolymam, & in via sequenti anno spiritum exhalans, necdum, teste Saxone, consensum Pontificis obtinuerit, in ipso de patria egressò Romam nuncios rem porrò continuaturos & consummaturos expediens. In Ecclesiastica verò historia refert prima Lundensis Archiepiscopatus incunabula, ad MCLXXXIV. annum, idque multo cum veritate minus consentit. Siquidem Asgerus dudum vita functus, & hoc evincamus calculo, Norvegiam & Sueciam tali insignitas multo prius dignitatis titulo, cum illa MCXLVIII. & hæc MCXLXIII. velut operis progressu constabit, eodem decorata, quod tamen dissonum veritati. Sed hunc non tam Huitfeldio, quam librariis & typographis censeo adscribendum errorem, utpote quem etiam fatuus, horum percurrens temporum annales, propemodum evitaret.

Ipsemet demum probe animadvertens, priorem temporum non consonam assertionem, statuit Asgerum anno sedis XXXIV. redempti autem per Christum orbis, MCXXXVIII. postquam X. annis, paucis additis, munere functus Archiepiscopali, de vivorum numero sublatum. Unde licet colligere, Asgerum Episcopalia nactum insignia propè annum MCVI, regnante in Dania Haraldo, Erici Cyprii filio, & in cathedra sedente Romana Paschali II. verum Archiepiscopi cumulatam prærogativa inter annos nostræ salutis, MCXX. & MCXXX. palli collatione à Calixto II. vel Honorio II. aut certè Innocentio II. interim Romana fulgentibus insula, Nicolai Danorum regis patrocínio tunc dominantis impetrata; Cui Crantzius in Dania quoque adstipulatur assertioni, velut temporum periodo & veritati præ reliquis liquidò concordanti. Huitfeldio autem præbuit hallucinandi occasionem, quod negotii tractationem cum consummatione, & Asgerum Episcopum, cum ipso, dignitate Archiepiscopali ornato confunderet. Quocirca hoc currente mundi tempore, Dania Hamburgensem deserit obedientiam, postquam annis CCLXXXVI. ipsi fideliter obtemperasset, ab anno nimirum DCCCXXXIV. usque MCXX. facta supputatione.

Hujus deinde vestigium secuta, Sueonum & Noricorum Ecclesia, precibus & precio instat apud Latium quoque Antistitem, & tandem impetrat, ut Eugenius hoc nomine III. Nicolao Cardinali Albanensi, anno MCXLVII. Archiepiscopum utrobique designandi faceret potestatem. Ideoque ex Anglia in vicinam profectus Norvegiam, Johannem Nidrosiensis diœceseos præfulem regni conditione & commoditate aliquandiu lustrata, salutat Archiepiscopum, anno MCXLVIII. Indè verò Sueoniam ingressus, illic Suerchero dominium obtinente, fidelissimo hujus dignitatis promotore, concilium Lincopiæ indixit eodem labente anno, ubi Gothis & Sueonibus de loco & persona tanto idoneis muneri corrixantibus, nec concordantibus, quod utraque natio illam contenderet

sibi

fibi tribuendam dignitatem, re propemodum infecta Legatus hinc abiit in Daniam, apud Eschillum Lundensis Ecclesiæ Archipræsulem pallium deponens, illi postea conferendum, quem Sueonum & Gothorum unanimis approbaret consensus. Quamobrem Eschillus Cardinalem hospitem donis & blanditiis aggressus, obsecrat ut sibi & successoribus liceat impostero Archipræsulibus Suecorum consecrationem impertiri, & pallium ex urbe transmissum imponere, Romamque perveniens sua illud autoritate impetrare non dedignetur. Nicolaus suam spondet operam, ac deinceps secundum Eugenii & Anastasii obitum ad fastigium honoris Pontificii sublimatus anno MCLV. voto Eschilli satisfecit, teste Crantzio, ambitionem Dani merito suggillante lib. 5. *Nam rediens in urbem Nicolaus, inquit, mortuo Anastasio, creatus est Pontifex sub nomine Hadriani, perfecitque publicæ religionis Præsul, quod privata Legationis minister annuerat. Et quid contulit? revera manum, ut dicitur, splendoris plenam. Et tam facile placantur ab Italis nostri sua magnificentibus!*

Attamen hic gloriæ fumus & honoris pulvisculus tantopere in hunc usque diem titillavit historicos Danorum, ut in suis ad nauseam scriptis illum inculcent, & præsertim illo triumphant titulo sine vitulo, in sermone vernaculo, quo Primas & Princeps eodem indicantur vocabulo & efferuntur perperam, plenis ingeminantes buccis, Eschillus Sueciæ Princeps, Esgerus Sueciæ Princeps, Tuvö & Birgerus Sueciæ Principes & Legati Borealium Regnorum apostolici; spectatum admitti risum teneatis amici, vel potius crepitus, cum parturiant montes nascatur ridiculus mus. Neque minus cachinnis & fannis dignum, quod Saxo Legatum ea propter hoc muneris Eschillo contulisse affirmet, ut stomachantem propter Norvegiæ subtractionem placaret Antistitem, quasi magnopere tantus vir Eschilli curaret indignationem, & non potius vice versa Eschillus Nicolai horresceret offensionem, Pontificisque execrationem, à quo hæc provincia fuerat injuncta, & sine cujus mandato non liceret quidquam Cardinali, pro tempore designare, ideoque nec Eschillo tot munera in Suecorum permittere & promittere Antistitem. Potissimum verò cum non Papæ duntaxat, sed etiam Suecici monarchæ & subditorum ad hæc requireretur consensus. Unde Adrianus postea, Sueonibus inconsultis promissa exequens, hoc lucratus ut progressu temporis illa Eschillo delegata potestas sensim cum Romanæ & Danæ sedis evanesceret dedecore, & Suecicorum Antistitem, illa durante, identidem experiretur utrinque rebellionem, ut sequentes monstrabunt paginae, donec tandem Sueones de cervicibus suis hanc Danici Præsulis excuterent omninò arrogatam potestatem, licet bullis quoque Lucii, Clementis, Cælestini & Innocentii III. Adriano in cathedra succedentium jactent Dani confirmatam, & nullam illarum in suis producant omnibus historiis, præterquam Innocentii, anno MCCI. ambitione Andreae Lundensis Archiepiscopi impetratam. Hanc autem tam avidè Huitfeldius arripuit, ut impressam MDC, tomo historiarum suarum primo prius excuso, velut per crines ex latibulis adductam, intruferit.

Unde non mediocre suspicandi captò ansam, vindicatæ olim in Suecanam Ecclesiam prærogativæ, non alia Danos producere documenta posse, majorisque esse ambitionis quam ut illa tanto annorum spacio, cum dispendio fumosi tituli in tenebris archivorum delitescere paterentur, intereà longè minoris æstimationis integris ex prælo in lucem publicam quotidie producentes plaustris, monumenta & figmenta.

Velut etiam hinc quanto ambitionis vitio, & alus dominandi laborent Dani cupidine, meridiano clarius sole, dilucescit. Siquidem cum spartam hujusmodi, de qua nihil emolumenti, præter inanem tituli usurpationem, ad ipsos redundaret, tanto affectarint desiderio, quanto putandum illa munia & gubernacula, ipsos æstu & astu expetere, quæ immensa in Daniam commoda pleno velut alveo derivant! qua hætenus effectum dominandi libidine, ut Danorum angusta tellus vel cancer indies serpat per conterminas vicinorum feracissimas ditiones.

Sed Norvegiam dignitate novi gestientem & ovanem Antistitis à diverticulo respectemus, & forte querentem etiam de Huitfeldio, Præfuli non legitimum anni calculum apponente, prout etiam Affero Lundensi turpiter imposuit. Quamquam non tam huic quam Crantzio succensendum, quem secutus Huitfeldius falso statuit anno MCLIV. In hoc tamen Danus veniam non meretur, quod contra manifestam Saxonis & Crantzii sententiam, asserat Nicolaum Romam reversum ex Norvegia, Suecia & Dania, ubi ante septennium fuit constitutus, hoc anno primum impetrasse, ut Anastasius Norvegis Archiepiscopum impertiret, cum ita loquatur Saxo lib. 14. *Per eadem tempora Nicolaus urbis Romæ Cardinalis, Britannicum permensus oceanum, Norvagiæ Lundensium ad huc ditiori parentem, immunitate concessa, maximi Pontificatus titulis insignivit. Quod in Suecia quoque legationis potestate cupiens peragere, Sueonibus & Gothis de urbe & persona tanto muneri idonea concordare nequeuntibus, certamini decus negavit.*

Immò Huitfeldius pagina immediate præcedenti, in Chronico Ecclesiastico, memorat Nicolaum MCXLVIII. in concilio Lincopensi Sueonibus, pallium, insigne Archipræfulum, obtulisse, qui cum ex Norvegia tum advenerat temporis in Sueoniam, necessario evincitur hinc & Saxonis testimonio, Norvegiam eodem Archiepiscopum anno consecutam, idque beneficio Eugenii III, qui ab anno MCXLVI. ad MCLIII. sacris præfuit Romanis, & Nicolaum pro illo in Norvegiæ & Sueciæ negotio expediundo ablegavit. Anastasius verò Eugenii successor, anno MCLIV. solummodo rata & grata censet suo diplomate, quæ Nicolaus in Norvegia MCXLVIII. in Archiepiscopi, & Cathedræ peregrisset constitutione, subjiciens metropoli Nidrosiensi, Aslogensem, Hamnarensensem, Bergensem, Stavangerensem, Orchadensem, Suderensem, Islandensem & Gronlandensem, amplissimas Episcopas.

Atqui quod Huitfeldius memoret, Johannem Archiepiscopum Nidrosiensem, anno MCLII. proclamatum, & MCLIV. inauguratum, pallio ab Anastasio percepto, illud si verum, hac intelligendum ratione, quod superiori primus decedens quinquennio Antistes, à Nicolao deputatus, Johannem liquerit successorem ab Anastasio, insignibus destinatis, approbatum; Quandoquidem Cardinalis primo secum attulerit pallium Archiepiscopo Nidrosiensi, & contulerit, Suecorum discordantium in Dania tantisper deposito. Etsi Huitfeldius in Catalogo Præfulum Nidrosiensium, ipsemet suam hac ex parte hallucinationem prodere videatur, narrans Johannem à Nicolao Cardinali MCLIV. Nidrosiæ insignitum, & manifestæ oblectans veritati, Albanensi Romæ tunc temporis commorante, & cathedram sequenti anno conscendente.

Ideoque non satis Huitfeldii cohæret narratio, potissimum in historia Suenonis III. Danorum Regis, sub quo refert Nicolaum Papam Anglicum opera sui Legati Cardinalis Albanensis, Norvegiæ Archipræfulum designasse, ignorans eundem Nicolaum Cardinalem Anglicum & Antistitem vocatum Albanensem. Deindè his non contentus somniis, addit ipsum

psum postea Leonem IV. appellatum, quem inter & hunc Adrianum LXXI. intervenere Pontifices. Proinde miror cum tantis ipsium erroribus suas pro-
 dire in lucem publicam voluisse lucubrationes, operæque pretium face-
 ret Danorum aliquis si denuò illas sub incudem revocaret. Verum quid-
 quid tandem Huitfeldius prætermittit, nunquam Lundensium in Sueca-
 nam olim Ecclesiam omittit Primatis vocabulum umbratile, ac quod Da-
 ni pro sua modestia quondam non eandem apud Norvegos impetrarint
 eminentiam, portentò simile. Nec aliam deprehendo causam, quam
 minus inde sibi accessurum honoris existimarent, aut hoc simul efflagi-
 tantes, cum ignominia passi repulsam. Hæc de Archiepiscopa Daniæ &
 Norvegiæ, nunc Sueciæ contemlemur incunabula.

Hæc patriam dignitate studuerunt ornandam, & Bremensibus sub-
 ducendam quantocius, religiosissimi Suecorum & Gothorum reges, In-
 go IV. Suercherus II. Ericus Jeduardi, & Carolus, qui tandem nego-
 tium ad apicem perduxit, idque anno MCLX. secundum Huitfeldium, alios
 MCLXIII. vel MCLXIV. Mihi autem probatur annus MCLXII, quod Kop-
 mannus Upsalensis Ecclesiæ præsul, & Stephani Archipræsulis primi anteces-
 sor, illo vitam terminaverit, Stephano mox forsân subrogato, qui jux-
 ta vetustissimum Ecclesiæ Upsalensis librum in membrana exaratum, an-
 no sequenti ab Alexandro III. nactus insignia, recuperato etiam titulo
 Primatis à Lundensi, & jure in Suecanam Ecclesiam universo, teste i-
 plomet Huitfeldio in historia Canuti VI. pag. 17. *Anno, inquit, MCLXXXV.
 vita desungitur Stephanus in Suecia primus Upsalensium Archiepiscopus, & in cæno-
 bio humatur Alvaltrensi. Prius autem Suecia Lundensi fuit subjecta Præsuli, sed ille
 vocabulum recuperavit Primatis Suecici, ut deinceps illo gauderet.* Cui fanè te-
 stimonio, nisi secus veritas & antiquitatis certissima suaderent documen-
 ta, possemus adversum Danos inniti, & hoc operè non falsi ast veri pa-
 trocinium & propugnationem suscepissemus, seposito in patriam alias
 charissimam omni tantisper amoris & honoris affectu, ut quilibet synce-
 rus arbiter me veritatis investigandæ cognoscat studiosissimum.

Enimverò manifeste constat Lundenses illo Primatis titulo, multis
 post Stephanum annis, cum ægra Sueonum patientia gavisos, identidem
 nostris in curia Romana obluçantibus, & tandem triumphantibus: In-
 terea vero Stephanus, Johannes, Petrus, Olaus, Valerius, Olaus II, Jer-
 lerus, Laurentius, Folcho, & Jacobus mandato parentis Romani Præ-
 sulis, Lundis ferme benedictionem, & pallium ex urbe per nuncios ti-
 triusque Ecclesiæ impetratum acceptarunt, confirmatione à Pontifice o-
 mnium primò impetrata. Quod negligens Magnus Boëtii Jacobi succes-
 sor, & assensu ex urbe non petito, inaugurationem à Lundensi acce-
 ptans Roschildiæ MCCLXXVIII. pallium a Martino IV, & Honorio
 IV, sine quo munia non licet sua obire Archiepiscopo, plurimum ea
 propter indignantibus nunquam affecutus, operâ vicarii quoad vixit of-
 ficio satisfaciens per diæcesin Upsalensem. Proinde Magno defuncto suc-
 cedens Johannes Episcopus Abogensis, vir religione & eruditione infi-
 gnis, & infortunio cautior factus Antecessoris, neque consecrationem aut
 pallii impositionem, multo minus confirmationem voluit à Lundensi Jo-
 hanne Grand XI. illius Ecclesiæ Archiepiscopo suscipienda, sed à Ponti-
 fice Latio Anagninæ tunc residente impetranda honestius & consultius de-
 crevit. Quamobrem Lundensis, homo alias teste Huitfeldio furiosissimus
 & inquietissimus, indignatione & ira percitus fulmina certatim vibrat in
 Consistorium Upsalense, atque Johannem Candidatum, nullam ducens ra-
 tionem appellationis ad superiorem factæ Magistratum. Ideoque Upsa-
 lensis

lenfis hanc publicat toto regno contra Lundensem admonitionem & protestationem, anno MCCXC.

In nomine Domini, amen. Quia nos frater Johannes, Dei gratia Electus Upsalensis Ecclesia, reputamus nos quam plurimum gravatos ex eo & pro eo, quod D. Lundensis Archiepiscopus sententias aliquas excommunicationis & interdicti tulerit de facto in Præpositum & Capitulum Ecclesie nostræ Upsalensis; cum tamen longe ante dictarum sententiarum pronuntiationem per ipsos, scilicet Præpositum & Capitulum ad sedem Apostolicam extitit appellatum, prout plene in literis super hoc confectis patet. Ideo oportunum volentes adhibere remedium, ac præcavere ne prætextu sententiarum, quas inanes reputamus, utpote post appellationem legitime interpositam latarum, per dictum D. Lundensem, scandalum grave in populo nostræ provinciæ suscitari videatur, sub pœna excommunicationis decrevimus prohibendum, ne quis suffraganeorum, seu aliorum subditorum nostrorum, dictas sententias, seu alias quascunque per ipsum ferendas, in Ecclesie nostræ Upsalensis præjudicium, publicare præsumat, seu à suis subditis publicari permittat. Alioquin noverint, qui contra hanc nostram inhibitionem præsumentes, sententiam excommunicationis, quam ex nunc ut ex tunc ferimus, in his scriptis, incurrant ipso facto. Lata est hac sententia Upsalia per nos fratrem Johannem Electum Upsalensem anno Domini MCCXC. XII. Calendas Decembris. In hujus rei testimonium, sigillum Capituli nostri, una cum sigillo nostro, quo in minori statu utebamur, presentibus est appensum.

Interim verò Anagninæ nuncii Ecclesie Upsalensis, illuc superiori anno à Petro Arosiensi Episcopo, velut Papæ in Suecia commissario perpetuo, destinati, causam urgent sedulo liberandæ Sueciæ à tyrannide Lundensium, ignari hujus in patria tumultus, à Johanne Dano furiose commoto, prout sequens testatur Legatorum instructio:

Sanctissimo Patri ac Domino, Sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesie summo Pontifici, Petrus Dei gratia Episcopus Arosiensis, totumque Capitulum ejusdem loci oscula Beatorum. Noscat Vestra Sanctitas reverenda, quod nos facimus, constituimus & ordinamus, nostros & Ecclesie nostræ Procuratores, Actores, Syndicos & Nuncios speciales, providos & discretos viros, Dominum Nicolaum Decanum, & M. Laurentium, Canonicos Ecclesie Upsalensis Metropolitana nostræ, quemlibet eorum in solidum, ita ut non sit melior conditio occupantis ad representandum de nostro & Ecclesie nostræ nomine, coram Sanctitate Vestra, & ad exponendum damna, gravamina, & importabilia onera, quæ obvenierunt, obveniunt, & obvenire possunt nobis, & præfate Ecclesie Upsalensi, pro eo & ex eo & ea occasione, causaque, quod Lundensis Archiepiscopus contra nos & Ecclesiam Upsalensem sibi vendicat, & vendicare nititur Primatiam, asserens quod Up-
salen-

salensis Electus, confirmationem, consecrationem, & etiam pallium recipere teneatur. Et ad supplicandum Sanctitati Vestrae, quatenus compatientes nobis & Ecclesiae nostrae Upsalensi, apponere dignemini remedium oportunitum, ut dicta Upsalensis Ecclesia, occasione hujusmodi ulterius non gravetur. Damus insuper dictis Procuratoribus, & cuilibet eorum in solidum potestatem in animas nostras, & cuilibet nostrum, praestandi de calumnia & de veritate dicenda, & cujuslibet alterius generis juramentum, restitutionem in integrum, principaliter & incidenter, semel & pluries, petendi & faciendi in praedictis & causa praedicta, quidquid nos ipsi facere possemus, si praesentes essemus. In praedictis autem omnibus & singulis, alium seu alios Procuratores semel & pluries substituendi, qui eandem in omnibus habeant potestatem, & inde ipsos procuratoris officium resumendi, quotiens eis & eorum cuilibet videbitur expedire, promittentes sub hypotheca & obligatione omnium honorum nostrorum, nos ratum, gratum & firmiter perpetuo habituros, quidquid per dictos procuratur, & eorum quemlibet substitutum, seu substitutos ab eis & eorum altero, actum, gestum, & procuratum fuerit in praemissis & circa praemissa. In cujus rei testimonium praesentes literas fieri fecimus, & sigillorum nostrorum munimine roborari. Datum apud Feringö XII. Calendas Julii.

Verum tardius in curia negotio Anagnensi procedente, anno sequenti Johannes Candidatus illuc iter instituens, in Galliae ditionibus antequam pertingeret Anagniam festo Nativitatis Parthenicae vitam & spiritum exhalat; cujus inde funus anno MCCXCIX. Upsaliam decenter perlatum, digno honore conditur apud Dominicanos Sigtoniae, quorum prius extiterat moderator. Quamobrem hujus morte Upsaliam perlata, designatur Nicolaus Alonis, vir eximiae prudentiae, & tunc etiam Anagniae in aula Bonifacii VIII. summo cum eruditionis praeconio conversans, Archiepiscopus Upsalensis, qui non difficulter mox insignia muneris à Pontifice obtinuit, contempta Lundensis potestate & brutis fulminibus. Olaus deinde XIII. Upsalensis Archipraesul, & tertius à Nicolao, blanditiis Esgeri Lundensis mystae seductus, anno MCCCXV. illic capessit inaugurationem, imò & quandam electionis confirmationem, prout Magnus Vexionensis Ecclesiae Antistes his confirmat literis:

Universis praesentes literas inspecturis, Magnus Dei gratia Episcopus Vexionensis, & Ulpho Canonicus ibidem, ac Boëtius Curatus Ecclesiae Gardby diocesis ejusdem, salutem in Domino sempiternam. Praesentibus litteris notum facimus & testamur, quod nobis praesentialiter assistentibus Lundis confirmationi & consecrationi venerabilis in Christo patris Domini Olavi Dei gratia in Archiepiscopum consecrati, ipse Dominus Olaus profitebatur publice in hunc modum nullo penitus verbo addito vel remoto: Ego Olaus Upsalensis Ecclesiae sedis ordinandus Episcopus, & Sacrosancto ministerio vestro praedicationis officium suscepturus, profiteor sanctam & ineffabilem Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse, unius substan-

tia, unius natura, unius majestatis atque virtutis; Coeternum Patri
 & Spiritui Sancto Filium in tempore confiteor, de eodem Spiritu
 Sancto conceptum, & de Maria virgine natum credo: Qui passus
 pro salute hominum ad inferna descendit, indeque victor resurgens &
 in Caelos ascendens, venturus est in fine seculi, ut reddat singulis se-
 cundum opera ipsorum. Præterea instituta & præcepta IV. princi-
 palium Synodorum, videlicet Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina &
 Calcedonensis, Canones quoque Synodos & decreta, quæ orthodoxa fi-
 des suscipit, me suscipere & prædicere velle confiteor; Hæreses ac schis-
 mata, & quidquid sanæ fidei adversatur, condemno & anathemati-
 zo: Atque privilegio tuo sanctæque Lundensis Ecclesiæ, tuisque suc-
 cessoribus, secundum sacros canones & decreta sedis Apostolicæ, ex
 sacris canonibus & legibus promulgata, pro scire & posse meo, in
 quantum Antecessores mei obedierunt, & subditi fuerunt, pro ejus-
 dem quoque Metropolis, publicis & privatis negotiis, studio, consilio
 & societate, me elaboraturum, & absque illius consensu, nullum
 præbere in magnis negotiis vel ordinationibus assensum, nisi in eo quod
 ad propriam pertinet parochiam meam atque provinciam, profiteor ut
 supra, & huic professioni meæ coram Deo & sanctis ejus, sub testi-
 monio quoque præsentis Ecclesiæ, subscribo, ut supra. Adhuc etiam
 in veritate dicimus & testamur, quod discreti viri M. Nicolaus &
 Dominus Thomas, Canonici Upsalenses, ac procuratores capituli ejus-
 dem, petendo confirmationem & consecrationem prædicti Domini O-
 larvi tunc Electi, replicabant protestationem factam in præsentatione
 Decreti, dicentes quod ipsi in prædictis duobus actibus, & eos quo-
 modolibet tangentibus, vellent semper inmiti, ac si ipsa in momento
 quolibet lecta essent, & quod prædicta duo, scilicet confirmationem &
 consecrationem petiverunt, salva semper in omnibus auctoritate, volun-
 tate & beneplacito sedis Apostolicæ, cui præjudicium fieri non debet in
 quocunque actu & per quemcunque. In præmissorum ergo evidentiam,
 sigillum nostrum, & prædictorum Dominorum, Ulphonis & Boëtii
 sigilla præsentibus sunt appensa. Actum Lundis, anno Domini MCCC-
 XV. in profesto B. Cecilie virginis & martyris.

Quæ documento nobis etiam sunt, quanta Upsalenses Præsules
 cautela se potestati & lubricæ Lundensium fidei submiserint, & quo re-
 nore protestationis & confessionis usi. Deinde produnt quoque singula-
 rem Lundensium arrogantiam, qui licet Innocentii nihil prorsus de con-
 firmatione à Lundensi poscenda commendent litteræ, tamen illam à
 Candidato Upsalensi per nuncios prævios illic censuerunt obtinendam, fo-
 li Romano reservatam Archiflamini; A quo proinde ipsam denuo impetra-
 re compellebantur.

Quam insuper circumspectam Nuncii deponere consueverint pro-
 testationem, petentes inaugurationem, cujus etiam hic mentio inje-
 cta, & electionis decretum præsentantes, alibi demonstrabo. Verum
 Esgerus illa potissimum huc Olaum pellexit astutia, quod sententias in
 pro-

provinciam latas Upsaleniæ à se & prædecessoribus sponderet se revocaturum, & impensarum solutionem in discutienda utrinque controversa Romæ factarum penitus remissarum, promissoque satisfecit postredie consecrati Antistitis Upsalensis, nimirum V. Iduum Septembrium, anno MCCCXV. Successorum verò pauci illo dignati Lundensem honore, ut etiam sensim hæc evanesceret & vilesceret potestas, immo candidiores Lundensium Præsulum, illo non gloriabantur inani titulo plerumque, cum Esgeri successor Carolus in diplomate comiti Gerharδο ratione Jutiæ astrualis possidendæ, anno MCCCXXVI. illum non usurper. Petrus II. anno MCCCXLIII. in literis Magno Sueonum regi super Scaniæ traditis emptione legitima. Petrus III. in scripto, quo consiliarii Danici Holsatiam illius magnatibus in feudum anno MCCCXCVI. nomine Erici Pomerani præsentabant. Jacobus Gerhardi anno MCCCXCVII. in diplomate coronationem Calmarniæ regis ejusdem approbante. Petrus Lyche in principio decretorum Hafniæ synodaliū, anno MCDXXV. Johannes Laxaman, anno MCCCXXXVI. in subscriptione Articulorum Calmarnensium ratione unionis sancitorum. Johannes Brochtorp in protestatione anni MCDLXXVII, Christierno I. adversum Sueones, nullo jure porrecta, Primatis vocabulo non usi reperiuntur. Præcipuè autem Lundenses Archiepiscopi, si quando una cum Upsalensi contractibus subscribendum, illo nequaquam ausi titulo sese ostentare, quod manifestum ex citatis, Petri II. Jacobi Gerhardi, & Johannis Laxman, aliorumque perplurium literis. Deinde plerisque Antistitum Romanorum displicuit hujusmodi Lundensium ambitio, ut aliàs de Martino IV. & Honorio IV. insinuavimus. utque ex bulla Urbani IV. non obscure comprobatur, qua hortans Jacobum Erlandi, anno MCCLXIV. ad resignationem Ecclesiæ Lundensis, ipsum Primatis non dignatur titulo. Idipsum quoque inscriptione aliorum diplomatum Pontificalium frequentissima liceret comprobare, si causæ posceret necessitas. Quamobrem eo tandem contemptus illa Lundensium magnifica processit autoritas, ut in congressu cum Sueonum Antistitibus publico, ipsam non auderent profiteri, quod sequens testatur, præter alia plurima, luculenter hoc tenore verissimo:

In nomine Domini, amen. Anno natiuitatis ejusdem MCDXLIV. Indictione VII. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini, D Felicis, Divina providentia Papæ V. anno V. die V. mensis Junii, in quo erat sollemnitas vivifici corporis Domini nostri Jesu Christi, convenientibus Reverendis in Christo Patribus ac Dominis, Dn. Nicolao Lincopensis, Erico Stregnensis & Laurentio Wexionensis, Dei gratia, Ecclesiarum Episcopis, una cum Nobilibus regni viris, Dominis, Benedicto Junson Legifero Uplandiarum, & Magno Gren Castellano Stocholmensi, Militibus generosis, in sacristia parochialis Ecclesiæ Calmarnensis, Lincopensis diœceseos, ante meridiem, & iisdem in mei Notarii Publici, testiumque supra & infra scriptorum presentia, personaliter constitutis, procuratorum nomine, & ex parte Reverendissimi in Christo Patris & Domini, Dn. Nicolai, Divina miseratione Archiepiscopi Upsalensis moderni, pro tunc in remotis agentis, & totius provincia sua mutuo intra se revolvere, tractare & conferre ceperunt

perunt de præjudicio quod in publico videbatur irrogari ipsi Domino Archiepiscopo, suisque successoribus, & toti provincia Upsalensi, per hoc quod Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Dn. Tuvo, eadem miseratione Archiepiscopus Lundensis, in præsentia Serenissimi Principis & Domini nostri Dn. Christopheri, Dei gratia regnorum Suecia, Dacia & Norvegia Regis, aliorumque Nobilium & Magnatum, Militum & Militarium, Consiliariorum regnorum Suecia & Dacia, pro tunc Calmarnia in magna multitudine congregatorum, Crucem Archiepiscopalis dignitatis ante se ibidem extra propriam provinciam publicè ferri fecit. Per quam ostendere visus est, se jus aliquod majoritatis seu primatus velle in Ecclesiam ac provinciam Upsalensem prætereundere vel habere. Quod præfati Reverendi Patres Domini Episcopi & Ecclesiarum Prælati de regno Suecia, ut præmittitur, tunc præsentibus, in magnum & arduum præjudicium, ac notabilem dejectionem status & juristam Ecclesia quam totius provincia Upsalensis, perspicaciter vergere sentientes, unanimiter & concorditer cum potestazione solenni, pro conservatione & defensione jurium, privilegiorum & libertatum sedis Archiepiscopalis, ac totius provincia Upsalensis, contra antiquam consuetudinem laudabilem & præscriptum, Crucem Archiepiscopalis dignitatis per quemcunque extraneum Archiepiscopum, in hac provincia, & in præjudicium Domini Upsalensis ferri non debere, quantum valuerunt & potuerunt resistendo, reclamant, & reclamando sicut fuerat ab antiquo hæctenus reclamatum, restiterunt & contradixerunt; Prout etiam de præsentibus quantum valent atque possunt, nomine & ex parte totius provincia, resistunt, reclamant, ac opponendo visibiliter contradicentiam, in Upsalensis Ecclesia privilegiis se fundantes, per quæ contra Lundensem Ecclesiam allegabant præscriptum, & à tanto tempore observatum, quod memoria hominum in contrarium non existat. Superveniens itaque memoratus Reverendissimus Pater Dominus Tuvo Lundensis Archiepiscopus ad eosdem, & interrogatus de Cruce Archiepiscopalis dignitatis, quam ante se extra suam provinciam ferri publicè faciebat, in præjudicium Domini Archiepiscopi Upsalensis? Respondit, fratres & Domini, Crux est signum divinum, ideo in honorem Dei causa devotionis, & ob decentiam Regiæ Majestatis hic præsentis, illam ante nos in præsentiarum ferri fecimus; promittimus tamen sub fidei sponione, & in nostra conscientia dicimus, quod licet pro hac vice hic Calmarnia crucem nostram ante nos portari fecimus, tamen per hoc Reverendissimo in Christo Fratri nostro Domino Nicolao Archiepiscopo Upsalensi, & ejus venerandis suffraganeis, nullum prorsus volumus præjudicium generare; Nec per hoc aliquod jus primatis, seu alterius majoritatis in provinciam Suecia nobis vendicare contendimus quovis modo. Immo si idem Reverendissimus Frater noster Archiepiscopus Upsalensis, in provincia nostra Dacia,

crucem suam ante se ferre voluerit, in simili recompensa sustinebit, minus patienter. Transactis itaque post hæc sex diebus ejusdem mensis, prælibati Reverendi Patres, Domini Lincopensis, Stregnensis & Wexionensis Ecclesiarum Episcopi, in præsentia infracriptorum testium, per me Notarium infrascriptum, solennem protestationem in scriptis pronunciari fecerunt, publice & expressè, prout sequitur in hæc verba:

Nos Nicolaus Lincopensis, Ericus Stregnensis, & Laurentius Wexionensis, Dei gratia Ecclesiarum Episcopi, considerantes quod ea quæ in publico attentata & facta, maxime si in cuiuspiam vergant præjudicium, per tolerantiam approbari censeantur, nisi etiam in publico fuerit reclamatum; Ideo nomine & ex parte Reverendissimi Patris & Domini nostri, Domini Nicolai Archiepiscopi Upsalensis, Coepiscoporum nostrorum, totius Militum, Militarium, & Nobilium tam absentium quam præsentium, ac totius communitatis provincia & Ecclesiæ Upsalensis, publicè protestando dicimus, quod quamvis ob reverentiam & decorem crucis, & Serenissimi Principis & Domini nostri gratiosissimi, Domini Regis Christopheri, pro nunc in loco isto personaliter existentis, & pro bono pacis pro hac vice patienter quantum possumus de facto toleramus, quod Reverendissimus in Christo Pater & Dominus D. Tuvo Archiepiscopus Lundensis, extra limites sue provincie contra juris dispositionem, hic Calmarnia crucem suam facit sibi publicè anteferri; Nihilominus tamen per hanc tolerantiam nostram patientiam, ipsi sedi metropolitana Upsalensi, nobis ac incolis provincie Suecia, nullum penitus præjudicium volumus quomodolibet generari, seu aliàs provenire. Nec propter hujusmodi Crucis portationem, eidem Domino Archiepiscopo Lundensi sicut Primati, vel quamcunque aliam majoritatem in provinciam Suecia vendicare prætendenti, reverentiam exhibere volumus, nec deferre eidem. Super quibus omnibus & singulis prælibati Reverendi Patres Domini Episcopi de Regno Suecia, requisiverunt me Notarium infrascriptum, ut eis conficerem unum vel plura, Instrumentum publicum, seu publica Instrumenta. Acta sunt hæc Calmarnia, anno, indictione, Pontificatu, mense, die, & loco, quibus supra, præsentibus ibidem Nobilibus Viris, Dominis Benedicto Junson, Legifero, & Magno Gren, Militibus superscriptis; Nec non honorabilibus Viris, Magno Bissa, Ragvaldo Ingemari, Gödechino Gödechini, Præbendatis Calmarnensibus, Genechino Præposito Oelandensi, & nobilibus viris Ragvaldo Pucka, Legifero Ostrogothiæ, ac Nicolao Kyla, armigeris generosis, ad hujusmodi protestationis pronunciationem, publicationem, & -lectionem testibus convocatis specialiter & rogatis. Et ego Petrus Suenonis, Clericus Lincopensis diæcesis, Publicus sacra imperiali authoritate Notarius, quia prædictorum Reverendorum Patrum &

Dominorum Lincopensis, Stregnensis & Wexionensis Ecclesiarum Episcoporum, tractatibus, collationibus, reclamationibus, contradictionibus, privilegiorum & jurium Upsalensis Ecclesiae allegationibus, eorumque interrogationibus, & Domini Tuvoonis Lundensis Archiepiscopi responsionibus, sponsonibus & promissis, omnibusque aliis & singulis, dum sic ut premittitur, inter dictos Dominos Archiepiscopum Lundensem & Episcopos Regni Sueciae agerentur & fierent, unâ cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audiui. Ideo præsens publicum Instrumentum exindè confeci, & in hanc publicam formam redegi, manu propria scriptum, signoque & nomine meis solitis & consuetis signavi, rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium præmissorum.

Quamquam verò præfatus Tuvo vulpina quadam calliditate ita Calmarniæ protestaretur, tamen anno deinceps MCDLXIX. in comitiis Halmstadenfibus in absentia Sueonum celebratis, sibi primatis in Sueciam arrogavit impudenter vocabulum. Quod tamen in Epirahpio illius prætermisum, alias plerumque in reliquorum cippis grandibus exaratum elementis, præsertim Birgeri, qui ultimus velut de tumulo hunc suscitavit & usurpavit arrogantissime titulum, velut nova quoque ab ipso conficta insignia, cum Danorum maxima, & potissimum Krumedicherorum indignatione & contumelia. Nam etsi Lundenses non fugeret Ecclesiam Sueonum, privilegio Antistitum Romanorum, cujus etiam superius meminit Instrumentum, suæ potestati subductam, & in sempiternam tanti beneficii memoriam, toto Suecorum Imperio, Quartam Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ ac destinati cœlitus Paracleti feriam æquali cum prima celebrari annuatim festivitate, præter aliarum consuetudinem gentium.

Attamen clanculum aliquandiu hoc nomine Lundenses se titillabant, præcipueque postquam nostri ab iniquissima trium Regnorum jure descivissent unione, idque hanc ob causam, ut cum Dani jacturam domini politici fecissent, saltem Ecclesiastico se jactarent. Quinimò constabat Lundensibus illa tempestate, Johannem Benedicti Præsulem Upsalensem, illo quotidie in suis ad ipsos aliosque magnates intra & extra Regnum constitutos literis, vocabulo honoris pro jure & dignitate merito fruisi, & à Pontifice Romano passim in bullis eodem appellari, ut nobis evidentissimo est argumento diploma Calixti III, anno MCDLV. XIV. Calendas Novembris huc Joanni destinatum. Verum quam ægro tulerint animo illud nominis fumosi dispendium Dani, constat indè, quod Joanni anno MCDLXV. ex carcere Danico remeanti Upsaliam, evidentibus demonstrarint Prælati Upsalenses rationibus, primariam captivitatis immeritæ causam, hujus vocabuli extitisse usurpationem. Atqui hæc copiosius quam decreveram de lite Lundenses & Upsalenses inter, ratione Primatis, tractata, modo ex tanta intercapedine ad Ingonem oratio revocanda.

Ingo primam thori consortem adscivit Ragnildem pietate in Deum clarissimam, ideoque mortuam Sueones Divorum catalogo inscripserant, in oppido Telgenfi perhonorifico quondam tumulo conditam. Illa vero decedens marito filiam virtutis æmulam reliquit Christinam, quam inprimis Wlodimirus Kioviensium potentissimus duxit in conjugium princeps, ut certissime constat ex pervetusto quodam S. Vilhelmi Roschil-

schildensium Episcopi libro, etiam a Huitfeldio in testimonium producto, nisi quod in nomine hallucinans Vilhelmus, ipsum Jaroslaum vocet, cum Wlodimirus fuerit appellatus ex multorum sententia historicorum, quos inter Cromerus Moscoviticæ admodum gnarus antiquitatis, cui suffragandum. Russus deinde filiam suscepit Ingeburgem ex Christina, & alteram Almo Ungarorum Regi, Geisæ filio, circiter annum MCVI. traditam matrimonio, Belæ matrem; qui regno deinceps eodem potitus, Philippi Augusti Francorum Regis sororem obtinuit conjugem. Sed Ingeburgis nupsit S. Canuto, Erici Cyprii filio, Slasvicensium Duci, & Obotritorum Regi, à Magno patruale, anno MCXXXI. per summum scelus trucidato, cui genuit Ingeburgis Valdemarum I. Danorum Regem, Philippi Francorum Regis focerum, & Christinam Magno Cæco regi locatam Norvegiæ, focerum Caroli Sueonum regis. Enimvero Philippus Ingeburgem Valdemari filiam, S. Canuti Ducis neptem, Wlodimiri proneptem, & Ingonis abneptem, anno MCXCIII. in thori & regni adsciscit consortem, quam à pellice persuasus repudiat deinceps, consanguinitatem prætendens; sed nullo post legitimam disquisitionem adhibitam deprehenso impedimento, minis cogitur Pontificiis dimissam thalamo restituere, cum ipsa convivens postmodum amicissimè. Verum Carolus anno MCLXIII, quemadmodum in historia ipsius propediem memoraturus, Sophiam S. Canuti neptem sibi copulavit. Quocirca in Suecia, Gallia, Ungaria, Dania & Russia, Ingonis clarissima hinc disseminat progenies, illinc hodiè scepra etiam gubernans, in nostro genealogiarum teatro copiosius delineata, & hætenus in Sueonum historiis omninò ignorata.

Sed Christina tantorum radix fecundissima pignorum, Wlodimiro vita defuncto, secundas iniit tædas cum Erico Jedvardi velut postea commemorandum. Atqui ut Ragnildis Ingonem faustissima beavit nepotum cohorte, ita Helena, thori altera consors nimium infauista. Quippè filium ex illa sustulit Ragvaldum Knaphöfde in throno Sueonum sibi succedentem, qui vasta corporis mole superbus, nullis virtutum dabat operam comparandis, cujus etiam arrogantia pœnas luit, in historia ejus, unà cum filia Henrico Suenonis Danici filio copulata adulterio spurcissimo, & generi nepotisque Magni, necem S. Erico Suecorum Monarchæ nefariam inferentium, compræhensas. Deinde filiam omnibus virtutum generibus quidem ornatam, Ingoni Helena progeniuit Margaretam, Saxonis encomio celeberrimam, Magno, ut præfati sumus, Norvegiæ inprimis conjunctam Regi, & illo sine liberorum procreatione mortuo, Nicolao Danorum Principi desponsatam. Sed ex hujus mariti suscepit amplexibus infauisto prorsus omine & nomine Magnum, utpote qui cæso Duce Canuto viro innocentissimo patrem, patriam & seipsum damnis mactavit nefandis, quibus tandem ille & pater obrutus infantis pœnas effusi cruoris suo & paterno persolvit sanguine, quod neque deinceps subticendum.

Atqui Margaretam, Helena non Ragnilde progeneratam matre, ut quidam opinantur falso nostratium, locuples nobis Saxo testis & verax, utpote hoc ævo superstes, & Chronicon suum concinnans, & si Gotlandia Nicolao dōtis nomine accessisset, velut Margareta Epitaphium Huitfeldio sub Estridis vocabulo insertum perhibet, non filisset illud Saxo, his vicinis temporibus. Ideoque demiror Huitfeldium, quod hujusmodi suum opus compleat paradoxis, ad tendendum credulæ laqueos posteritati, quos non difficili evasura compendio, si

pulcherrimam illam Gothorum Insulam, ante Christianni primi tempora nunquam Danis auscultasse sibi certo persuaserit, nostram adversus Rosfontani imposturas publicatam Retorsionem paulisper etiam consulendo. Nec minus etiam nostris dubium historicis, num Ragvaldus Ingone genitus, quod idem similiter Saxo dirimit sua sententia, Margaretæ ipsum statuens germanum, quam ceu veritati magis congruam lubens amplexamur, luculentius alibi exponendam. Synchronus autem Ingonis fuit Ericus Danorum Rex, prout alibi præmonitum, qui fratris Olai declinans insidias, toto Ingoni adhæret extorris tempore quo ille Danis imperabat, interim nobilissimam genere & moribus viraginem Botildem, famosissimi viri Ulphonis Gallefoni ex filio Trudone sibi jungens matrimonio neptem Suecam, quæ anno MCIV. votivam cum marito peregrinationem suscipiens Jerosolymam, illic MCV. de corporis migravit ergastulo, & in valle Josephatica corporis obtinuit sepulturam.

Sed Ericus morte præventus in Cypro & tumultus, terram promissionis non est ingressus. Huic autem constructionem Ecclesiæ Visbyensis, D. Olavo dicatæ à quibusdam memorat Huitfeldius adscribi, quod cum vero pugnat è diametro, cum Dani hac tempestate non pedem, multo minus sedem vel jurisdictionem fixerint aliquam in Gotlandia, idque ex operis fiet progressu manifestum. Denique Ingo vergens in senium Vretense fundavit in Ostrogothia cænobium, & bonis dotavit amplissimis, uxorque Helena, quod etiam illa defuncto marito ingressa vitam sanctissime illic transegit. Idem deinde monasterium Carolus eleganter consummavit, virginibus ex Cistertio Sueviæ ordinis D. Bernhaldi eo traductis, cum à Benedictinis antea cænobitis incoleretur. Verum Ingo in propinqua cænobio commorans villa, veniendū ab inimicis propinato, finem vivendi & regnandi consecutus, non sine bonorum omnium ingenti mæore subditorum, idque anno MCXXIX. non MCXXXIX. vel MCXXXVII. prout calculus hallucinatur Huitfeldii & quorundam nostrorum Historicorum. Siquidem Magnus, ex filia nepos, Rex Gothorum postea designatus in pugna cæsus fuerit Scanensi, MCXXXIV. & Ragvaldus Magni avunculus, à Westrogothis deinceps quoque trucidatus. Ac proinde tam horum regimen Principum quam etiam primordia Regni Svercheriani MCXXIX. Ingonis morti necessario tribuunt annum, velut actutum demonstraturi sumus. Eodem insuper anno referunt quidam Suecorum annales, SS. Eschillum & Bothvidum ex mundo per martyrium decessisse; sed in veritatis grande præjudicium. Quandoquidem Eschillus multis ab hinc annis palmâ donatus martyrii, velut superiores comprobant paginæ, natusque horum inde scriptorum error quod hunc commiserent Ingonem cum priori, à cujus cæde mox B. Eschillus Stregnesiæ de mundo triumphum obtinuit gloriosum.

Quo etiam tempore non vero ab simile S. Bothvidum cælo mundum permutasse, cum ipsius memoret Historia Sueciam illa tempestate ad idololatriam omninò relapsam, adeo ut paucis exceptis Christianis passim ob paganorum insidias latitantibus, idolis denuò fuerit omnis mancipata. Multo proinde minus veritati loquuntur illi conformiter, qui Bothvido cædis annum tribuunt MCLXXV. quando Sueonibus dominante Canuto, S. Erixi pientissimo filio, Suecia Gothiaque fuit nulla prorsus idololatriæ contaminata spurcitie. Ideoque librorum incuria, & temporum injuria huic calculo centum reor subrepsisse

se annos, & illis expunctis, MLXXVI. subnotandum, quibus labentibus Suecia paganorum quatiebatur vehementer tumultibus, & S. Bothvidi cædes à proprio mancipio, quod jam religione Christiana imbutum libertateque donatum in Slaviam patriam remissurus erat, ut patriotis eandem instillaret, potest esse perpetrata, de qua in Chronico Divorum Suecicorum prolixior sum futurus. Trucidatus verò fuit nefario liberti ausu S. Bothvidus in faucibus maris Baltici quadam insula, & corpus miraculo insigni proditum ad Ecclesiam relatum Slemmianam, juxta quam habuit mansionem, & illic condigno imprimis depositum honore. Ac deinde templo in vicinia fundato, & ejus nomini dicato, ad ipsum arbitror funus D. Bothvidi translaturum, præsertim cum superiori seculo illuc votivæ fusciperentur peregrinationes, & ascheleton adventantibus illic plerumque monstraretur venerandum. Sed à parergis ad successorem recurramus Ingonis.

Quo conspiratione Ostrogothorum in pago Vretenfi per scelus execrandum de vivis ablato & tumultato, mox venefici Suerchoni, Kornuæ Ostrogothorum nobilissimi & non alieni fortè à consilio necis in regem Ingonem patrata, sceptrum Gothorum solenni quadam pompa tradunt, Ragvaldo Ingonis filio regni hærede legitimo, quod ipsum paternæ mortis formidarent vindicem, contempto.

Quem proinde Sueones, pro suo Regem designandi jure vetustissimo & firmissimo, protinus ad thronum regni utriusque sublimarunt, horum partes etiam Westrogothis sectantibus. Sed Magnus Ingonis nepos à patre Nicolao, seditionem popularem ob D. Canuti necem indies gliscentem hoc sedare pacto cogitante, ex Dania proscriptus, anno MCXXXI in Westrogothiam secessit, cujus permovit indigenas ad Regios sibi titulos deferendos, inde non raro Scaniam infestans. Interim verò Ragvaldus hanc inaudiens Vestrogothorum defectionem, illuc non obtenta pro consuetudine populorum Borealium veteri fide publica, paucis comitatus proficiscitur, ipsique sumtis armis Westrogothi occurrentes, comitibus profligatis, in palude anserina villæ contermina Karlebyensi, & ab urbe non procul distita Scarensi, eum trucidarunt, circiter annum MCXXXII. non MCXXX. & minus multo MCXXXIX. velut falso quidam supputant Chronographorum. Si quidem Ragvaldus Magnum interitu anteverterit, quem hic subiit MCXXXV. & Westrogothis aliquandiu à cæde Ragvaldi dominatus simul & Scanis, Hallandis, ut ejus historia extemplo edocebit. Interea funus Ragvaldi vix ad cœnobium Vretense perductum, in facello tumulæ paternæ vicino humabatur, cujus tumulum, sicut etiam Ingonis, Magni & quorundam magnatum aliorum illic requiescentium, pietas Johanuis III. Suecorum Regis nuper cippo eleganti & inscriptione decoravit, in quibus anni calculus mendose adnotatus, zelo posterorum foret corrigendus, nè diutius errandi præbeat pluribus occasionem. Fuit autem Ragvaldus testimonio Erici, *giganteo corpore, vegetus animo, tumens & audax, ac in superbiam erectus, non prudentia & consiliis, sed fortitudine confusus, velut alter Roboam consilia relinquens seniorum.*

Quæ Ragvaldi morum labeculæ historicis ansam dubitandi porrexerunt, num optimo & humanissimo Rege procreatus esset Ingone? Sed illa ratio suadet quidem, non autem persuadet, cum heroum filii plerumque noxæ. Filia tamen Ragvaldi, Ingridis, Henrico Scatlero Suenonis Danici Regis nupta filio, à paternis modicum exorbitavit vestigiis, teste Saxone lib. 13. *Eodem tempore, inquit, Henrici Sue-*
notis

monis filii conjux, mariti convictum ingenti perosa fastidio, aliena veste sumpta
 suus se penatibus intempesta nocte subduxit. Apud quam juvenum quidam, ut fa-
 ma est plurimam obsequio familiaritatem adeptus, callide effecit ut ad suum eam
 amorem perduceret; Deinde ne res amborum periculo proderetur, muliebriter alle-
 etam, viriliter cultam furtive devexit. Quam vir ejus fortuitis subsecutus indicio,
 apud Alaburgiam in cultu familiari deprehensam, amatore delapso, domum redu-
 xit. Verum hanc ignominiam à clandestino Canuti consilio profectam ratus, inte-
 gerrimi viri innocentiam tacitis suspicionis motibus infecutus, insontem notabat.
 Quocirca Henricus vindictam ab insonte Canuto propriis viribus poscen-
 dam diffusus, continuis de ipso querelis apud Magnum depositis, odium
 conflavit vatinianum, donec tandem suo Magnum nefario suasu ad Ca-
 nuti perpetranda cædem pellexisset. Neque Henricus hac contentus, fi-
 lium deinde Magnum ex Ingridè prognatum, ad tollendum de medio
 S. Ericum Sueciæ Regem permovit, ita Christinam marito & genero
 sceleratè censuit spoliandam, velut post paululum indicaturus, nunc Ma-
 gni me disponens historiæ paucis texendæ.

Nicolaus Suenonis Eltritii quoque filius, ad gubernaculum regni
 Danici, anno MCVII. promotus, Ingonis filiam Margaretam, obitu
 Magui Noricorum Regis, ante septennium viduam effectam duxerat
 conjugem, quæ Nicolao Ingonem in pueritia morte sublatam, & Ma-
 gnum peperit. Hic autem anno MCXXVIII. Suentoslavam Boleslai III.
 Polonorum Regis filiam, MCVI. natam, & viduam Jaroslavi Wlode-
 miriensium Ducis, juxta Cromeri & Huitfeldii Chronicon, sibi thalami
 fœdere sociavit. Quippè prior maritus anno MCXVIII. patruum Wlode-
 miri declinans tyrannidem, cum uxore fugit in Poloniam, & inde
 cum copus anno MCXXIII. properans in Moscoviam, ditionem pa-
 truò erepturus hæreditariam, sub urbe Kioviensi fortissime pugnans ce-
 cidit, unica superstitè filia Sophia, quam Waldemar Rex Danorum
 postea conjugem acceptat. Interim Magnus puellæ vitricus, unicum de
 Polona filium suscepit nomine Canutum, & subverens ne Canutus Dux,
 liberique thronum Daniæ sibi aut suis surriperent, quod summa inco-
 larum gratia favoreque gauderent, & ipse odio laboraret omnium, D.
 Canutum fraudulenter ad se vocatum, prope Ringstadium VII. Januarii
 anno MCXXXI. truculenter occidit, tribus mæstissimæ conjugis relictis
 liberis, nimirum Caristina Norvego, & altera Pribislao Vando, nu-
 ptis, atque Waldemaro, octiduo post cædem paternam in lucem edito,
 & Danorum Rege postmodum effecto. Itaque mors religiosissimi Prin-
 cipis toto Regno publicata, ingentes Nicolao & filio movit turbas di-
 scriminaque, adeo ut pater mitigaturus furentem plebeculam, filium exi-
 lio multare cogeretur in Westrogothiam ad tempus secedentem, ubi
 dolo ab indigenis seductis Rex proclamatur, anno MCXXXI. qui Ma-
 gno honor à nulla Sueonum vel Gothorum gente alia delatus. Pro-
 inde turpiter falluntur, qui Suecos ipsum à morte Ragvaldi pariter Re-
 gem salutasse asseverant, utpote, qui deinceps Ostrogothorum secuti con-
 filium, Suerchero imperii summam totius commendarunt, eoque Ve-
 strogothos Magno in Daniam revocato, obedientiæ propulerunt. Pari-
 quoque exorbitant à veritatis semita diverticulo, asserentes ab Ostrogo-
 this Ragvaldum mox ab obitu Ingonis, Regem proclamatum; Siqui-
 dem ipsos maximè adversarios expertus, ut Sueones sibi cognovit pro-
 pensos, & Ostrogothi vix ulla interposita mora, Suerchero clavum
 tradiderint moderandum, ut certissimis illius probabit historia docu-
 mentis.

Magnus vero apud Vestrogothos commorans, prædonis non æqui Regis promeruit nomen, provinciam ornamentis despolians antiquissimis, & summa cultis religione, velut ex Saxonis liquet commentario lib. 13. Magnus inter cetera tropheorum suorum insignia, inusitati ponderis malleos, quos Joviales vocabant, apud insularum quandam prisca virorum religione cultos, in patriam deportandos curavit. Cupiens enim antiquitas tonitruorum causas, usitata rerum similitudine comprehendere, malleos, quibus coeli fragores cieri credebat, ingenti ære complexa fuerat, aptissime tanta sonoritatis vim fabrilium specie imitantem existimans. Magnus verò Christiana disciplina studio paganam perosus, & sanum cultu & Jovem insignibus spoliare, sanctitatis loco habuit, & adhuc quidem Sueones eum perinde ac cælestium spoliatorum raptorem sacrilegum autumant.

Interea temporis Nicolaus ab Erico Canuti Ducis fratre in Dania oppugnatus, filium vocat in subsidium, quem hostis in Scania festo die Pentecostes anno MCXXXV. pugna excipiens terrestri, cum exercitu delevit universo, cadentibus simul in ipso V. Episcopis & LX. presbyteris. Atqui cum unus Præsulum, Henricus nomine, antistes Sueciæ memoretur extitisse, Scarensem ipsum gubernasse diœcesin, illiusque pastoribus adnumerandum arbitror. Nicolaus autem filio & victoria orbatus, ex acie clam profugit Slasvicum, ubi à tumultuante cæsus plebecula VII. Calendas Julii, cui Ericus cognomento Emund, Cyprii filius, & Canuti frater in folio subrogatur Danorum. Sed Magni funus prope avunculum & avum maternum in monasterio fertur Vrentensi promeruisse sepulturam, in Danorum fortè denegatam Ecclesiis, ob scelus in patriam commissum. Quanquam ex illius constet literis, ipsum huic cænobio pro sua & fratris sui Ragvaldi animabus prædia legasse, hacque quodammodo ratione tumulum illic expetivisse superstes. Undè quidam ambigendi de Ragvaldi Regis ibidem sepulchro captarunt occasionem, affirmantes Magni germanum non avunculum illic tumulatum. Aliis quoque suspicionem movit, neque Magnum eo loco humatum, quod priscum tumbæ inaratum Epitaphium, nulla dignitatis, aut natalium facta mentione ipsum à probitate commendet, qui remotissimus ab ipsa extiterit, idque his versibus:

NOBILIUM PROLES MAGNUS PROBITATE PROBATUS,
QUEM TEGIT HÆC MOLES TIBI SIT REX COELICE GRATUS.

Sed matrem in Dania pausare mortuam existimo, & postmodum Nicolaus Ulvildam ex Norvegia, virginem nobilissimam juxta ac formosissimam delegit consortem, ejusque pulchritudine mira Suercherus subito illectus, donis & blanditiis illam sibi reddidit adeò propensam, ut spreto Nicolao in senium vergente, Suercherum ætate & opibus florentem, deligeret maritum, in Sueciam quantocius se conferens ex Norvegia, non Dania, velut Saxo comminiscitur. Quandoquidem illuc non dum perducta à Nicolao, multo minus thalamo ipsius deflorata, neque etiam Suercherus ipsam suis dignatus fuisset amplexibus si Danus virginitatis florem prælibasset. Quæ tamen more suo confingit Saxo, indignatus Sueco propter ignominiam hoc pacto Danis illatam ut thalamum Regis Suetici honestissimum prolemque Carolum inde susceptum, labecula saltem aliqua notet apud ignaram veritatis & sui livoris posteritatem. Denique cum Suercherus aliquandiu amicissime convixisset Alvildæ, ipsi crudeli & præpropere subducitur mortis imperio, ac in cænobio Alvastrensi de nomine & bonis Alvildæ apud Ostrogothos fundato, splendide tumulatur.

Ille autem de alia sollicitus tori comparè Suentoslavam, Magni superstitem viduam, juxta Huitfeldium, sibi conjugem despondet, ex qua num aliquos susceperit liberos, nostri non memorant, ut neque Danorum annales. Privignam tamen Sophiam Wlodimiri & Suentoslavæ filiam Valdemaro I. Danorum regi desponsatam referunt, quæ multis post mariti obitum superstes annis secundas adiit nuptias, cum Ludovico Turingiæ Lantgrabiò, & repudiata deinceps ab ipso, quibus de causis ignorò, recessit in Daniam ad filium Canutum VI, illic terminum vitæ imponens XIII. Maji, anno MCXCVIII. & Ringstadii tumulo mandata fuit. Clarissimam profecto prolem Valdemaro genuit, nimirum Canutum VI. Valdemarum II. Ingeburgem ab Emilio & Tilio Gilbergam vocatam, Philippo Francorum, Rechissam, Erico Suecorum, Regum & Helenam Henrici Leonis Brunsvicensium Ducis filio Vilhelmo, splendidissimis sociatas connubiis.

Atqui horum avunculus & frater Sophiæ uterinus nomine Canutus; mandato Suenonis III. Danici regis, quo cum diu armis de throno certavit, Roschildiæ anno MCLVI. proditorie trucidatus. Sunt etiam historici qui Malfredem Sivardi Jordsalefar Noricorum regis conjugem Magni ex concubina censent filiam, ignave hallucinantes, cum illa Erico prognata Cypriò secundum Huitfeldium in Chronico regis Nicolai, & temporum idipsum suadeat efficacissime legitima computatio. Verum à privignis ad vitricum redeamus denuò Suercherum.

Ille proavum habuit Katillum Kindiæ Toparcham Ostrogothiæ nobilissimum, idololatriæ tenacissimum, utpote qui sepulchrum triennio ante suam de vita migrationem ingressus, nè inter homines interea commorans, ad Christiana invitaretur sacra capeffenda. Avus verò Suercheri fuerat Kool, paternæ hæres dignitatis & provinciæ, qui capulo proximus opera filii Kornukæ, Christo lucratus, mox in templi prope Lincopiam Kagensis à filio suscitati encænii unda baptismatis lustratur, atque in ipsis vestibus candidis extemplo animam omni criminum labe mundatam efflavit, ibidemque primus requiem obtinuit membrorum. Kornica deindè Suercheri genitor clarissimus & Ostrogothiæ Magnas primarius, mortuo ingone, ad fasces Gothorum per incolarum suffragia, teste Gotho & Erico sublimatur. Proindè cum Suercherus his natus majoribus illustrissimis, fallitur Crantzius, memorans ipsum nulla sanguinis claritudine conspicuum fuisse, à Saxone deflectens, qui Suercherum mediocri tamen inter Gothos loco satum non diffitetur.

Multo autem turpius exorbitant quædam nostratium fragmenta, primarii apud Ostrogothos ruricolæ, seu Sculteti comminiscencia filium, non distinguendo inter vasallum regium seu clientem regni beneficiarium, & Scultetum cujusdam districtus longè minoris conditionis hominem, qui commune tamen appellationis vocabulum olim cum isto participavit, huic inde præbens errori occasionem. Veritati ergo locutus Ericus magis appositè, Suercherum libero natum Barone: ut etiam Johannes, comite progenitum, attestantes, & nequaquam tamen dissentientes. Etenim veteribus Scandiotis Herfer hujus dignitatis heroes, Anglis Barones, & Saxonibus Comites in sermone Latio vocabantur, distinctione progressu seculorum primò suborta. Atqui Suercherus cum aliquandiu Ostrogothis dominatus esset, Sueones natalium virtutumque splendore provocati, Regem quoque ipsum concorditer designant, utriusque regni pleno jure deferentes insignia & diadema,

Hinc quidam historicorum nostrorum seducti, hoc primum tempore Suerchero ab Ostrogothis scepra censent demandata, licet ipsa mox ab Ingonis consecutus interitu; Nam in Dania Nicolao & Magno tumultuantibus ab anno MCXXXI. ad MCXXXV. utriusque funestum, Suercherus suis imperabat Ostrogothis, interea sponsam quoque Dani ad suum pellicendo connubium, velut alias inculcatum. Ideoque reges Danorum ipsi fuere synchroni, Nicolaus, Ericus Emund, Ericus Lamb, & Sueno III. quo cum hac occasione bellum Suerchero tandem incidit. Johannes ipsius secundo genitus filius, qua laceffitus injuria ignoro, Caroli Hallensium præsidis uxorem & germanam vi abductas in Sueciam, suæ libidinis mancipabat obsequio. Itaque Sueno Caroli precibus motus, Suerchoni bellum movit, nequaquam dissuadente Cardinali Albanensi, apud Danos eo tempore constituto. Sed interim Rex Suecorum non crebris pacem legationibus à Dano mendicare conatus est, neque imbellis ob senium latebras circumspexit, ut Saxo pro consuetudine comminiscitur, ast nimia præpeditus ægritudine à senio contracta, Carolo & Johanni filiis bellacissimis, patriæ commisit defensionem. Proinde regni multitudo ab hoc protinus convocata, in ipsum velut belli authorem insurgit, & tandem nimis exasperata trucidat. Illi autem velut immuni ab hoc crimine & regni periculo, Regique jam designato patre vivo, promptè obtemperans ad limites Regnorum hosti tendit alacriter obviam, & illo partim cæso, partim exusto, partim denique submerso, & profligato, in Sueciam cum triumpho remeavit insigni, uti Sueno in Daniam turpitudinis nota deformatus repedavit, idque vel in fine anni MCXLIX, aut principio MCL. certissime gestum, quandoquidem Cardinalis belli dissuasor, anno MCXLVIII. exeunte, hinc in Daniam profectus.

Danus spe tam rata sibi victoriam pollicebatur, ut ante militiæ exordium, teste Saxone, inter milites suos, provinciarum jura Sueticarum, tanquam belli præmia partiretur. Cui sane non immerito idem quod Erasmus Lætus Alberto Suecorum tyranno, libro VII. Margariticorum occinere possumus:

*Hic multis partitur opes & castra ministris,
Ipsus egens multis promittit multa, colonos
Largitur, stultus qui quod sapienter ab irso
Prodiit, haud verò discernere lumine possit
Haud duci pellem, neque vendi tergora, si non
Ante feram certo sternant venabula ferro.*

Sicut etiam Saxonem pro insigni sychophanta & nobilissimorum impudentissimo calumniatore regnorum, digito jure monstrare, qui non erubuit hoc contextu inducere Nicolaum, Suenoni expeditionem Sueticam, velut ab inopia regni dissuadentem, quasi verò locupletissimi regni divitiæ non satis Legato fuissent perspectæ, ut Daniæ paupertas illi & toti liquido cognita mundo, quam historici non silent, præsertim M. Adamus, & Johannes Botherus in orbis amphitheatro, inexhaustas verò Sueciæ opes summopere deprædicantes. Nisi forte Romanus ille Nuncius eam propter Suecorum inopiam à bello deterrere conatus Danum, quod nostri plus ferri quam auri adventantibus soleant objicere hostibus, hoc latebris condentes & illud visceribus Danorum capulo tenus immergentes.

Pari deinceps impudentia miram Danis victoriam tribuit, simul cladem memorans suorum insignem à Suecis ferro, igne & aquis illatam, quæ ut cohæreant Danis committo scriptoribus declarandum, aliisque Saxonis turpes passim antilogias & paradoxa. Interea cum ipse nostros calumniando pergat, nos ad oppilandum porro os impudens una pergemus, asserendo Canutum Suercheri privignum in Sueonia matris invisendæ gratia constitutum, tanta victualium penuria laborasse, ut pro comparandis alimentis, quidquid illic prædiorum possideret, vendere sit compulsus; & tandem velut Ecphonefi concludens calumniam calumnia insigniori: *Neque enim ulla gens exules aut promptius recipit aut facilius respuit.* Enimverò Saxoni apponam antagonistam, non Hispanum aut Germanum, sed Danum, & quidem Danici nominis acerrimum defensorem, Suetici verò alias osorem singularem Erasmum Cymbrum, sic in poemate suo nostrorum opulentiam & in peregrinos benevolentiam veraciter canentem, pag. 301.

*Gens est Sueonum latissima magno
Imperio, cui sors vastos subtendere fines
In boream, ac strictis subjectum aquilonibus orbem,
Et proferre dedit.*

*Ex aliis tamen omnis habet proventibus, undè
Magnifice sese extulerit, populosque mereri,
Et retinere potest, pecorum ditissima, ferro
Præcipuo, & nivei superat bonitate metalli
Et capro, & diti maculosa tegmine lyncis.
Egregii mores hominum atque affatibus ultro
Humanis, largique manu, & virtute fideque
Hospitibus summâ, & prompti communibus uti;
Mundities celebris, cultaque industria vite,
Hi populis ritus, hæc est natura.*

Hæc Lætus moderno testatus ævo de Sueonibus, nullo jure Saxonis calumnia notatis, ista verò M. Adamus anno MLXX, nostris reliquit verissima morum testimonia, supra etiam citata, & Saxonem apertissimæ convincentia imposturæ pag. 140. *Quamvis omnes, inquit, Hyperborei hospitalitate sint insignes, præcipue tamen sunt nostri Sueones, quibus est omni probro gravius hospitium negare transeuntibus, ita ut certamen habeant inter se, quis dignus sit hospitem recipere. Cui omnia exhibens humanitatis jura, quot illic commorari voluerit diebus, ad amicos suos illum certatim per singulas dirigit mansiones. Hæc illi bonæ in moribus habent.*

Proinde si tenuioris fortunæ homines hujus sunt humanitatis in peregrinos, cujus putandum lucupletioris existere nostrates? Si tam benevoli erga ignotos, quam propensos in notos censendum? & præsertim Regem in Principem extorrem, vitricum in privignum; matrem in filium, fratrem in fratrem? His siquidem non jura sed natura amoris igniculos inferuit, & arctissimo sanguinis nexu, officiorumque mira devinxit illos propensione. Quomodo igitur mi Saxo rationi conveniens, Canuto apud matrem propensissimam, vitricum humanissimum, fratres benignissimos constituto, necessaria defuere alimenta? Heu pudeat te tuosque lectatores tantæ vanitatis! Nomine autem fratris, non Carolum, sed Johannem

nem intelligo, miræ à Saxone inhumanitatis erga Canutum falso infimulatum, quem suscepit ex Suentoslava Suercherus, cum Johannes uni filiorum nomen avi materni indiderit, Boleslaum appellans, à nostris perperam Burislas chronographis nuncupatum, & alteri vocabulum proavi Kool censuit imponendum. Hic præcoci sublatus morte à plebecula tumultuante, anno MCXLIX. non MCXXXVII. juxta vitiosos quorundam calculos, & sepultus Lincopiæ, ubi etiam hodie cippus ad dexterum summi altaris cornu monstratur. Sed num eo loci cineres quoque cubent ignoro, cum passim in omnibus Sueciæ Gothiæque Ecclesiis sint lapides tumulorum translati, turbati, & commixti, quam in nostris querelam tumbis profecuturus sum.

Habuit insuper Suercherus Ingerdem, cœnobii Vretensis postmodum Antistitam, Sunonem, cognomento Siick ibidem humatum & Carolum ex Alvilda, cui Ostrogothi anno MCXLVIII. regios porrigunt fasces, indignantibus Suecis, & Ericum Jedvardi, Suerchero superstitute, Regem sibi acceptantibus, ut horum constabit ex historia, paternam nunc continuando & terminando. Suercherus exemplo Ingonis, & propria motus pietate, & in Ecclesiam & patriam charitate, multum pro Archiepiscopa in suis regnis fundanda desudavit, quod superius insinuavimus, ita ut precibus Suercheri continuis, Eugenius III. fatigatus, Nicolaum Albanensem cum potestate negotii hujus consummandi, anno MCXLVIII. destinaret. Quo Romam re infecta propter Suecorum & Gothorum de ipsa discordiam reverso, hujusmodi Anastasius Præsulibus Sueciæ direxit anno MCLIII. literas, quarum alibi mentio facta, & huic paginæ illas ob vetustatis quædam documenta inferendo, lectori antiquitatis studioso non ingratum me opus facturum existimavi, & sunt hujusmodi:

Anastasius Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Episcopis Sueciæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Gaudemus, fratres charissimi, & omnipotenti Deo exsolvimus gratiarum actiones, quia promissam olim in fines orbis terrarum Ecclesiam jam videmus exhibitam, & vineam Domini Sebaoth ita cernimus dilatatam, ut nunc revera videatur impletum, quod multo ante ait Propheta dicens: Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagationes ejus. Prædicantibus siquidem Apostolis nimirum, fidelis populus quotidie Domino generatur, & sterilis alvus quæ non pariebat, ita naturalis filius augetur, ut juxta vocem Psaltæ in omnem terram exisse videatur sonus Apostolorum, & in fines orbis terra verba eorum; Quod nimirum ex hoc evidenter datur intelligi, quod commissus gubernationi vestræ populus de finibus terræ clamat ad Dominum, & gentilium rebus derelictis, in perceptione doctrinæ Apostolicæ gloriatur. Rediens siquidem ad Apostolicam sedem venerabilis frater noster Nicolaus Albanensis Episcopus, eundem populum verbum Domini de ore suo libenter recepisse asseruit; Et tam vos quam universum populum, illam ei reverentiam, illam devotionem & obedientiam, quæ Legatis sedis Apostolicæ, pro Apostolorum veneratione debetur, unanimiter impendisse. Undè quanto idem populus ad audiendum verbum Domini

Domini se promptiorem exhibuit, & doctrina Apostolica avidiorem ostendit, tanto nos attentius eruditioni & informationi ejus imminere semper optamus. Et quoniam presentia corporali non possumus, affertur & literis eum volumus visitare. Quapropter & nunc eis Apostolica benedictionis alloquium per scripta nostra transmittimus, & de servandis his, quae inter vos supradictus frater noster instituit, nostris literis admonemus. Ne igitur, quod Deus avertat, id accidat inter eos, quod deslet Propheta dicens: Populi petierunt panem & non erat qui frangeret eis, frequens exhortatio vestra non desit, ut in veneratione Sacrosanctae Romanae Ecclesiae sicut bene ceperunt, immobiliter perseverent, & devotis mentibus ac studio incessabili supradicti fratris nostri constitutiones observent. Attendite, quoniam speculatores dati estis domui Israel, tuba sit in gutture vestro & non detis silentium ei; Annunciate populo Dei scelera eorum, ne si forte non annunciaueritis impio iniquitatem suam, ipse quidem moriatur in peccato suo, sanguis autem ejus de manibus vestris requiratur. Proponite vos ipsos eis in exemplum bonorum operum, & quod eis agendum est non tantum verbis, sed & vita & operibus demonstrate, ut in memoria videamini retinere mandata Domini, ad faciendum ea, & ejus ministri ac discipuli comprobemini, de quo dicit Scriptura: Quia cepit facere & docere. Contentibilis quidem habetur sermo Doctoris, cum praedicationi ejus exemplum bonae vitae non concordat. Confidimus enim de misericordia Creatoris, quoniam si vos juxta vestri officii debitum excolendo agro Dominico, & eruditioni ejusdem populi verbis & operibus intendere studueritis, & in observantia doctrinae Apostolicae, ac Sacrosanctae Romanae Ecclesiae obedientia humiliter permanseritis, & hic virtutum capietis incrementa, jugiter, & in supremo examine ad praemium aeternae beatitudinis cum sanctis omnibus pertinetis. Ad hoc licet in generali concilio sit constitutum, ut quicumque in clericum violentas manus injecerit, tam diu excommunicationi subjaceat, donec ad sedem Apostolicam satisfactorius accedat. Pro longa tamen remotione terrarum, eandem constitutionem duximus temperandam, ut videlicet his tantum qui forte in eodem populo neci tradiderit clericum, monachum, vel conversum, vel aliquod ei membrum inciderit, satisfactorius ad sedem transmittatur Apostolicam. Alii autem à vobis competentis satisfactione ipsis indicta, ab excommunicationis nexibus absolvantur, praestito tamen primitus juramento, quod mandato vestro debeant obedire. Vos autem formam (penam) eis Ecclesiasticam postmodum injungetis, ut nec in facto sint, nec in consilio, nec consensu, ut clericus, monachus, vel conversus verberetur aut capiatur. De cetero charitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, quatenus censum, quem regnum & populus vester B. Petro annuatim statuerat solvendum, quisque de suo Episcopatu annis singulis colligere,

gere, & sedi Apostolica transmittere fideliter studeatis. Datum Laterani IV. Calendas Decembris.

1153.

Quæ autem fuerint Albanensis apud Sueones condita statuta, quorum observationem Anastasius hic inculcat, nec dum comperi. Verum quod Suecorum suffragia non prævaluerint Gothorum pertinaciæ in fundatione sedis Upsaliæ Archiepiscopalis apparanda, quorum tamen sententia etiam in Regum consuevit designatione victoriam obtinere, Suercherus Gothis suffragans, & omnino cathedram Lincopiæ figendam contendens, in causa potissimum fuerat; utpote qui patriam Ostrogothiam præ aliis regni provinciis, Ecclesiarum & cœnobiorum structuris ornandam censuit.

Et Upsalensis CC. in fabrica consumpsit annos, immo in hodiernum usque diem ipsam Reges moliantur & nunquam reddunt opere prorsus consummatam. Atqui Suercherus in primordio sui regiminis, priore vivente conjugis, vel nuper defuncta, cœnobium ad radices montis Omabergensis in Ostrogothia, in loco fundavit amœnissimo, Alvastra vel Alvilstad de nomine conjugis Alvilde nuncupatum, ubi dubio procul ipsa quoque tumultata. Deinde aliud in Smalandia non minori fabricat, aut certe auget, sumptu monasterium Novivallense, cujus plerumque fundator Gislo, tempore Suercheri Ecclesiam moderans Lincopensem & Vexionensem, primus obtenditur. Quidquid tamen sit, regia munificentia non modice illud crevisse opus nulli dubitandum; Siquidem Suercheri & Caroli filii operæ etiam monachi postmodum eo translati, & imprimis Alvastram. Enimvero Benedictinis arbitror principio illa tributa monasteria, cum anno MCL. Suercherus & Eschillus Lundenis Archiepiscopus, consilio hac super re inito de Cistercio viros quosdam religiosissimos huc adduxerint, Rege suos in Alvastra, & Archiepiscopo reliquos in Herevadensi Scanensium monasterio, deponentibus. Deinde anno MCLXI. idem Lundenis Præsul à D. Bernhardo Clarevallensium Abbate sibi familiarissimo, secundum monachorum pro se & Carolo Sueonum rege impetravit examen, in Nydala Smalandiæ atque Efrum Sielandiæ mox constitutum. Itaque primam Alvastræ coloniam expediunt ad insulam vulgo Interö vocatam, sed loci propter angustiam & rerum inopiam, inde postmodum translata est ad sylvam Logenæs. Sed neque illic commodam satismorandi nacta oportunitatem, beneficio Dominiæ cujusdam prænobilis, optimam Varnhemæ habitandi conditionem impetravit. Alteram deinde anno MCLXXXVI. coloniam destinat Alvastra cœnobio Juletensi; ideoque Varnhemium & Juleum soboles censentur Alvastræ. Verum Nydalia examen Monachorum soli Gudvalliæ Livonum impertivit illa tempestate, aliis sequenti forte ævo colonos attribuens, & præsertim claustrum apud Montanos Husbyano communicans. Sanctimoniales verò hujus ordinis, imprimis opera Caroli anno MCLXIII. de Cistercio Suevorum, ad Vretense Ostrogothorum asceterium traductæ, à vestalibus prius Benedictinis inhabitatum, & inde colonas Gudhemense, Risbergense, Schogense, & Aschebycense perceperunt cœnobia.

Ad Suercherum redeo, morti proximum, quam adiit anno MCLL. VIII. Calendas Januarii, ipsa nimirum Domini partus nocte, nefario casus ausu famuli stabularii, inter Alebeck & Ecclesiam Tolftadensem, ad quam per noctis tenebras illo solum stipatus forte sicario, ut divinis Rex pientissimus interesset officii, properabat, & in Ecclesia sepul-

sepultus Alvastrensi sub lapide juxta summum altare prægrandi, testibus Johanne & Erico. Verum hodiè certa hujus tumuli, velut & aliorum, non extant illic vestigia, quod post Religionis superiori admissam ævo reformationem in Suecia Gothiaque, illa velut reliquorum Ecclesiæ monasteriorum prorsus desolata, & cippis hujusmodi spoliata, stabuli vicem præbeat accolarum jumentis & armentis hoc tempore, non sine Principum Suecicorum summo dedecore, qui majorum suorum tumulos tanta permittunt injuria premendos! Monstrantur quidem adventantibus aliquot cippi prope chorum Ecclesiæ supremum in sacellis propinquis, faxis rudibus perfunctorie sublevati mandato Regis Johannis, ipsorum molientis restorationem, & primus Suerchero plerumque tribuitur. Ast Epigraphæ destituti indubitata non promerentur fident donec tumbis scrutatis, evidentiore prodantur documento.

Denique historia Danorum memorat ipsum Suercheri ficarium, à Magno Ragvaldi ex filia nepote, Suecorum diadema capturiante ad scelus perpetrandum fuisse instigatum, quod vero non multum ab simile videtur. Atqui regio conclavi noctu cubantem esse Suercherum trucidatum, quod eadem narrat, neque nostris historiis, neque consentiens veritati.

Carolus Suercheri ex Alvilda primogenitus vivo, ut dictum, patre decrepito, à Gothis Rex salutatur, teste, præter alios, Erico, qui Carolum biennio ante D. Erici ad honores regios promotionem, affirmat Gothorum suffragio eosdem consecutum, quos adiit Ericus MCL. Nam Sueones Caroli designatione offensi, Ericum Ingonis generum sibi Regem statuunt, Suerchero & Carolo Gothiæ solum dominantibus ad annum MCLII quando in fine prioris anni parente fati sublato, licet Carolus denuo à Gothis in regia confirmaretur potentia, testimonio Erici tamen procerum interposita utrinque autoritate, cessit illa Carolus Erico conditione, ut ille mortuo subrogaretur, quod nemo Chronographorum nostrorum tacuit pactum. Promotioni verò Erici non modicum profuit, & Caroli refrænabat ambitionem, quod Valdemarus Rex Danorum nepos esset Christinæ Erici consortis ex filia Ingeburge, D. Canuti Obotritorum regis uxore, cujus potentiam Carolus formidabat. Nihilominus tamen Carolus, incertum cujus auxilio fretus, sceptrum à Gothis oblatum resumpsit, anno MCLIX, forsitan conspiratione adversus Ericum cum Magno Henrici sancita, eò processit audaciæ, cum una in mortem Erici Carolum machinatum certo constet certius. Sed Carolum biennio ante intermissos aliquandiu regios honores repetivisse testatur Ericus, regni decennium ipsi assignans, anno MLXVIII. decedenti, & V. anno regiminis Carolini Stephanum infula donatum Archiepiscopali, quod accidit MCLXIII. Ideoque ex his certo infertur, Carolum MCLIX. denuo gubernaculis Gothorum admotum, interea Erico soli Sueciæ dominante. Verum anno MCLX. fraude Magni trucidato Erico, Carolus sceleris aggressus consortem, sub Upsalia ipsum cum Danorum reliqua occidit cohorte, & regni utriusque suscepit moderationem & inaugurationem, quam prosequemur exactius, ubi historiam D. Erici prædecessoris ad finem pertexuerimus, cui nos modo accingimus.

Ericus patre natus Jedvardo, insigni apud Sueones viro, & matre de Regali oriunda progenie, lubricos adolescentiæ gressus devitavit, solidam virtutis calcem pede terens assiduo. Proinde non solum indigenis evasit charissimus universis, sed etiam Christinæ, Ingonis

nis filia, & Vlodimiri Rufforum Principis viduæ in Sueoniam reverfa digniffimus censebatur amplexibus. Hanc verò multis antequam regios adeptus honores duxit Ericus annis, mediocri jam ætate provectam, utpote cujus filiam S. Canutus Rex Obotritorum, anno MCXXXI. morte sublatus habuit conjugem, atque ex illa liberos ternos, quos inter Valdemarus I. eodem quo Ericus in Suecia, in Dania regnum potiens, suscepit. Alteram quoque Vlodemirus genuit ex Christina filiam, Belæ Ungarorum matrem Regis, quod superiores inculcaverunt pagina. Verum Erico genuit Christina solum Canutum, à morte Caroli throno Suecorum merito donatum, ast multò prius quam eodem pater potiretur procreatum. Siquidem octennio vix evoluto ab obitu paterno, ab exilio reversus, Carolum regno & vita spoliavit.

Quocirca cum Ericus tantæ dignus heroinæ thalamo, etiam ante diadematis possessionem extimatus fuerit, falsissimam liquet illorum assertionem, qui Ericum agricola genitum prædixit scribere non erubescunt. Quos insuper vetustissima Regni Breviaria manifesti convincunt erroris, aliaque prisca documenta nostri Archivi vanitatis ipsos coarguunt. Quanquam si his ortus natalibus Rex sanctissimus foret, non dedecori, sed laudi potius ipsi vertendum foret, quod propria virtute, & nullo generosi sanguinis adminiculo, ad tantas nuptias, & regiam pervaserit dignitatem, similisque fortunæ, vix autem virtutis, habuerint olim quæ orientis quæ etiam occidentis clarissima imperia, moderatores. Immò quis Regum toto orbe modernorum, inter prolixam majorum phalangem, non agricolam tandem deprehendet & agnoscat propagatorem? Ideoque copiosior de his disputatio supervacanea nobis censetur, ad primordia Erici regnantis modo progressis, quæ annus MCL. aperuit. Enimverò Sueones, Caroli per Gothos se inconsultis facta electione plurimum exasperati, Erico regias tradunt habenas, sibi non modice gratulantes de Ingonis mascula progenie ab Erico restaurata.

Itaque Ericus axiome Suecorum suscepto, mox crebras Finnum in Sueoniam suppressurus excursiones, anno MCLIII. bello illos aggressus est, secum ducens B. Henricum Upsalensis Ecclesiæ præfulem religiosissimum, quem MCXLVIII. Nicolaus Albanensis ex Anglia huc perduxit. Hujus vero informationi Rex Finnes victos & Christo addictos commendans, in Sueciam eadem remeavit ætate. Proinde sequenti hyeme Præsul officio satisfactus, villas sedulo pererrat, neophytos erudiens & gentiles ad veri numinis convertens agnitionem, velut etiam prævaricatores legis Divinæ disciplinâ corrigens Ecclesiastica. Quos inter cum homicidam Lalle nominatum in prædio Sarris prope lacum Kiuloierf sito habitantem, eadem nonnihil corripuisset, ab illo nefarie trucidatur, & Nouxis tumulatur. Unde multis post annis translatus Abogiam, & in Divorum relatus catalogum.

Nec minus etiam refutat idem chronicon quorundam opinionem, asserentium ob cibum numerata quidem pecunia, sed Domino invito acceptum, fuisse D. Henricum neci traditum, allegando pervertitum certumque Breviarii Abogensis Ecclesiæ contextum sequentem: *Cum verò edificationi & confirmationi Finlandensis Ecclesiæ prudenter & fideliter insudaret, accidit ut homicidam quendam ob ipsius facinoris immanitatem Ecclesiasticâ disciplina vellet corrigere; ne facilitas nimia venia, incentivam delinquendi præberet. Quod salutis remedium infelix vir ille sanguinum contemnens, in sua vertit damnationis augmentum, odio habens se salubriter arguentem. In ministrum itaque ju-*

sticia & salutis suæ zelatorem funestus insiluit, ipsumque crudeliter trucidavit.
 Quod scelus inaudiens Ericus immenso fuit dolore cumulatus, mox hominem sceleratum promeritis demandans plecti suppliciiis, & Kopmannum pietate virum insignem Upsalensi tradidit Ecclesiæ viduæ Antistitem.

Suercherus fati abreptus, & Carolus acceptans conditionem & Sueonum petitioni auscultans, thronum etiam Gothorum Erico annuit, quem MCLVIII. ab ipso tamen reposcebat, & tenebat, sequenti biennio Sueonibus duntaxat Erico dominante, donec Magnus Ingonis ex filio Ragvaldo pronepos, ratus se propinquiorem diadematis Suetici hæredem quam Ericus, & à Carolo Rege Gothorum, aliisque regni utriusque proceribus, Erico justitiæ rigidissimo executori offensissimis instigatus, clam ex Dania non paucis succinctus copiis, nulla prorsus belli denunciatione prævia, regnum & Ericum prorsus inscium & imparatum invaderet, festo Ascensionis in Cælum nostri Salvatoris. Qui proinde dum officiis adest Divinis, in sacello ligneo intra parietes Ecclesiæ Upsalensis nec dum consummatos extracto, crebris monitus nunciis de hostium acceleratione, tandem illinc egressus, & cum paucissimis repentino concursu undique de vicinia congregatis hostem aggressus, adversus X, teste Huitfeldio, quorum antesignani Henricus Scateler, & filius Magnus, diuturna solus confligit pugna; Verum ab ipsis demum viris & viribus prævalentibus superatus & prostratus capite mutilatur, quo hodie loco fons in horto Upsaliæ regio scaturit, & deinde famulorum opera sepultus in vicino fundo, ubi temporis progressu facellum de nomine Regis fabricatum, hac etiam minus decenti perseverat tempestate conspectu.

Atqui rumore mortis regis per Suæciam quaquaversum publicato, ad arma certatim concurritur, Carolo ductore, qui non tam regni ambitionem, quam mortis præ se ferebat vindicationem, ut neque sceleris participem, sed vindicem se præbebat acerrimum, complices medio ab Upsalia stadio internecioni tradens universos, ut nè quidem nuncius tantæ cladis in Daniam ex toto redierit exercitu, atque ex spoliis amplissimis in spatio pugnæ templum construens eximium vocabulo Daniæ insignitum, & Danemarck etiam hodie nuncupatum. Deinde Carolus regni utriusque gubernaculo admotus, Erici funus ab Östrahägrus ad Ecclesiam novæ Upsaliæ, propinquam Furingsvald, & prisca Regum tumulis, honorifice translatum, in medio templi condidit. Sed ad veterem denuò Upsaliam, quando cathedra simul eo promotæ, & corpora Episcoporum illic depositorum una deportata, referuntur, & argenteo includuntur scrinio, postquam Ericus Sanctorum inscriptus esset elencho. Migratio autem D. Erici regis & martyris contigit, XV. Calendas Junii, anno regni X. & salutis humanæ MCLX. hostibus deinceps regiam in vicinio aulam spoliantibus, & Magno regis certatim titulos honoresque tribuentibus, & mire sibi de victoria gratulantibus, ast indigenis Ericum lamentantibus sine intermissione, donec infortunium dilectissimi principis vindicassent. Quippè non secus ac pater subditis optimas condidit leges, tributa relaxat, nulli violentiam infert, omnibus suo præluceat exemplo, ad pietatem, probitatem, modestiam, æquitatem, sobrietatem, patientiam & pœnitentiam instigans.

Insuper Ericus Upsaliæ Archiepiscopi sedem, velut focer meditantans collocandam, Ecclesiæ mœnia prius inchoata egregio continuat opere, sumptibusque immensis, adeo ut nisi morte fuisset præventus, brevi ad

ad fastigium terminumque illam Ecclesiæ perduxisset fabricam tempore, cui vix CC. postea manus suprema imposita annis. In dotem etiam prædia Ecclesiæ amplissima & frequentissima tribuit, ut Ericus testatur Pomeranus in literis ad Consistorium Upsalense datis, asseverans hinc Regibus Sueonum jus Patronatus attinere & Præfulum ad ipsos designationem spectare, quod alibi ventilandum, & ad Ericum remeandam. Hunc Crantzius more suo cum pronepote Erico, cognomine Balbo, confundit, & anno MCCXLIX. in Visingiana ipsum oppetivisse mortem comminiscitur. Erpoldus vero Lindenbruchius Daniæ Historicus, & nostri simul Chronographi fatentur, anno MCLII. quando Carolus Erico cessit habenas, lege à Sueonibus & Gothis concorditer promulgata, decretum ut alternatim illæ binæ Regum familiæ sceptrâ capescerent, concordia solidius utrinque firmandæ gratia. Verum, pro dolor, secus multò contigit, & unde pacem, inde bellum, unde concordiam inde discordiam, atque unde regni incrementa, inde maxima perceperunt detrimenta, dum alter alterius regimini & vitæ frueret insidias, regno tumultus ciceret, cladem patriæ induceret, sanguine agnatorum conspergeret, ac tandem in mutuo rueret vulnera, cædemque, donec centesimo exinde anno Valdemarus ex utraque oriundus familia, utpote paternum à Suercheri & maternum ab Erici ducens genus progenie, regno utroque potitus, finem tam diurnæ quidem imposeret discordiæ, novæ tamen classicum caneret dissensionem non minus periculosa, quemadmodum de utraque operis docebit progressus, & ego ad S. Ericum regressus, comperio illam Regni lustrationem quam Rex designatus ante coronationis suæ festivitatem, toto instituebat regno in propria persona, indigenas de sua probitate & æquitate assecurans. & vicissim ab ipsis juramenta captans fidelitatis, ab illo legibus sancitam, & *Erichsgatu* appellatam. Inprimis autem Uplandi Regem novum, incolumitate promissa deducebant Stregnesiam, illic Sudermani præbito conductu pariter salvo occurrentes Suintuniam comitabantur, quem inde Ostrogothi, datis obsidibus, ad medium sylvæ Holvedensis saluum perductum Smalandis præsentarunt; à quibus ad Junabeck perlato Vestrogothi obviarunt, comitantes ad Romundaboda in meditullio nemoris Tivediani, & Nericiis per suas deferendum provincias assignantes, tandem ad pontem Oppugensem Vefmannorum curæ designatus, Uplandis salvus restituitur, ac Upsaliam diademate redimendus reducitur, neque sine hujusmodi regionum peragrationse, Rex legitimus Suecorum & Gothorum reputabatur.

Hæc de S. Erico, nunc paucula de conjugæ & filio dicturus, ac ipsam quidem fœlicissimam olim censebant Sueones, quod maritum & generum tantæ nacta sanctitatis, ut Sanctorum catalogo publicè notari mereretur. Illam quoque non modico sanctimoniam illustrem encomio apud posteros floruisse, nullus dubito, & obitu maritum antevertisse arbitror, cum nusquam illius deinceps fiat mentio, & provectioris fuerit ætatis, atque in cœnobio Vretensi prope tumulum paternum, sicut & novercam Helenam, novissimæ clangorem tubæ præstolari. Sed Carolus ex pacto cedens Carolo, aliquandiu moratur in regno, donec ipsum formidans æmulum Carolus, in Norvegiam cedere anno MCXLV. compelleret, unde triennio post regressus, Carolo formidabilior evasit, velut utriusque enucleabit historia nunc concinnanda, & inprimis Caroli.

Carolus Suercheri de Alvilda filius ad regni permissus consortium

â parente, anno MCXLVIII, Suenoni Danorum regi bellum MCL inferenti se animose opponit, ipsum in Daniam cum dedecore compellens remeare. Ideoque verum quod Crantzius sub regimine Caroli asserit Johannem, scelus illud in matronas Hallandicas, vivente nihilominus parente, perpetrasse. Atqui falsum est, quod idem memoret Albertus, Carolum legationibus & literis crebrioribus â Suenone pacem deprecatum, rigidiorē in fratrem promissâ vindictâ, velut superius liquido comprobatum. Deinde Carolus regno etiam Suecorum post D. Erixi cædem potitus, regimen suum â rerum sacrarum auspiciis promotione, mox cœnobium Alvastrensē â patre fundatum & non consummatum, mœnibus & pluribus eleganter complens ædificiis, sicut etiam claustrum Vretensē, ab Ingone cœptum & non perfectum, anno MCLXII, sumptuose absolvit, & sequenti de Cistercio Suevorum cœnobitas magnis curavit impensis eò perducere ordinis D. Bernhardi, cum prius illic vivendi normam D. Benedicti moniales sectarentur. Construxit verò antea cœnobium in villa Sæby aut Vigby prope Sigtoniam, inde Saba vocatum, quò monachos, anno MCLX, induxit, & hoc postmodum transtulit monasterium Canutus Juletam in Sudermanniam, Præterea jecit Carolus fundamenta claustrum Varnhemensis, â Canuto deinceps ad fastigium perducta. Atque præfata religionis opera in expiationem necis Ericianæ ab ipso procuratæ, memorant nostratium quidam Carolum perpetrasse de consilio Episcoporum. Neque his contentus, destinat ipse ac Uipho Dux legatos Romam, insinuantes Alexandro III. Sueones & Gothos unanimi tandem consensu Upsaliam regni metropolim, & Stephanum cœnobii Alvastrensis alumnum designasse Archipræsulem, & obnixè Pontificis quoque implorantes suffragium, illoque non difficulter obtento reversi Nuncii, & Stephanus, natione Gallus, cum ex Claravalle illius claustrum adduxerit colonos, anno MCLXIII, non MCLX, velut perperam Danorum continet historia, Lundia ab Eschillo munus acceptat consecrationis & pallium ex urbe transmissum.

Atque cum memorati Romæ similiter Legati ab Alexandro consensum impetrassent inscribendæ B. Helenæ in ordinem Sanctorum, sequenti anno Stephanus ex commissione Pontificis illius magna peragit sollemnitate apothéosin in Ecclesia Vestrogothorum Schedvicensi. Hæc verò nobilissimis illic prognata parentibus, à mariti obitu elemosynis, jejuniis, hospitalitati, orationibus & aliis sanctitatis sedulo vacavit operibus. Sed gener filiam assidue verberibus tundens infontem, â famulis Helenæ trucidatus, ingentes commovit tribulationes, agnatis causam necis innocenti tribuentibus matronæ, & jugiter insidiantibus. Illa proinde absentia hostes mitigatura, votivam suscepit Jerosolymam peregrinationem, quam deinceps reversam, & ad encæniam Gothenensis Ecclesiæ properantem, adversarii nihilominus ceciderunt, sub porticu templi Schövicensis ab ipsa fabricati humatam, & anno præfato elevatam atque canonizatam. Cædes autem D. Helenæ contigit juxta Lincopensē Breviarium Calendis Augusti, & secundum Scarense III. Calendas Augusti, nempe Julii die penultima, & hæc verisimilior assertio, cum illo festività Helenæ olim toto Suecorum ageretur regno, sed annus mortis in nostris omissus annalibus, multum tamen MCLXIV. antecessisse, quando illa Divis adnumerata, certissimum est. Unde proditur quoque illorum error, qui Helenam Ducis Gutormi censent filiam, utpote cum Helenæ mors Gutormi præcesserit natalitia, qui anno MCLXIII. â Carolo in Daniam expeditus, Sophiam huc adduxit. Verum quidem Gutormo hoc nomine filiam natam, quam nobilissimus

Danorum Esbernus Snare, Absolonis Archipræfulis frater, filius Aiceri & nepos Schialmonis Albi matrimonio duxit, ex sententia Saxonis & Andreæ Vellej. Qua verò satus progenie Gutormus & Ulpho, hujusævi Duces, inter Sueones & Gothos, nemo historicorum exprimit, & neque veritati conformis illa liberorum & nepotum Gutormi assignatio, quam plerumque fragmenta genealogiarum Sueticarum producunt.

Sed nunc Stephanum revisamus, qui Alexandro Pontifici tantopere familiaris erat, ut ipsius motus instantia Rugiam quoad jurisdictionem Ecclesiasticam, diœcesi subdiderit Roschildensi, anno MCLXVIII. prout Huitfeldius diplomate Romano producto demonstrat, in quo Lundensis quidem fit mentio præfulis, absque primatis in Sueciam glorioso vocabulo. Denique Alexander Stephano & Eschillo Lundensi Archiepiscopis S. Canuti Ducis commisit apotheosin, ab ipsis Ringstadii, anno MCLXX, XXV. Junii sollemniter celebratam, quod Huitfeldius in historia Valdemari I. palam de Stephano confitetur, & tamen in Chronico Episcoporum Lundensium illud Stephano invidens præconium inficiatur, prætendendo ipsum cum Helgone præfule Aslogensi in quodam Norvegiæ negotio illic eo tempore constitutum. Sed quidquid sit, hinc tamen colligere licet Stephanum magnæ prudentiæ atque autoritatis virum extitisse, cum Romani, Dani, & Norvegi hujus operam in magni rebus momenti usurpare fuerint dignati, qui tandem XV. Calendas Augusti anno MCLXXXV. in fata concedens, Alvastræ in Consistorio monachorum promeruit depositionem. Interea Carolus pacifice regnum gubernat, Canuto Erici filio in Norvegiam expulso, & quo securior à vicinorum fit infestationibus, Sophiam, Ingonis atnepem, S. Canuti Ducis neptem ex Christina, Magni Cæci Noricorum regis filiam, & Valdemari Danici sorore genitam, misso in Daniam anno MCLXIII. Duce Gutormo, sibi conjugem delegit, ex illa Suercherum III, Sophiam, Henrico Burevino Vandalorum Principi desponsatam, & alteram Christo apud Vretenses denuptam generans liberos.

Ideoque liquet ex his non obscure Suercherum III. genus ab Ingone maternum quoque traxisse, & trinepotem illius extitisse, siquidem Christina Ingonis filia ex Vlodemiro Ingeburgem D. Canuti uxorem, & profocrum Caroli, & Suercheri proaviam conceperit. At illius avia Christina repudiata à marito, velut prodens secreta Noricorum Danis, fecit in patriam cum filia, quam XXV. post annis Carolus sibi conjunxit. Huic deinde, velut regio Noricorum sanguine oriundo, Norvegi scepra deferunt, testimonio Saxonis lib. 14. *Norvegi, ait, pralio ab Erlingo obruti, victoria pariter & Rege privati, ad Carolum Suecia regem profugiunt, ipsumque belli Ducem exposcunt, cui cum Norvegiæ rebus etiam aliqua necessitudinis communio videbatur. A quo diu promissorum alacritate protracti, postquam cum magis de proprio regno servando, quam de alieno obtinendo sollicitum compererunt, Legatos ad Valdemarum auxilium implorantes misere.*

Itaque cum Gothis X. & Sueonibus VIII. ferme Carolus dominatus esset annis, non paucis pro utriusque ornamento interim facinoribus editis, à Canuto Suecorum copiis stipato, in Visingiana insula pridie Idus Aprilis, anno MCLXVIII. cæsus, in tumultu Alvastræ paterno conditur. Proindè fallitur Crantzius affirmans, quendam Haraldum de stirpe Regum Danorum exortum, auxilio Caroli Scaniæ molitum subactionem, cum illa hinc expeditio auxiliaris in annum MCLXXX. inciderit, neque vero simile Carolum in Valdemari affinis sui quidquam machinatum detrimentum.

Sed calculus seculi labentis aliquandiu intermissus nos revocat ponderandus, qui annum MCXV. primordio sedentis in cathedra Lincolniensi Gisoni merito assignat, à quo Ecclesia plurimum ornata & propagata, & cœnobium Nydalense in Smalandia anno MCXLIV. Suercheri patrocinio accedente fabricatum. Idem quoque Præsul interfuit concilio Lundiaë a Legato Pontificis Romani Theodigno celebratum MCXL. in quo presbyteris matrimonia & quælibet mulierum illicita confortia prohibebantur, per Sueciam, Daniam & Norvegiam constitutis. Nam Calixtus II. anno MCXX. in concilio Rhemenfi hujusmodi publicat statutum toti Ecclesiæ catholicæ, & cum Scandianus illi clerus non auscultaret, expeditus huc Theodignus præfatus. Verum clero postmodum Sueciæ eandem passim constitutionem prævaricante, missus Guilhelmus Sabienfis in Gothiam, ubi Scheningiæ MCCXL. præsentibus Erico rege & Jerlero Archiepiscopo provincialem indicens synodum, sub gravissimarum incurfione pœnarum matrimonia Presbyteris, Diaconis & subdiaconis indicit, prout infra fufius exponendum.

Deinde appendix historiæ Bremensis quendam statuit Sivardum Ecclesiæ Upsalensis Episcopum anno MCXLI, estque ille quem nostratium quidam vocant Sialdum, in catalogo Præfulum inter Suenonem & S. Henricum collocandus. Qui tempore præfato, & sequenti anno fuit in negotio Ecclesiæ Bremæ apud Alberonem constitutus Archipræfulem, quod Suecia & Gothia sedi Hamburgensi adhuc obediret, & non Lundensi, velut Dani falso jactant. Insuper hoc anno quidam annales Suercheri diadema tribuunt Gothorum, quidam conjugem Suentoslavam illo mortem oppetivisse testantur, sed neutrum veritati temporum conforme, velut copiosè aliàs probatum, nisi fortè prior Suercheri consors Alfhilda hoc decesserit anno, quod etiam vix admittendum, cum ætas Johannis Ducis secunda geniti, facinora & obitus plures requirant annos, modo verum Suentoslava natum & filium Bugislaum procreasse ab avo nominatum materno. Post octennium verò pater Suercherus, nempe anno MCXLIX. pactum iniit cum Eschillo Lundensi de monachis ex Clara valle advocandis, & sequenti huc adventantibus. Hinc falsus deprehenditur illorum calculus, qui MCL. statuunt initia fabricæ Alvastrænsis, utpotè quæ dudum inchoata, illo fermè consummata primos colonos admiserunt, aut certe si prius à Benedictinis habitata, hoc tempore Cistercienses acceptarunt alumnos, illudque cœnobium antiquitate proximum Vretensi, quod omnibus Sueciæ Gothiæque monasteriis prærogativam eripit vetustatis, idque cum luce clarius meridiana, demiror quorundam ineptiam & inscitiam, anno MCLVI. contendentium illud ab Ingone & Helena fabricatum, utpote dudum mortuis, & genero filiarum rerum in Suecia tunc potiuntibus. Huic tamen assertioni reor occasionem præbuisse, quod fortè nonnullam illo tempore cœnobii portionem D. Ericus & conjunx moliti, Divino & paterno amore provocati, præsertim cum illic Christinam, aut Telgis prope matrem Ragnildem arbitrer certè tumulatam.

Anno denique MCLIX. teste Huitfeldio, Henricus Leo Dux Bavariciæ atque Saxoniciæ, Visbyensibus eadem concedit privilegia, quæ Lotharius avus emporiis aliis impertivisset. Enimverò, Vineta per Danos urbe Vandalorum celeberrima solo æquata, migrarunt indigenæ Suecici Regis permissione in Gothlandiam, fundantes Visby civitatem, & privilegia Imperatorum, & Suecorum impetrantes, quæ nostratium monarchiæ deinceps confirmarunt, variarunt, & pro temporis ratione abro-

abrogarunt, ut liquet de Magno Ladulas, Birgero & Magno III, qui præterea legum codicem tradidit indigenis, à ruricolis & civibus pariter observandum, & sigillum utrique præscribit usurpandum, scilicet agnum salutiferæ crucis bajulantem figuram; Leges autem Germanicæ & Sueticæ comprehensas etiam hodie reor incolas sectari, dum judicium frequentant subsellia, & signum usurpare. Hæc pulcherrima Baltici maris insula Gothos accepit dominos, quando Judæis Othoniel dominabatur, ab ipsis tunc egressis in Ulmerugiam, etiam primos nacta colonos, & nomenclaturam, Gothorum terra, non bona, ut quidam nungantur, terra appellata, licet ob singularem soli fecunditatem cœlique benignitatem, neque illud respuat ethymon, verius tamen prius potiusque. In ea quoque nostri primam Christianæ religionis sparsere fementem, Lincopeni Ecclesiæ continuo auscultans in fidei negotiis, & quidem à conversionis suæ primordio, velut Guilhelmus Sabinensis, anno MCCXXVI. ibidem nomine sedis Romanæ constitutus, suis fatetur literis, & Dani passim in suis non inficiantur historiis. Immo hanc insulam regno Sueciæ semper fuisse subjectam non diffitentur, donec ipsam Valdemarus IV. Danorum Rex anno MCCCLXI. subjugare nullo tentavit jure, atque infortunato successu, velut ex operis constabit evidenter progressu.

Possidet verò illa latitudinem VI. & longitudinem XVIII. milliarium Sueticorum, XIV. ab Ostrogothiæ litore, Curlandico XX. & Danificano XXX. sejuncta stadiis, ac divisa in XX. territoria, & C. parochiales Ecclesias, præter templa urbis Visbyensis olim magnifica, sicut & urbis splendidissima ædificia, testimonio plurimorum historicorum, quos inter Crantzius ita fatur lib. VIII. Daniæ, loquens de Christiæni I. eruptione in Gothlandiam, machinantis hac via Sueciæ sensim occupationem: Proximo deinde anno Christiænus primam regni operam impendit, ut Sueciam per partes, duobus regnis iterum conjungeret; Nam armatum duxit exercitum in insulam quam vocant Gotlandiam, Sueticæ Coronæ parentem: Eam verò usque in illum diem retinebat Ericus, per omne tempus Christophæri, per Sueticos præfectos eam gubernans. Sed Christiænus vi recuperavit, expugnato oppido Visby quondam florentissimo emporio mercatorum. Testantur fores & fenestra ferrea que extant in hodiernum. Diu navigantes ibi marini juris tribunal recognovere, & vetusta ibi mercatorum privilegia aservabantur, nunc in tutiores translata sedes. Et Jacobus Ziglerus in sua Scondia: Visby civitas, emporium fuit antiquum celeberrimum, instar ejus apud Genuam Ligurum. Postea Danorum piraticis excursionibus afflictum, desertum est. Extant hodie ruinae veterem claritatem. Fuerunt hoc loco prima Gothorum stativa qui Meotidem occuparunt, estque hodie fertilitate agri & arce & monasteriis insignis. In reliquis est cœnobium ordinis Benedicti, apud quos est bibliotheca circiter duum millium & auctorum & codicum veterum.

Humiliatam verò asserit Olaus Magnus lib. X. capite XVI, propter unius fenestræ contractionem; Sed qua occasione præterea non meminit, certissimum tamen Valdemari IV. tyrannide ita prostratam, anno MCCCLXI. permissione Magni Suecorum Regis, Visbyensibus ignotum qua de causa indignantis, ut nunquam caput deinceps ad gloriam levare potuerit consuetam.

Verum de his alibi commodius, & annum MCLXIII. nunc ventilemus, quando Fridericus, cognomento Barbarossa Imperator Romanorum, Vefontii in Burgundia ordinum frequentissima celebrat comitia, ubi comparentem quoque Valdemarum I. Danorum Regem, Hartvicus Bremensis Archiepiscopus ob Daniæ suæ jurisdictioni subtractam

compellat, teste Crantzio lib. VII. cap. 46. Metropoleos: *Hartuicus Bremensis Archiepiscopus*, cum esset inter alios *Vesontii* in concilio generali, & *Victor* tum pro summo Pontifice se gerens, ibi adesset, proposuit querimoniam quod *Ecclesia* sua olim Legationis dignitate super omnia aquilonis regna prædita, misere per Romanos Pontifices esset despoliata, cum tribuant provinciis illis suos Archiepiscopos, non reservato jure Archiepiscopi *Hamburgensis*. Et quoniam *Valdemarus Rex Dania* ibi adesset, sperabat *Hartuicus* decreto concilii constitutum iri, ut iterum parerent Archiepiscopi cum Episcopis *Hamburgensi* tanquam Patriarchæ. Sed quoniam *Rex Dania* jus habebat domum remeandi, quod aliis conditionibus elicito diceretur, & quia patres non satis confidebant aliquid adversus constituta Romanorum Pontificum decernere, quod Reges evocati non adessent, *Rex Dania* eluso per alium colorem concilio, venantis specie egressus magnis itineribus domum repetebat, & *Hartuicus Archiepiscopus* in sua questione nihil profecit.

Ex quo præter alia liquet contextu, *Sueciæ* atque *Norvegiæ* Reges illuc una fuisse quoque citatos, non comparuisse, qua *Bremenses* spe frustrati, *Scandianæ* postmodum *Ecclesiæ* nullam amplius hujus nomine litem intenterunt; deinceps Episcopi solum *Bremenses* appellati, non *Hamburgenses* Archiepiscopi, multo minus septentrionalium regionum Legati aut Patriarchæ, ad quam maximè anhelabant dignitatem. In eodem similiter conventu memorat secunda *Bremensis Ecclesiæ* historia, *Valdemaro Sueciæ & Daniæ* ab Imperatore *Friderico* collatum dominium, *Ericus Norvegiæ* addit insuper possessionem, quod falsissimum. Si quidem Imperator nihil juris in *Sueciam* habuit unquam, ut neque *Valdemarus*, qui *Carolus* affinem & contæderatum habuit charissimum, & nullam hujusmodi à *Friderico* poscendi occasionem nactus fuit, quem & nullam in hæc regna obtinere jurisdictionem probè novit; Immo quod ridiculosius est à *Cæsare Valdemarum Daniæ* sortitum dominium, quod jam septennio ab obitu *Suenonis* hæreditario tenuit jure. Idem narrant historici, hinc potissimum decepti, quod *Valdemaro* regiones trans *Albiam* à majoribus antea possessas, nimirum *Nordalbingiam* seu *Vandaliam* audiverint Imperatorem concessisse, quæ respectu *Daniæ* sunt *Transalbinæ* & *Scandianæ* regna *Cisalbina*. Hoc etiam *Danorum* probè cernentes *Chronographi*, nihil hujusmodi scriptis mandarunt, quod aliàs literis exarassent majusculis, & asteriscis indigitassent plurimis, de *Nordalbingia* & *Vandalia* non tacentes, dono Imperatoris *Dano* assignatam, velut constat ex *Huitfeldio* in historia *Valdemari I.* & *Valdemari II.* atque *Abelis*, *Regum Danicorum*. Ubi præterea queritur de *Megtilde Abelis* relicta vidua, quod anno *MCCLII*, non solum hujus *Augusti* diploma, sed etiam *Lotharii II.* *Friderici II.* *Cæsarum*, ac *Innocentii III.* Pontificis bullas confirmatorias aliaque magni ponderis documenta, ex odio in gentem *Danorum* flammis absumpserit, intendens præcipuè tyrannidem *Danorum* à *Nordalbingia* solo paterno tali avertere facinore, quam *Suecorum* *Dux Birgerus*, mortua *Ingeburge* filia *Erici X.* & matre *Valdemari*, ac *Magni Suecicorum Regum*, duxerat consortem, de quo infra matrimonio pluribus agendum erit.

Ad *Carolus* nobis remigrandum, cujus auspicio *Verendia* proprium denuo consecuta est *Præfulem*. Nam habuit illa quidem multo ante primum *Antistitem B. Sigfridum*, alterum *Asmundum*, tertium *Sivardum*, & quartum *Johannem*, à veritatis orbita plurimum illis deviantibus, qui *Nicolaum Sigfrido* subrogant, velut etiam iis qui *Asmundum* faciunt *Episcopum Scarensem*, nisi forte *Vestrogothi Ecclesiæ* fuerunt illo tempore subiecti *Smalandicæ*, aut duo nominis ejusdem extiterint *Antistites*, vel certe *Asmundus* utriusque populi præfuerit moderanda-

derationi. Sed tandem mortuo Johanne, Verendensis Ecclesia Scarenfi prorsus incorporata, teste vetustissimo quodam Ecclesiæ Vexionensis fragmento, & temporis progressu ad Lincopensem translata Præsulum obedientiam, quod huic vicinior diœcesi, sub ipsa permansit usque Caroli gubernationem regalem, & Colonis in Ecclesia Ostrogothica episcopalem. Siquidem illo mundi ævo Verendenses Carolum precibus & pretio aggressi, Stenarum Regis consanguineum & ordinis monachum Cisterciensis impetrarunt pastorem. Verum post Caroli cædem, pulsus à Canuto vel aliis Caroli adversariis, secessit in Scaniam, illic Absaloni aliquandiu Lundensium Archiepiscopo adhærens, donec illa paulullum subidente procella, Vexioniam remearet, & vitam illic terminaret. Falitur proinde Olaus Petri, opinans Vexionensem Ecclesiam Lundensi ea propter hoc tempore auscultasse, quod in literis Alexandri III. Romanorum Pontificis, Stephanum statuentibus Archipræsulem, Scarenfis, Lincopensis, Stregnensis, Arosiensis, & non Vexionensis fiat Ecclesiarum subjectarum mentio. Quandoquidem illa tempestate Lincopensi obediverit Præsuli, ac ad eandem cum cæteris aspirans libertatem sub novo Upsalensium Archiepiscopo, diœcesibus regni Suecici, proprium efflagitarit Episcopum.

Neque in præfatis ex urbe literis memoria Episcopæ injicitur Abogensis, quod licet S. Henricus, anno MCL. Finlandorum conversionem exorsus fuerit, aliquot passim sacellis ligneis fabricatis, tamen primordia non jecit mox alicujus novæ diœcesis, sed velut Upsalensi subjectam Ecclesiæ Finlandiam, Christo lucrari conatus, pro qua etiam, ceu bonus pastor, animam ponere non dubitavit. Fundati verò deinceps Episcopatus Abogensis, primus deputatur à Carolo vel Canuto illic Antistes Rodolphus, natione Vestrogothus, vel certe à S. Erico mox post cædem B. Henrici subrogatus, cum non credibile Regem religionis studiosissimum propagationi, tam diu Finlandiam pastore orbam videre potuisse. Certò tamen certius successorem Folquinum, beneficio Canuti Sueonum Regis, ex choro Upsalensi nactum Abogensis Ecclesiæ postmodum infulam; & tandem Thomam patria Britannum, qui anno MCCXLVIII. apud Visbyenses de vita migravit. Quocirca hinc licet colligere, Scarensem, Lincopensem, Stregnensem, Arosiensem & Upsalensem Episcopos, antequam hæc Archipræsulis, anno MCLXIII. insigniretur honore, sua captasse quidem primordia, sed quo labendi mundi anno, & quo in Suecia, Gothiaque dominante Rege, non usque certum; Velut quoque primorum non adeò manifesta Præsulum successio, cum paucis majores calculum temporis apposuerint, quod historia Regis Canuti, quam exordiemur, demonstrabit.

Canutus patre natus S. Erico, matre Christina, patrum habuit Jedvardum, nomen avi referentem paterni, & fratrem Philippum, atque Christinam sororem, quorundam ex sententia. Filiam verò Margaretam nactus, quam Suero Noricorum Rex Canuto synchronus duxerat conjugem, cum memoret Chronicon Noricum Suerroni Regis filiam Suecorum hoc nomine desponsatam, neque alteri Regum nostrorum calculus temporum patiat assignandam sobolem. Ex illa tamen Suero Haquinum aut Sivardum non suscepit, de priori conjugem, vel pellice propagatos.

Verum quod primordia regnantis attinet Canuti, Sueones mox à parentis obitu Canutum diademate ornandum censuerunt, & nisi Carolus utrumque invadens regnum, obicem posuisset, suo Uplandi satisfecit.

fecissent decreto & Canuti voto. Ideoque ad devitandam sanguinis effusionem, Proceres Regni litem utrinque ita decidunt, ut quemadmodum Carolus Erico imperium illa conditione permisit, ut illud Rege orbem capefferet postea sine omni quocunque impedimento, ita vicissim cederet pro tempore Canutus ea lege Carolo. Quamobrem hoc aliquandiu pacto floruit utrinque concordia, donec Carolus animadvertens nimium Sueones in partes Canuti propendere, suoque ab illis regimini periculum, ni quantocius averteretur, imminere, Canutum ex regno in Norvegiam secedere compelleret. Unde magis Sueones exacerbati, triennio evoluto revocatum Canutum, ad sumenda in Carolum arma instigant, suppetias pollicentes amplissimas, & paternam cædem, ærumnasque exilii, quorum author Carolus, exaggerantes, nec dedecus ex Regni amissione inflictum, subtrahentes. His proinde motus rationibus Canutus, copioso Sueonum stipatus agmine, Carolum in Visingia compræhensum trucidavit, anno MCLXVIII, non sine Gothorum vehementissima indignatione. Enimverò hoc commoti scelere in charissimum & clarissimum principem commisso, ad arma protinus convolant, Kool Johannis Ducis primogenito sibi rege inprimis constituto, illoque tandem cum sectatorum numerosa cohorte sublato, secundogenitum subrogant Bugislavum. Sed & ipso postmodum in curia Bielbogensi similiter cum asseclis trucidato, alios Canuto Gothi opponunt adversarios, donec viris & viribus exhausti, victas Canuto dexteris & se morigeros præbere cogentur. Hæc autem primo regni biennio à Canuto gesta, illisque non sine gravissima incolarum clade peractis, concordia omnium ordinum consensu, anno MCLXX. regni utriusque diadema capeffit, quod summo reipublicæ cum emolumento & proprio gessit ornamento annis XXIII. Interea pacificè vivens, neque paternæ necis vindictam à Danis repetere studens, velut Gothus noster insinuat, ob expeditionem sub ipso in Scaniam institutam, cum ipsa longè alia contigerit ex occasione, & quidem hujusmodi:

Scanenses Valdemaro Regi Danorum indignati, quod non indigenas juxta pacta conventa, sed alienigenas, à quibus nimium exaurirentur, suæ ditioni præficeret moderatores, sumptis armis jugum de cervicibus excutere nituntur. Proinde Rex anno MCLXXXI, prope fluvium in Scania Dyssienum rebellibus congressus, plurima incolarum millia dat internecioni, hac cæde civili finem tumultui quoquo modo imponens. Atqui Valdemaro sequenti anno de vivis sublato, acerbior contra filium ingravescit Canutum rebellio Scanensium, mortem cognatorum & amicorum ulcisci, & de pristina se vindicare meditantium servitute. Quippe mox nuncio in Sueciam destinato, Haraldum, Nicolai Danorum quondam Regis ex Magno nepotem, vel pronepotem, ob Valdemari insidias illic delitescentem, in subsidium advocant, sceptrum Daniæ pollicentes. Ideoque Haraldus, cognomine Schrenck, his rebus plurimum exhilaratus, non mediocres à Canuto Sueonum Rege, & Birgero, Gothorum Duce, ingenti ære promisso, copias obtentas ætutum Scanensium fortissimis jungit agminibus, anno MCLXXXII. Sed partim imprudentia propria, partim fraude Sielandorum, & præsertim Absolonis Archiepiscopi dolosa seductus oratione, ex obsidione profligatur Lundensi, & copiis spoliatur auxiliaribus; undè acerbissimo dolore contracto, sequenti anno, non sine veneni suspitione de vita commigrans, in cœnobio Scaniæ Dalbyensi, citra honorem tumulatur sepulchralem. Quid igitur Canuti hæc militaris interest expeditio? Quam pro-

propter ut immeritò à Johanne celebratur, ita etiam nullo ejusdem gratia jure à Saxone vituperatur; & longè minori veritate & autoritate Carolus ob præfatam Haraldi militiam, à Crantzio perstringitur, utpote illo dudum mortuo in Danos susceptam. Itaque cæso Bugislavo ceu Boleslavo, circiter annum MCLXX. non MCCLIII. velut quidam annales falsò astruunt, omnino pacificum Canutus possedit imperium, nisi quod Estones anno MCLXXXVII. pro sua prædandi tunc consuetudine, irruptione in Sueoniam facta, fuerint nonnulla armorum expeditione profligandi. Qui principio mensis Julii celeberrimum illud in litore lacus Meleri, & illa tempestate opulentissimum frequentissimumque emporium Sigtunam exusserunt, opibus inprimis expilatum, & deinceps pridie Idus Augusti, Johannem II. Ecclesiæ Upsalensis Archiepiscopum in prædio trucidarunt Almerstechenfi.

Quod autem Ericus in sua memoret historia, quosdam asserere Danorum Chronographos, à Canuto Daniæ Rege anno MCXCII. nostro Canuto in senium vergenti, bellum in Finlandia motum, ea veritati dissona assertio, cum neque Saxo, neque Crantzius, neque Lindenbruchius, neque Huitfeldius vel minimam illius militiæ faciant mentionem, & Christiernus Petri chronico rythmico, solus omnino victoriam de Finnonibus Valdemaro Canuti parenti pro suo affinxit comminiscendi more, cui mendaciis in gratiam suæ nationis assueto, nulla fides tribuenda. Potuit quidem fieri quod Danus à fautoribus cæsi Caroli vel ut affinis & confæderatus in auxilium adversus Canutum invocatus, per occasionem dum in Livoniam excurreret, aliquid contra Finnones hostile sit machinatus; Sed cum neque Danici neque Suecici fide scriptores digni, nobis quid hujusmodi suggerant, veraci historiæ contextu potius expungendum, quam inferendum est.

Dominantibus verò in throno Suecorum Gothorumque Carolo, Canuto & Suerchero III. inter reliquos regni proceres potissimus fuit Birgerus Jerl, Brofi cognominatus, pronepos S. Canuti Danorum Regis ex filia Ingride, Nobilissimo Sueonum Folchoni denupta, & patruus Birgeri Jerl de Bielbo. Hic filiam Haraldi Gille Noricorum Regis Birgittam, teste Andrea Vellejo in tabulis Danici Saxonis, sibi conjugem adoptat, quæ maritum deindè permovit, ut velut Haraldo Schrench auxilium prius tulisset in Danos, ita fratris sui filio Osteno ad sceptrum Norvegicum jure contendenti, suppetias non denegaret. Sed liberaliter impetratis, consimili rerum eventu quo Haraldus utitur copiis, Ostenus, cum Norvegiam ingressus, & Rex à suæ factionis hominibus salutatus esset, mox vita & regno fuerit spoliatus. Deindè Suerro, leviri quoque filius in negotio eodem supplex Birgerum accedit, & repulsam passus, in Vermelandiam ad sororem Ceciliam secessit, Noricorum Legatis ipsum ad Regni solium invitantibus, suadens Philippum, Birgeri & amitæ filium, pro Rege acceptandum, utpote quem pater sua potentia non difficulter ad solium Norvegiæ sublimare, sed etiam in ipso firmare & conservare posset. Obtemperantibus verò Legatis & Birgerum hac super re compellantibus, præcisè Birgerus abnuvit, perturbatissimæ Norvegianorum reipublicæ filium exponere perendum recusans. Hinc manifestum quantæ potentæ & autoritatis fuerit Birgerus, qui anno MCCII. vitæ terminans periodum gloriosam, tumulo in Ecclesia mandatur Alvastrænsi, consorsque ac soboles, & inde quorundam nostratium error natus, asserentium in Alvastra Birgerum II. cum uxore liberisque humatum, & confundentium hunc cum

fratris filio, qui cœnobio conditus Varnhemensi, prout certissimis deinceps demonstrabo documentis. Erat verò Birgerus II. postremus in Suecia Gothiaque Jerlerorum; Siquidem nostri postmodum consuetudinem, & vocabulum amplexi Germanorum, hujus dignitatis heroes appellaverunt *Hertogar*, illaque honoris nomenclatura primus ex nostris gavissus est principibus Magnus, Birgeri Jerl filius, & de Norvegis Schule, a beneficio Haquini Noricorum Regis sui generi, hac appellatione decoratus est, testimonio Chronici Norvagici pagina CXLV. Quamquam utrumque significationis ejusdem vocabulum, velut alibi copiosè declaratum, & antiquissimæ Scandianorum historiæ latinæ, Jarlum Ducis nomine compellaverint, quod præ aliis, liquet ex Chronico Saxonis, & Islandico vetustatis curiosissimo.

Sed Canutum denuò invisens, comperio ipsum interea temporis duo clarissima cœnobio, pietate quidem Caroli fundata, non verò consummata, Varnhemense apud Vestrogotos, & Juletense apud Sudermannos, opere pereleganti & impensis maximis absolvisse. Immò proclivis in eam feror opinionem, etiam prima Upsalensis Ecclesiæ fundamenta marmorea tunc quoque temporis à Canuto vel certe à Carolo fuisse jacta, non prioribus Suecorum Regibus; licet communis historiæ & Breviariorum nostrorum assertio illud contendat, cum ego in contrariam his incliner rationibus sententiam, etsi diversam superius ex quodam errore ac incitia vetustatis sim amplexus. Inprimis quidem, sub Suercheri antecessoribus aliqua viguerunt idololatriæ apud Ostraarus reliquiæ, quas Christiani abominati, Ecclesiam illic Cathedrallem non credibile ipsos fundare voluisse, aut gentiles permisisse. Deinde Suerchero nostratum nemo illud tribuit opus, ut neque vero simile foundationem Ecclesiæ Archipræsulis præcessisse impetrationem, quæ incidit in annum MCLXIII. regnante Carolo, Suercheri filio. Quid multis? Fundamenta Ecclesiæ novæ substerni nequaquam potuerunt, in loco tanta idololatriæ spurcitie famoso, priusquam facultas illuc Ecclesiæ transferendæ Româ impetraretur, si rigorem illius ætatis respiciamus, quando in minoribus multo negotiis, non à mandato solum sed vel nutu pendebant Romani Antistitis. Certo autem constat certius ex ipsis Papæ literis ab Alexandro potestatem transferendæ Ecclesiæ factam, Petro Arosiensi Episcopo perscriptis, & quandoquidem non de Alexandro hac nomenclatura primo, qui Cathedrallem rexit Petrinam anno salutis CXII. neque de Alexandro II. utpote qui sedit eadem anno MLXII. & multo minus de Alexandro possit hoc nomine IV. interpretari, siquidem ille suis literis anno MCCLX. ad Præsules Sueciæ & Gothiæ datis, XIV. Calendas Martii, quibus ipsos hortatur ad ferenda novæ Metropoleos fabricæ subsidia, ingenuè fateatur à suis permissam antecessoribus Ecclesiæ Upsalensis ad Ostraarus translationem, velut ex illarum contextu huic deinceps operi mandando palam evadet. Ac proinde infallibili colligitur hinc illatione ab Alexandro III. gratiam Sueonibus, à nova Upsalia seu Furingswald, Ecclesiam Cathedrallem, ubi primo fundata, ad veterem seu Ostraarus vulgò quo floruit spacio antea idololatriæ cultus, transferendi, fuisse impertitam; Et quidem anno MCLXIII, vel MCLXIV. cum illius hac super re dispensatione bulla sit IX. Septembris anno Pontificatus IV. exarata, atque Cathedrallem Alexander III. occupaverit Romanam anno MCLX. in ea XXI. residens annis, interim Carolo ad MCLXVIII. & Canuto deinceps in Suecia rerum summam tenentibus. Quod cum ita sit, eodem Alexander tempore nostratibus Archiepiscopi dignitatem & Ecclesiæ ad magni-

magnificentiorem transponendæ locum, fecit potestatem, Regis Caroli, D. Ulphonis & Stephani novi Archipræsulis sibi familiarissimi, omniumque ordinum permotus continua supplicatione. Ideoque protinus Carolus, vel certè is morte præventus subita, Canutus illa Upsaliæ præstantissima substraverunt templo fundamina Metropolitanæ, à Regibus sentim continuata succedentibus, donec anno MCCLX. tempore Valdemari Regis & Ierleri, Laurentii ac Folchonis Upsalensium Archipræsulum translationem Ecclesiæ urgentium, omni fabrica illa promotâ conatu. Undè mediocri parte murorum in altum perducta, sacellum in medio construitur ligneum, & in ipsum anno MCCLXXIII. XXIV. Januarii Metropolis, & IV. Julii exuviæ B. Erici, atque Archipræsulum Præsulumque in Ecclesia Furingsvaldensi tumulorum, ingenti pompa transferuntur, de qua postmodum pluribus agendum. Ex quibus omnibus Breviaria falsitatis arguuntur, asseverantia unanimiter fundatam Metropolim Upsalensem à prædecessoribus D. Erici, & mediocriter ab illo continuatam fabricam, sicut etiam in sacello intra mœnia ejusdem constructo Divinis interfuisse officiis, quando nuncium de hostium percepit adventu MCLX. Ego autem his persuasus rationibus & temporis locorumque circumstantia, sentio ipsum in Ecclesia Furingsvaldensi tunc fuisse constitutum, & inde obviam hosti cum suis properasse copiis, illi congressum in Ostraarus sive veteri Upsalia. Occasionem vero secus sentiendi & scribendi præbuerunt in his aliisque multis Breviaria nostra, erroribus historicis sciantia, nostris Chronographis.

Atqui ad Canutum redeamus, qui sive proprio religionis zelo motus, sive pœnitentiam ob cædem Caroli facturus, à Præsulibus regni, velut opinatur Gohus, impositam, ad præfata descenderit opera pietatis, suum promeretur encomium, ut illi vicissim ignominia digni qui eadem spoliare & demoliri non formidarut. Imò Canutus non ædificiis solum domi religionem promovere Christianam nitebatur, sed eandem foris tueri Sueonum armis meditabatur contra Saracenos, ab Antistite Latio per Upsalensem Ecclesiæ præfulem Petrum serio invitatus, votoque satisfecisset, nisi morte præoccupatus, ad cœlestem migrasset militiam vel potius æternam tranquillitatem, quæ clarissimo principi accidit migratio in Erixberga Vestrogothorum, anno regni XXV. & salutis nostræ MCXCV.

Deindè succedit ex pacto quondam utramque inter familiam inito, Suercherus III. nuncupatus Hack, princeps elegantia corporis, rerum prudentia, oris eloquentia & rei militaris peritia clarissimus; Filius autem Caroli Sueonum Regis & Sophiæ, nepos Magni cæci Noricorum Regis & Christinæ, pronepos Suercheri ex filio, & S. Canuti Ducis Slesvicensis ex filia, atque Canuti VI. & Valdemari II. Danicorum Regum consanguineus, gener nobilissimi viri Ebbonis de Knarretorp, utpote cujus filiam habuit conjugem Benedictam, affinis Andreae Lundensium Archiepiscopi, & Petri apud Roschildenses Antistitis. Hic proinde regni capessit habenas, anno MCXCVII. quas IX. annis summo prudentiæ & tranquillitatis pietatisque encomio moderatus est. Interea permotus Ecclesiæ Catholicæ constitutionibus, quibus clerus Divino mancipatus obsequio, alibi passim regionum, præterquam in Sueonia, gaudebat, ipsum à judicio seculari frequentando liberum pronunciat, ad Ecclesiasticum cum suis adversariis ablegans, sicut etiam domos & agros ejusdem ab omni regia promulgat immunes exactione, idque anno MCC.

1200.

Hanc similiter Cleri pervetustam divulgat prærogativam S. Canutus Rex Danorum, annum circiter MLXXXVI. quam sub initio nascentis

tis Ecclesiæ consecutus est, multis ante seculis in concilio Calcedonensi, canone IX. Agathensi, canone XXXII. Carthaginensi IV. canone IX. Toletano III. canone XIII. & tandem Matisconensi, capite VIII: Quorum Justinianus Imperator obtemperans statutis, in Novellis, constitutione LXXIX. LXXXIII. & CXXIII. eadem Clericorum privilegia fancivit toto observanda Imperio, quod ipsum alii per orbem Christianum Principes quoque factitarunt, ut ex veteri Ecclesiæ liquet passim Historia, libro conciliorum & SS. patrum operibus à Catholicis scriptoribus & præsertim Bellarmino, tomo primo de membris Ecclesiæ militantis conscripto, Lib. I. capite XXVIII. De hoc autem negotio in suis digladiantur Chronicis acerrimè Olavus Petri, Johannes Gothus, & Laurentius Petri, hic germanum à Gotho defendere cupiens, & Clero illam subducere prærogativam laborans. Verum si quis ingenio candido sententiam æstimet singulorum, depræhendet non magnopere discordem, licet ipsi mutuo invicem odio propter religionis negotium occæcati sese non intellexerint, quæ rabies in synceros non cadit Historicis. Enimvero certissimum clero præfatam sub exordio Ecclesiæ permissam fuisse immunitatem, & sensim à Christianis Principibus acceptatam & promulgatam, quam Suercherus noster in Suecia primum anno MCC. accepit, & illa Regni Clerum donavit, qui ea gavisus est libertate ad annum MDXXVII. quando prisca dogmatis reformatio, hanc inter alia sustulit consuetudinem; Quamquam Clerus quoad illam de immunitate bonorum Ecclesiasticorum particulam interim sæpius à regni dominis exactione divexatus & multatus sit, belli potissimum temporibus, quando nefas quemquam libertatibus gaudere. Sed nunc tandem ipsum Eridos pomum, Suercheri super hac re producamus literas, omissa in ipsis nè prolixior sim, donatione quorundam Ecclesiæ Upsalensi prædiorum, & sunt hujusmodi:

In nomine Sanctæ & individue Trinitatis, amen. Caroli Regis filius Suercherus, Dei gratia Rex Sueorum, tam posteris quam nunc degentibus Sanctæ matris Ecclesiæ filiis in vero salutari salutem. Quoniam memoria humana labilis est, scriptis ea quæ de memoria labi non debent, commendare oportet. Noverit igitur discretio vestra nos Spiritus Sancti instinctu commotos, spe quoque cælestis remunerationis ductos &c. Statuimus quoque & perpetua lege tenendum firmamus, ut Clerici divino cultui mancipati pro omnibus sibi objectis, vel delictis quoquo modo commissis, nunquam in futurum ad laicale pertrahantur iudicium; Sed causis, suis Episcopis & Prelatis respondeant, rationemque reddant, Ecclesiarumque domos & agros ab omni Regalium exactionum gravamine immunes fore decernimus. Ut autem donationes prætaxata sine calumnia sint succedentium, hanc chartulam ad rei gesta testimonium, sigillo nostro impressimus. Si quis fortè successorum eas, quod absit, irritare attentaverit, in præsentis honoris sui patiatur detrimentum, & in futuro ab eo qui illum ad cælestem patriam vocaverat, ab eodem cum Dathan & Abyron partem habiturus excludatur. Datum anno Incarnationis Dominicæ MCC. concurrente VI. Epacta, Indictione, & anno Regni nostri

nostri IV. consecrationis verò Domini Olavi Upsalensis Archiepiscopi anno II. anno bisextili, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium in secula seculorum, amen.

His itaque probe inspectis, non solum æquus lector Palæmonis in memorata controversia, sine difficultate, fungetur officio, sed etiam communem nostris historicis deprehendet errorem, affirmantium anno MCXCII. decedenti Canuto Suercherum fuisse subrogatum. Quandoquidem luce clarius hinc colligatur throno Suercherum anno MCXCVII. Sueciæ potitum, cui præterea vetustatis quædam suffragantur documenta, & Canuti quoque mortem anno MCXCV. referunt expensam. Unde nostro non modicum accedit robur & autoritas infallibilis calculo, historiæ utriusque superius appposito, adversus contrariam nostratium & erroneam assertionem. Lis autem, dubio procul, inter Canuti & Caroli progeniem, Suercheri per annum demorata electionem, qua tandem sublata, jure pacti & ordinis insignia Suercherus suscepit pro tempore regalia. Atqui spatio novennii pacifice utrinque exacto, Suercherus æmulos regni formidans, & suis imperium transmittere desiderans, anno MCCV. prolem Canuti in Curia morantem Eliarsensi, nihil periculi metuentem armis oppressit, & cecidit universam, præter Ericum, qui clam beneficio amicorum indè pervasit in Norvegiam, ubi annos duos & medium moratus, regreditur in patriam, MCCVII. & Uplandos singulares suæ profapiæ fautores, & nunc ob scelus Suercheri in eam commissum propè furentes, sedulis aggreditur hortationibus, ad vindicandam infantium fratrum internecionem vehementer instigans.

Quamobrem persuasi corripunt arma, & Suercherus de rebellionē certior tempestive factus, se furentibus subducit, in Vestrogothiam recedens, & illuc ex Dania octodecim teste Lindenbruchio, aut XVI. millia, ex sententiâ Huitfeldii, instructissimorum militum à Valdemaro Rege consanguineo, Ebbone Sunonis, Andrea Lundensi, & Petro Roschildensi, præsulibus, aliisque ibidem magnæ potentiæ suis affinibus impetrans. Atque has in Vestrogothiam adventantes copias, Ducibus Petro Roschildensium Episcopo, Ebbone, Laurentio, & Jacobo fratribus bellacissimis, Rex non infrequentioribus adjungit Gothorum agminibus. Neque tamen Sueones tanta hostium perterriti multitudine, sed animosiores effecti, anno MCCVIII. pridie Calendas Februarii congregiuntur adversariis. tantam illorum ediderunt stragem, non paucis etiam de ipsis corruentibus, ut plerique Suetici & Danici testentur historici, vix unquam his terris cædem perpetratam similem, eaque propè villam contigit Lenensem in Vestrogothia, Suecis non victis, ut comminiscitur Lindenbruchius, etiam contra popularium Chronographorum sententiam, sed victoribus, & sequentes in contumeliam Danorum ipsis deinceps occinentibus versus:

Contigit in Lenum duo Danske lupo for enom,

Af Suenskom Suenum togo dorsum verbere plenum.

Iraque Suercherus cum paucis admodum in Daniam profugiens, quos inter Petrus Episcopus Roschildensis, Ebbone, Laurentio & Jacobo germanis ibidem cæsis, & postmodum Ringstadii tumultatis, bienio dat operam conflando & reparando exercitui. Atqui Sueones interim Erico victori, secundum quorundam veritati non difformem opinionem, eodem anno, XV. Calendas Decembris, regni axioma & diadema porrexerunt, & Suercherum multis stipatum cohortibus, anno MCCX.

CCX. remeantem, XV. Calendas Augusti, non longè à priori pugnae spatio, utpotè in Gestilren Lenam & Daliam inter collocato, pari cumularunt clade, ipso & Folchone Duce præter alios Folchungorum nobilissimos illic corruentibus. Ea verò propter Folchungi se Suerchero præbebant sectatores, quod Suno Folchonis filius Suercheri filiam sortitus esset conjugem, quem eodem cecidisse arbitror prælio. Atque præter ipsam nomine Helenam, genuit Benedicta Regi Suerchero Turonem, & Johannem Erico deinceps in Sueonum republica substitutum. Sed throno Suercherus privatus, anno regni XII. & XIV. vitæ usura spoliatus est; qui etiam adversus Ecclesiæ hostes arma expedivisset Saracenos, ni bello implicatus domestico, illa supersedere expeditione fuisset coactus, & diadema gladiumque Erico consignare compulsus fuisset, ad cujus historiam descendemus ruminandam.

Ericus Canuti filius, & nepos S. Erici, Suecicorum Regum, profligato Suerchero, regni moderationem acceptat, anno MCCVIII, & coronam XV. Calendas Decembris, biennio inde transacto, & residuo adversariorum agmine prorsus deleto, pro firmiori vicinorum amicitia comparanda, Rechissam Valdemari Danorum Regis I. filiam, & sororem Valdemari II. Ingeburgis Francorum Reginæ, atque Helenæ Vilhelmo Brunsvicensium Duci desponsatâ, anno MCCIX. sibi connubio sociavit; De cujus suscepit amplexibus prolem clarissimam, nimirum Ericum regni hæredem, Helenam Canuto, Meretam Nicolao de Tofta, viris nobilissimis, & Ingeburgem Birgero Jerl copulatas, & hi parentes Valdemari & Magni Regum Sueticorum, atque Erici & Benedicti Ducum. Ideo veritati Huitfeldius conformiter non locutus in historia Valdemari I. memorans Rechissæ filium Upsalensis Ecclesiæ præfulem fuisse, cum nepos ex Ingeburge Benedictus, non Uplandorum sed Ostrogothorum extiterit Antistes. Continuum verò mansionem Ericus delegit in Visingensi castro, ut plerique antecessorum, undè fortissimum, amœnissimumque illud fuisse non difficulter colligitur, illa tempestate; Verum hoc ævo comitum habitationi assignatum, vix radium prisca retinet splendoris & valoris. Quid non annorum mutat longæva vetustas? Hac deindè infula Ericus in fata concessit, anno MCCXVI, postquam VII. & menses aliquot in tranquillitate cum summo compleisset nominis ornamento & incolarum emolumento, in paterna tumultus apud Varnhemenses crypta, cum germanis à Suerchero trucidatis. Deinde cum Principem neutra profapia regimini Suecico idoneum adhuc posset subministrare, Erico & Johanne in ætate minorenni existentibus, Rechissa aliquandiu clavum reipublicæ prudenter moderata, & anno MCCXVIII. ad idus Maji octavas, ad superos evocata, ac Ringstadii propè funus humata fraternaliter. Valerius denique Præful Upsalensis, & regiminis consors fidelissimus anno sequenti, III. idus Aprilis mundo valedixit. Proindè minus sincera Gothi narratio, asserentis Rechissam & Valerium mærore protinus consumptos, Ericum in fata secutos. Ut neque Huitfeldii sibi constat relatio, qui obitum Rechissæ in historia Valdemari I. anno tribuit veraciter MCCXVIII. & in chronico Valdemari II, anno MCCXX. asseverans eundem Berengaræ & Rechissæ funestum extitisse, in prægrande veritatis præjudicium. Eminus tamen à vero exorbitat Lindenbruchius, annum Rechissæ fatalem statuens MCCII. mortem sororis cum fraterna Canuti permiscens.

1217. Johannes Suercheri filius, ab ætate juvenis, à bonitate Mitis, & religione in Deum singulari Pius nuncupatus, anno MCCXVII. regni fascibus ornatur, quo tempore denuo Estones, aliique barbarorum trans mare

mare populi, Sueciam latrociniis & cædibus divexarunt, inter alios occiso Johanne Duce in prædio Aschanes insulæ Æcherönensis hæreditario, prima reditus sui de bello Moschovitico nocte, ubi novennium contra gentiles militaverat. Sed uxor inde profugiens ad Hunhamar vicinam curiam, & tumultuarias undequaque conflans copias, Estones in sinu Meleri, ab horum strage *Estalippa* vocato, delevit universos, ne cædis quidem nuncio remanente ac remeante. Quocirca Johannes crebris Estonum & Curetum hujusmodi incursionibus exasperatus, sicut etiam amplissimis Honorii III. Romanorum Præfulis, cuilibet arma in conversionem illarum gentium capessenti, criminum condonationibus provocatus, anno MCCXVIII. classe instructissima solvit in Livoniam, 2218. Carolo Lincopensium Antistite Birgeri II. fratre, plurimis ad gentilium procurandam conversionem presbyteris succincto, & Carolo Duce Birgeri I. germano, Episcopi patruo, ac exercitus Archistratego, secum inter alios regni proceres frequentissimos, acceptis. Oceanum verò felicibus emensus auris, appellit ditioni maritimæ Rokel vulgo nuncupatæ, & mox Vichenses, aliosque populorum finitimos expugnatos, Christo & regno Sueciæ submisit, ipsorum informationi Carolum Episcopum, Clerumque sequacem, & Carolum Ducem horum moderationi & defensionis præficiens, in castro Lealensi munitissimo, tunc etiam occupato, cum D. præfidiariis relictos. Sed Rex hoc rerum successu gavisus in Sueciam cum residua copiarum remeavit portione numerosa, & gentiles regia plurimum animati absentia, ac paucitate instigati præfidiariorum, anno MCCXX. arctissima cingunt nostros obsidione; Qui non tantam hostium frequentiam & potentiam existimantes, in illos animosè prorumpunt, & reditu intercluso, cæduntur universi, simulque Episcopus cum reliquis in castro remanentibus. Atqui hoc pacto Chronicon Livoniæ a Balthasare Rossovio publicatum ista memorat, in calculo temporis duntaxat hallucinans, asserendo præfatam nostratium in Estonia cædem, MCCVIII. contigisse, cum certissimo ex nostris constet annalibus, MCCXVIII. regem illuc profectum Johannem, & MCCXX. Carolum utrumque cum præsidio deletum. Verum ut Rossovius circa temporis cespitat assignationem, ita nostrates in locorum & populorum errant indigitatione, dum quidam in Rotalum, nonnulli in Rechalum, alii à Ruthenis, reliqui à piratis Sueones illo tempore censent interemptos; Immo nec ullus Chronographorum nostrorum, hanc Johannis militiam usque perspicuo hætenus manifestavit eloquio.

Valdemarus autem II. Danorum Rex, Sueonum in Livonia excitus victoria, illuc quoque anno MCCXIX. ingentes adduxit copias, Livoniæ portionem victoribus gentilium in prædam & peculium concessæ, aliquam occupaturus. Sed infinita gentilium multitudine armata propè litus concurrente conspecta, Rex territus, cum suis actutum remeasset, ni Andreas Lundensium, & Petrus Arhusensium, præfules, indubiam ipsi victoriam spondidissent, modo sanctè promitteret se impostero ex consilio Berengaræ conjugis, Danos tributis non afflicturum, ut neque pretiosa D. Nicolai anathemata Arusiæ, sub prætextu quod sanguine junctus fuerit, amplius spoliaturum, velut etiam toti Danorum regno jejunium in pane & aqua profesti, seu vigiliæ Laurentianæ, annuatim & perpetuo servandum, in memoriam victoriæ consentiret injungendum. Quapropter Regis super his accepta stipulatione, hostes aggressi, superiores evadunt, ast in conflictu ipso dum victoria paulatim ad hostes inclinaret, amisso vexillo prætorio, narrant quidam Danorum scriptores, aliud cælitus missum colore rubescens

& cruce in medio nivea rutilans, illoque apprehensio hostes in fugam averfos. Illud verò Danebrocka vocatum, velut pretiosum depositum in Dania multis seculis custoditum, & subindè contra hostes prolatum, non sine indubia victoriæ fiducia; Sed tandem anno MD. in prælio cum Dithmeris habito periisse. Atqui hujus fides sit in arbitrio lectoris, ego velut cruciatam ex veterum more, arbitror Valdemaro adversum infideles pugnaturus, Roma transmissum, cujusmodi etiam in Suecia multo viguit ævo vexillum S. Eriki, ex urbe similiter huc expeditum alicui Regum similem meditati expeditionem, & forte Magno Ladulas prout illius insinuat testamentum infra producendum. Valdemarus autem victor, concionatores providit, Ecclesias condidit, Episcopos instituit, & urbes arcesque fundat, Revaliæ quidem jaciens fundamenta, anno MCCXXII. atque Dominum Estoniæ se nuncupans.

Atque licet dudum illo se abdicarint Danorum Reges, velut alibi suggerendum est; Nihilominus tamen hodiè Dani crucem albam ratione gestant Estoniæ in regni insignibus, ut Revalienses in memoriam conditoris, in stemmate trium emblemata leonum. De hoc Danorum Rege in suo scribit Chronico M. Christiernus Petri, quod cum die quodam equum ascensurus esset, usque in vesperam altissimis defixum cogitationibus, & velut attonitum perstitisse; Deindè sibi redditum, cuidam procerum de cogitatione tanta sciscitanti respondisse, illam à quodam regni Suecici aurato cognoscendam Equite Bonde vocato, præscientia insigni ornato, ipsumque hac super re mox sollicitatum, Regis denudasse cogitationem de filiorum successione institutam, hanc simul Regi pandendo. Proinde si vero ista consentanea, illum Bondanæ prosapiæ genearcham fuisse existimo magnatem, hincque corruere erroneam quorundam opinionem in suggillationem hujus familiæ confictam generosissimæ, comminiscendum à rustico nomenclaturam traxisse, in vernacula sic appellato. Hæc per occasionem Livoniæ de Valdemaro, nunc Johannes nos revocat, qui paterna Clero impertita privilegia, non tantum confirmavit, sed majoribus cumulavit, quemadmodum tenor literarum indicat sequentium:

In nomine Sanctæ & individue Trinitatis, Johannes Dei gratia rex Suevorum, omnibus Christi fidelibus præsens scriptum intuentibus vel audientibus in perpetuum. Ex delicto primi parentis insignitur quod humana memoria labilis sit & caduca, nisi res gesta veraci literarum testimonio roboventur. Noverit siquidem tam præsens atas quam futurorum posteritas, quod in die intronizationis nostræ, Domino Benedicto Scarensi, & ceteris Episcopis regni nostri contulimus possessiones Ecclesiasticas cum attinentiis earum à Regia exactione liberæ & immunes. Et si quæ causæ in fundis aut prædiis presbyterorum vel colonorum eorum emerferint, totaliter ipsi Episcopo attineant in satisfaciendo. Si quis ergo data tam rationaliter instituta cassare attentaverit, Regia ultione se noverit complectendum. Datum anno gratiæ, anno ab Incarnatione Domini MCCXIX, anno regni nostri tertio.

Ex his insuper vitiosus corrigitur annorum calculus, quo passim in Chronicis asseritur nostris, Johannem regno Sueciæ potitum esse, MCCXIX. & triennio duntaxat illius assedisse gubernaculo; quamquam hinc manifestissime colligatur, Johannem anno MCCXVII. regem designatum

gnatum, & MCCXIX. diademate ornatum, unde nostrarium promanavit deceptio, annum electionis & coronationis ignavè confundentium. Deinde Johannes Pius hac in Clerum non contentus pietate, insignia cœnobio Rifebergensi apud Nericios à majoribus non multo ante fundato, contulit prædia, & fundos amplissimos, quos inter fuit regalis Curia vulgo *Suensborg* appellata.

Illo etiam regnante ordo Dominicanorum in Sueoniam primò hac penetravit occasione, quam Huitfeldius in Chronico Valdemari II. commemorat. Anno MCCXIX. VII. idus Aprilis, mortuo Upsalensium Antistite Valerio, successor designatur Olaus Basatome cognominatus, qui mox præpositum Ganfredum expedit Romam pro impetranda confirmatione atque palæo. Ille autem in hoc negotio Romæ constitutus efficit apud S. Dominicum qui nuper primordia novi ordinis jecisset, ut Simon natione Suecus & Nicolaus patria Danus, illius sectatores, ad propagationem hujus religiosi ad boreales instituti mox destinarentur in Sueciam, Sigtuniæ commodum morandi propè Ecclesiam S. Petri locum consecuturi. Verum habitationem illam Archiepiscopo denegante, illorum misertus Canutus gener Erici & Rechissæ, à statura procerus cognomento, mansionem in prædio suo Schogensi vicino ipsis assignavit. Atqui biennio illic exacto, audientes intercessione Gregorii de Crescentia, legati apud Danos Pontificii, suis commilitonibus Lundia in Scania commodiorem assignatam habitationem, illuc profecti una commorantur, Simone primo illic ordinato Antesignano.

Indeque postea Olavi aut Jerleri successoris beneficio, illorum aliqui denuò Sigtoniam vocati & plantati, suæ professionis sectatores, per Sueciam, Gothiam, Finlandiam & Livoniam, profeminarunt. Quos denique subsecuti D. Francisci normam vivendi amplexi, primam Enecopiæ morandi commoditatem adipiscuntur, apud quos Laurentius VIII. Ecclesiæ Upsalensis Archipræsul, anno MCCLXVII. sepulchro commendatus, velut prædecessor Jerlerus anno MCCLV. Sigtuniæ in Ecclesia Dominicanorum, quorum liberalis extitisset fundator, tumulatus fuit. Itaque Canutus præfatis ex prædio Schogensi migrantibus in Daniam monachis, illud Vestalibus de ordine Cisterciensibus contulit, fundato illic cœnobio excellenti, quod temporis progressu Birgerus D. Birgittæ genitor ad commodiorem translatus prope litus aream, elegantius & impensius consummavit. Interim Johannes anno regni VI. labente, & Domini nostri currente anno MCCXXII. V. Idus Maji in Visingana nimium præcoci abripitur mortis imperio, & in monasterio Alvastrænsi prope avitum & paternum conditur sepulchretum.

Ericus genitus Erico & Rechissæ deinde consecutus regni axioma, non anno MCCXXVI. velut falso quidam memorant, sed MCCXXII. nisi forte post regiminis trieteridem diademate primum sit decoratus. Atque cum balbi blesique esset sermonis, ac subclaudæ incesionis, inde cognomen ab æmulis sortitus, licet illud corporis vitium plurimis animi dotibus affatim compensarit. Ideoque à nonnullis regni proceribus corpore non animo elegantioribus, & potissimum uno Folchungorum Canuto, homine inprimis disertis & proceris, comperiens se contemptui haberi, & tacitas sibi fraudes necti, affinitate ipsos sibi conciliandos decrevit. Undè Canuto protinus Helenam connubio junxit sororem, & Catharinam Sunone Canuti fratre, & Helena Suercheri regis filia prognatam sibi vicissim acceptat uxorem, alteri præ-

1229.

terea æmulorum Nicolao de Tofta, Meretam quoque germanam despondendo. Verum magis hinc affines elati, quam pacati, adeo ut anno MCCXXIX. armis debellandum & throno spoliandum sint aggressi, antesignanis Canuto, & hujus consanguineis, Carolo, Haraldo, & Hollingero. Itaque Rex ipsis animosè congressus, in Olestra superatur, & in Daniam fugatur, interim rebellibus Canuto Regis sororio regni gubernacula porrigentibus non diuturna. Siquidem à Valdemaro Danorum Rege, suo avunculo, copiis egregiè instructus, extemplo in regnum remeavit, & occurrentes ad Ecclesiam Sparresetra Uplandiarum prope Enecopiam adversarios profligavit, Canuto rege novo, cum præcipuis rebellionis authoribus illic cadente, & Hollingero in Gestriciam profugiente. Atqui mox inde per regiones satellites reductus, & crimini læsæ majestatis alligatus, capitis afficitur supplicio, ac juxta voluntatis ultimæ desiderium in cænobio Schogensi, fratris extracto & fundato impensis, coram summo conditur altari. Cujus tamen hodie nullum extat sepulchri vestigium, principio reformationis cænotaphio illic sublato, remanente duntaxat aulao, insignia, effigiem, & epitaphium intexta eleganter continente, ad nostram ætatem, quod tumulo inferni olim consueverat, idque ablatum quoque à comite Mauritio Axelii fratre, propter singulare vetustatis documentum, & aliud de serico nullis emblematibus ornatum hujusmodi relatum.

1230.

Sed Hollingeri nos sepultura revocat, quæ dubio procul in veteri Schogensium fuit inprimis cænobio; quod hac floruit in monticulo propinquo tempestate, & una cum monasterio sequenti translata ævo, sicut etiam tumulus Canuti fratris, quem certo mihi certius persuadeo, illic pariter velut conditorem terræ commendatum. Hollingerum verò quibusdam illic claruisse miraculis olim, memorat antiquitas, & carmina veteri tabulæ inscripta, ibidemque appensæ suffragantur, unde B. Hollingerus de Scho illa nuncupabatur ætate; hic pro re & tempore suggerendum quosdam nostratium asserere Hollingerum, anno MCCXLVIII. pœna capitis affectum, in veritatis præjudicium. Quippe prælium Olustrense in annum MCCXXIX. certo incidit, & victoria Erici prope Sparresetra, eodem vel sequenti de Folchungis reportata fuit, cum unanimis Chronicorum assensus Regem paucis post tempore, cum auxiliaribus ex Dania copiis regressum asseveret, & parto de hostibus triumpho, Hollingerum profugum extemplo de Gestricia revocatum. Ideoque vel tot annis carceribus maceratus, quod nequaquam credibile, vel mox supplicio mulctatus erat, & hoc magis tempori & rerum circumstantiis videtur convenire.

Neque minorem vero irrogant alii injuriam, qui Hollingerum ex Canuto & Regis sorore Helena testantur genitum; Siquidem Rechiffa mater, anno MCCX. nubens primum Erico, nuptiis in Dania celebratis, quando Valdemarus III. de fonte suscipiebatur, anno MCCXXIX. filiam thoro quidem maturam, non nepotem tantæ habere potuerit ætatis. Ex quo similiter arguuntur erroris, qui filios Nicolai de Tofta, & Rechiffæ nepotes ex Mereta, referunt adversus suum una infurrexisse avunculum, qui vix ephēbiam hoc tempore egressi, bullas ludicras, non bella tractarunt. Itaque potius & tutius juxta veterum genealogiarum schemata statuendum, Canutum & Hollingerum, fratres germanos, patre genitos Duce Folchone, atque Carolum & Haraldum, complices horum patruales extitisse.

Deinde Ambernum consobrinum, Nicolai & Meretæ filium, regni

gni dapiferum evasisse, ac Ulphonem filium, Carolumque liquisse nepotem, patriæ fidelissimos & celeberrimos præceres, à quibus moderna Regum illustrissima derivat progenies originem. Hic singularem Birgeri de Bielbo viri nobilissimi & prudentissimi, fidelitatem atque industriam contra suos patruales bellis prioribus expertus, ipsi deinceps sororem tertiam nomine Ingeburgem, in præmium fidi obsequii despondet, de qua ipse Valdemarum, Magnum, Ericum atque Benedictum, præter binas filias concepit, infra copiosius considerandos, & nunc hac occasione paternum genus contemplemur.

Birgerus patre factus fuit Magno Maneschiold, Ostrogothorum legifero, & matre Ingride, cognomento Ylfua, avo paterno Benedicto, materno Duce Sunone Sych; proavo paterno Folchone, Gothorum Duce, & materno Suerchero II. Rege Suecorum. Ipsemet vero Jerli honores merito consecutus est, anno MCCXLVIII. in dignitate succedens Ulphoni patrueli, hoc tempore fati assumpto, hallucinantibus plurimum illis, qui MCCII. patruo Birgero Jerli I. ipsum contendunt ad honoris fastigium subrogatum, ut etiam illis deviantibus, qui MCCLVI. Jerli titulo farentur insignitum, sexennio post obitum Regis evolutò. Denique non fabularum loco sunt habenda, quæ vulgus hodiè recenset passim de matre Birgeri, asseverans ipsam morti proximam, familiæ jugem vaticinatam perennationem, quamdiu funeris sui sursum spectaret vertex. Proinde liberos & consanguineos mortuam in columna lateritia in adyto Ecclesiæ Bielbonæ erexisse inclusam, profapiæ in plurima secula perpetuandæ & prorogandæ gratia. Enimvero hac ego motus relatione, illuc anno MDCXIII. sum profectus, & pilam curiosè lustrans, depræhendi multis ante seculis in usum tumuli fundatam.

Alia similiter de Ingride circumferuntur Ylfua commenta, quorum ventilationem vetulis commendamus, & filium Birgerum accedamus. Ipso Rex ob eximiam rerum gerendarum industriam velut altera utebatur manu, & Tavastorum crebris laceffitibus excursionibus, illum in Tavastiam prægrandi stipatum exercitu expedivit anno MCCXLIX. quam expugnatam Christo, & Suecorum subjecit imperio, illic ad continendos in obedientia indigenas castro firmissimo, Tavastaborg hinc nuncupato, protinus erecto. Atqui Rex Suecorum anno MCCXLVI, non autem MCCXLVIII. sicut nostri referunt annales, invocatus à Lubecensibus, quos Ericus V. Danorum rex, Valdemari II. filius, arcta cinxerat obsidione, ducta etiam per Travam catena, ut illic omnem tolleret com meatus inferendi occasionem, confœderatis tulit auxilium; naves aliquot præacuto rostratas ferro destinans, quæ plenis velis catenæ advolantes perumpunt ipsam, & urbem hoc pacto juvant com meatu multiplici. Quocirca Danus sua frustratus spè, negotio infecto solvit obsidionem & remeat. Sueci verò in compensationem tanti beneficii, Lubecæ sine vectigalium persolutione hætenus negotiati sunt.

Hæc Ericus gessit in rebus politicis, interea Ecclesiasticis nequam indormiens, cum cœnobium Scheningensè ac Calmarnensè condiderit, ipsiusque auspicio concilium Scheningiæ celebratum, anno MCCXL. ubi legatus Gregorii IX. Guilielmus Romanæ Cardinalis Ecclesiæ ac Sabinensis Episcopus, præsentè Jerlero Upsalensium præfule aliisque regni Antistitibus, imprimis constituit, ut Clerus imposterum non à concubinato solum, verum à matrimonio etiam se prorsus contineret, transgressores omnibus proventibus, dignitatibus & privilegiis privando, gravibus pœnis, censuris & iudicio seculari subjiendo. Deindè sententiam tulit

tulit excommunicationis in hospites presbyterorum violentos & injurios, quam Gregorius X. suis roboravit literis anno MCCLXXIII. sicut etiam ordinavit Sabinensis, ut cum Ecclesiarum cathedralium Canonici numero pauci forent, iidemque ruri plerumque sacerdotio fungerentur, postmodum cathedrali adhabitarent basilicæ non pauciores quam ad minimum quini, plenam soli potestatem sine Regis vel procerum suffragio Episcopum designandi, obtinentes. Ideo autem presbyteris tanto matrimonia prohibentur rigore, quod alias sepe numero eadem publicata decreta observationi mandare contempserint, præsertim ab anno MCXX. quando Calixtus II. Præsulatus, Rhemensis concilio presbyteris, diaconis & subdiaconis connubia prorsus interdixit.

1250. Singulari demum Ericus & Birgerus affinis, Ecclesiam complexi metropolitanam benevolentia, pro fabricæ nuper inceptæ continuatione, decimas pauperum præter alios redditus annuos assignarunt, quam Innocentius Pontifex suo postea diplomate confirmavit, III. Nonas Decembris, sui officii anno VIII. Tandem Ericus XXVIII. anno regiminis laudatissime gesti, & nostræ salutis restauratæ MCCL. festo purificationis virginæ, sceptrum tumulo permutavit in Visingana insula, teste Crantzio. Qui tamen in hoc lapsus, quod hunc cum proavo S. Erico confundat, & anno MCCXLIX. mortem oppetiisse perperam affirmet. Funus autem regium competenti honore in monumento depositum a vito, & paterno Varnhemie. Verum superstes sine liberis uxor Catharina, mundi sedula volvens mente vanitatem, sequenti anno Gudhemie monasticam amplexatur professionem, & inter alia magnæ æstimationis prædia, Curiam Vilhamar, anno MCCLIII. moritura legavit. Hujus etiam sub imperio Regis, recenset Ericus Upsalensis, Ulphonem quandam, anno MCCXXIX. insignia nactum Ecclesiæ Upsalensis, cui quædam adstipulantur alia vetustatis fragmenta, non contemnendæ auctoritatis. Ideoque demiror in generali Archipræsulum catalogo nullam ipsius factam mentionem; Collocandus autem Olaum & Jerlerum inter, ut luculenter demonstrabo.

1251. Quamobrem Erico fati sublato, Regum Suecicorum progenies, quæ ab Ingone I. plus DCCC. annis non interrupta perduravit serie in throno Gothorum, nunc stirpe denuò scæminea interpolata, usque regis Gustavi sceptrum propagatur. Quippe mortuo sine liberis Erico, proceres regni sceptrum in aliam transferre nolentes profapiam, illud sororis filio Valdemaro in absentia Birgeri parentis, utpote S. Erici atnepoti, Canuti pronepoti, ac Erici ex filia Ingeburge nepoti, mox quidem secundum avunculi obitum, anno MCCL. unanimes porrexerunt. Verum pater Birgerus in Finlandia mortem affinis, & filii cognoscens inaugurationem, ægroque ferens animo sibi regnum non fuisse delatum, extemplò rebus illic probè ordinatis, in Sueciam advolat, in frequenti senatu graviter hac de re protestando. Sed Joaro Jonæ, cognomento Blaa, de Gröneborg Equite aurato, & primario consiliariorum, respondente, ni designationem filii, cujus ipse potissimus fuerat promotor, Birgero propter inclinam prætermisso ætatem, vellet suo calculo approbare, sua sub penula Regem alium protinus investigatum iri, cogitur Birgerus filii subscribere promotioni, & anno MCCL. Lincopiæ coronationis festivitate peracta, filium minorennem uni procerum commisit educandum & informandum, ipsemet interea temporis gubernacula regni fidelissimè vigilantissimeque moderans.

Deindè protestatus ille atque Noricorum rex Haquinus apud Danos

nos per legatos, de injuriis & detrimentis fervente bello Abelem & Ericum V. inter Sueciæ & Norvegiæ illatis, horum compensationem, emendationemque quantocius adornandam flagitantes, alias par pari, talionemque relaturi. Proinde Danorum rex Abel, qui germano in flumine Sliæ demerso nuper successit, Nyburgi habitò ordinum conventu, anno MCCLI, poscit atque obtinet consensum celebrandi hæc super re colloqui in limitibus anno sequenti. Sed die & loco constitutis Haquino & Birgerò, non autem Abele comparente, Sueci & Norvègi bellum Danis inferendum decernunt, ab his quidem terrestre quinque armorum millibus stipatis, ab illis verò maritimum classe instructissima succinctis prælium ciendum. Quæ confederatio & conspiratio licet Abelem non fugeret, tamen illius pro tempore formidinem prorsus exuens, bello Frisonès laceffit, à quibus die Petro & Paulo Apostolis sacro cum suis omnibus profligatus occumbit, hujus fraudis & fraternæ necis pœnas persolvens meritas, anno MCCLII.

Superstes vero conjunx Megtildis, filia Adolphi IV. & soror Johannis atque Gerhardi comitum Holsatiæ, animadvertens Christophorum levirum suis filiis exclusis regno potiturum, diplomata maximi momenti super Vandaliæ & Nordalbingiæ ad Danos devolutione à quibusdam olim impetrata Cæsaribus, in nationis odiùm Danicæ, & suæ gentis favorem tradit Vulcano devoranda, & sese mancipat vitæ monasticæ observationi.

Ast Sueones Norvegiæque interea bello accincti, primo verè anni MCCLIII. Hallandiam invadentes, ipsam & regiones cõterminas ferro flammaque depopulantur, grandique clade hostico undequaque illato, circa festivitatem D. Martini remigrarunt immensa reportandò spolia.

Hyeme autem exacta, Haquinus regis Norici filius, & gener Birgeri Jerl, filiam Rechissam habens conjugem, in principio veris, anno MCCLIV. Sueciam petiit, cum socerò rationes bellici restaurandi subducturus, à quo lautissimo in Vestrogothia convivio exceptus, & tandem negotiis utrinque belle deliberatis & consummatis, reversioni se accingit. Atqui ægritudine lætifera contracta, ubi Vichiam ingressus expiravit, quem pater Aslogiæ in Ecclesia S. Adalvardi sepulchro commendavit, invasionem Daniæ biennio suspendens. Eò si militèr dilationis Birgerus Dux compellitur, ob mortem dilectissimæ consortis, quæ in MCCLIV. & nequaquam MCCLXIV. velut quidam falso memòrant, incidebat, quæ Varnhemix sepulta propè tumulum paternum, non Alvastræ, quòd tamen nostrates plerumque comminiscuntur. Hinc etiam confutantur errores asserentium Ingeburgem viro suafisse Sophiam nurum ducendam, & Caroli consanguinei in Prussia occumbentis procurasse exequias, utpote quæ multis ab hinc contigerunt annis, prout fiet ex sequentibus conspicuum. Atqui Catharina Ingeburgis fratria priori decessit anno, Gudhemix tumultata, quæ sorori Benedictæ testamento legavit Sudercopiam, à patre Sunone magno comparatam pretio; ideoque Benedictæ & Suantopolci conjugis sumptu arbitror cœnobium Minorum Sudercopiæ fabricatum, sicut etiam opulentissimum propè urbem in querceto extructum & dotatum xenodochium, quorundam moderatiori cœnobarum assignatum, & superiori ævo una cum monasterio desolatum.

Birgerus autem regio defraudatus titulo, Ducis vocabulo ea ætate nuper in Scandiam admissò decoratur, illud magnificentius existimans Jerli nomenclatura, quam MCCXLVIII. consecutus, atqui hanc MCCLVI. fortitus est, quam ea propter, dubio procul expetiit, quod

novum

novum circumspicaret connubium. Nihilominus tamen plus Palladis, quam Veneris studiosus, anno MCCLVII. Haquino Daniam pugna maritima infestante, ille memor pacti & damnorum, eandem terrestri parte mulctavit. Verum Christopherus Daniæ rex tantorum potentiam formidans hostium, pacem justis conditionibus cum Norvego sub Hafnia fancivit, Ingeburge germani filia, Magno Haquini filio desponsata. Et mox ad limites regnorum profectus, Haquino sequestre Birgeri offensivonem mitigavit, alteram quoque hujus filio Valdemaro fratris natam pollicendo Sophiam, & consentiendo in matrimonium insuper Birgeri atque Megtildis viduæ Abelis, quam Dux nuper de connubio sollicitaverat & consensum impetraverat, licet votum castitatis emisisset, & circa annum MCCLVIII. nuptiis regali festivitate celebratis, sibi copulaverat, Jacobo Erlandi, Lundensi, & Petro Roschildensi copulæ faventibus, sed Romano, & Danorum indignantibus Episcopis, à quibus & præsertim Latio dispensationem sine dubio Megtildis impetravit.

1259, Immo tanti Christopherus & Birgerus amici hoc conventu evaserunt, ut non solum mutua, urgente necessitate, adversus quoscunque promiserint auxilia, insurgentes hostes, Norvego in fœdus admissio. Sed etiam Birgeri singularem considerans prudentiam, & miram litis discernendæ peritiam cujuslibet, ibidem Judicem gravissimæ controversiæ diu cum Præsule Lundensi agitata ipsam, altera non renuente parte constituit. Quam etiam decidisset, nisi pervicaciâ, teste Huitfeldio, Archiepiscopi nimium obstitisset. Illum proinde Christopherus hac de causa anno MCCLIX. captivatum mancipat custodiæ, & insurgentibus ea propter Danorum Præsulibus contra ipsum, simulque Jarimaro Rugianorum Principe, suppetias à confœderatis Birgero & Haquino poscit. Sed utriusque copiis auxiliaribus in procinctu constitutis, ab uno præsulum in sacratissima Christopherus synaxi veneno nefarie propinato sublati sunt. Conjunxque inducias cum adversariis pacta, & per literas Sueonibus & Norvegis gratias persolvens, de obitu mariti tristissimo, & pace aliquandiu impetrata ipsos facit certiores, actutum ad sua remeantes. Atqui Norvegus memor promissæ filio virginis, honorifica illuc destinata legatione, ipsam impetratam deducit in Norvegiam, triduoque secundum nuptias exacto, illos regni diademate curavit redimere, idque anno MCCLIX. Verum sequenti Ericus Christopheri filius, simili apud Danos honore cumulatur, & Archiepiscopus carceris liberatus una squalore, profugit in Sueciam, patrocínio Birgeri & Megtildis confidens, non quod Primas Sueciæ foret, licet Huitfeldius hoc loco ad nauseam illud aliquoties ambitiose ingeminet, Archipræsule vix de his somniantes, multo minus cogitante, Danorum insomniis, quibus abunde alibi satisfactum. Interim Birgerus, & regni Suecici Antistites, summa rerum pace, & animorum consentione gaudentes, deque Upsalensis Ecclesiæ fabrica pridem inchoata solliciti continuanda, hujusmodi Alexandri IV. literis consistorii Upsalensis precibus impetratis, eò pietatis impelluntur uberius, quarum etiam supra meminimus, & huic paginæ inserendas operæ pretium de crevimus:

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus, suffraganeis Ecclesiæ Upsalensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sicut dilecti filii Archidiaconus & Capitulum Upsalense, sua nobis petitione monstrarunt, ipsis à sede Apostolica sit concessum, ut eorum Ecclesia propter quasdam necessitates ad locum magis idone-

adoneum transferatur, & ad tam sumptuosum opus propria ipsius non suppetant facultates, ac per hoc ipsi Ecclesia, utpote matri & metropolitana vestra sint suffragia vestra plurimum oportuna, fraternitates vestras rogamus, monemus & hortamur attentè, per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus singuli vestrum juxta facultates proprias eis in hoc necessitatis articulo, taliter porrigatis, quod eadem Ecclesia, debitum in vobis subsidium se gaudeat invenisse, nosque liberalitatem vestram exinde merito commendemus. Datum Anagnina XIV. Calendas Martii, Pontificatus nostri anno V.

Vacavit autem sedes Upsalensis hoc tempore, quod Jerleri mortem, & Laurentii subrogationem interlabebatur, & nimis quidem diu, cum ille viam carnis universæ ingressus, cathedra relictâ, MCCLV, & hic eandem, MCCLXIII. conscendisse memoretur.

Atqui Upsaliâ in Daniam nos revocat Birgerus, qui de subsidio contra Jarimarum & Ericum Jutiæ Ducem australis, suum privignum, Daniæ imperium affectantes, ab Erico VI. Klipping appellato, sollicitatus illuc classe instructissima properat, anno MCCLXI. jactis in portu Hafniensi anchoris. Sed quandoquidem Jarimarus intereâ cæsus, & Dux Ericus portione regni obtenta conquieverit à rebellione, singulares actæ Birgero gratiæ, muneraque multi precii donata fuerunt, sicque festivo tormentorum strepitu & tubarum clangore personantibus, amplustrisque volitantibus, in Sueoniam velificavit.

Unicum tamen demiror, quod cum potissima matrimonii Birgerum & Megtildem inter celebrati extiterit causa, ut vitrici potentia privigni regno Daniæ potirentur, quamobrem Birgerus non relicto fœdere cum Christophero & Erico sancito, patrocinium privignorum suscepit? Neque aliam hujus deprehendo constantiæ rationem, quam candidum & syncerum Birgeri Sueonumque pectus, quod neque consanguinitatis, neque affinitatis respectu & affectu, a sancta fœderum observatione se dimovere permitteret, quamdiu sociorum experitur vicissim integritatem, ut non obscure trium regnorum testatur unio, sequenti facta seculo, & illic copiosius declarata. Itaque Ericus Dux Jutiæ metu vitrici liberatus, Ericum patruelem festo D. Olavi aggreditur in campo Leonino, ac ipsum, matremque, victoria potitus, captivos abducit, triennio postmodum difficili conditione solutos. Hoc etiam anno MCCLXI. mediæ possessionem Islandiæ Rex Noricorum, & reliquæ MCCLXIV. consecutus est, de cujus Aristocratia & ipsius duratione plurima commiscitur Arngrimus in sua historia, quæ partim isto, partim superiori diluimus nostræ censuræ tomo.

Ceterum Birgerus bellis perfunctus externis, excipitur internis & domesticis, cum Folchungi non memores amplius cladis ab Erico acceptæ, denuo seditionibus studere cœperint commovendis, Birgero arma intentantes, Caroloque Ulphonis Jerl filio, summum rei gerendæ imperium demandantes. Itaque anno MCCLXII. non MCCLIV. à quibusdam rectè minus assignato, in Vesmannia, propè Herevadensem utriusque confederunt turmæ pontem, fluvio interlabente prærapido, aliquandiu mutuis ad pugnam se invicem scommatibus laceffentes, & tandem in pacis colloquium assentientes Folchungi, gravissimis Birgeri atque sociorum, & præsertim Colonis Lincopensium Antistitis asscurati

jura-

Juramentis. Proinde armis depositis trans pontem, in castra Birgeri pactis fidentes se protinus illorum primarii conferunt, de pacis vel induciarum cum hoste deliberaturi adminiculis, quos actutum comprehensos mandat Birgerus capitis supplicio mulctari, horrendo se perjurii crimine complicesque defœdans, ab universa ipsi posteritate hætenus summi loco dedecoris exprobrato. Neque tantam nominis sui labem tota Oceani unda diluere potuit, animæ tamen maculam inde aspersam, referunt quidam nostratium multo satisfactionis genere, atque lacrymarum flumine conatum abluere. Præsul verò tantum horrore & pudoris ex illo contraxit perjurio, ut impostero sacrorum superfederit operatione mysteriorum, & Episcopæ prorsus renunciâns, patriæque, votivam ad sanctum Domini sepulchrum, illic pœnitentiæ operam sedulo daturus, suscipit profectioem, ubi peregrinationis & cursum vitæ consummavit.

Prius tamen juxta verisimilem quorundam opinionem, non de hostium exuviis, sed propriis bonis in spacio commissæ fraudulenter cædis, Ecclesiam de suo & generali fluminis vicini fundavit vocabulo, Koolbeck appellatam. Est autem Colo II. hoc nomine, Ostrogothorum Episcopus, cum non credibile Colonem illum cujus mentio in historia Regis Caroli facta est, hætenus supervixisse, & hanc in Chronico Præsulum Suecicorum enucleabimus difficultatem, ad cladem respicientes Herevadensem. Huic non interfuit Carolus, in militis fortitan occupatis collectione, alias dubio procul Birgeri dolo sectatores non fuissent inescati atque inactati. Quocirca denuò ad pugnam utrinque descensum, nisi proceres utriusque partis, salubrioribus datis consiliis, receptui canere jussissent, & Carolum Birgeri gratiæ restituisent. Atqui probè animadvertens Carolus, Ducem nihilominus sibi tendere infidias, suasu amicorum in Prussiam ad Crucigeros sibi aliquandiu sedendum putavit, quos in Livoniam anno MCCLXIV. auxilium comilitonibus adversum Lituanos & Samogitas laturos comitatus, in campo Durbenfi fortissime integro pugna die, neque de acie Cruciferorum suasu discedere volens, tandem occubuit. Funus autem in Sueciam deinceps perlatum, & in cœnobio Schogensi, ut arbitror, conditum, siquidem eximiam monasterio vicinam legavit curiam, Schog, quam anno MCCLXIX. donationem proximi, datis literis, confirmant agnati, velut Valdemarus Rex, Benedictus Magni, avus S. Birgittæ mater-nus, Petrus Ragvaldi, Johannes Angelus, & Folcho Upsalensis Ecclesiæ Archidiaconus, deincepsque summus Antistes.

Denique Birgerus tanto domi periculo subductus, à bellis ad nuptias filii jam maturioris celebrandas animum convertit, quas insigni Jenecopiæ apparatu, anno MCCLXIII. sponsa illuc per Albertum Brunsvicensium & Lunenburgensium Ducem, illius avum maternum, splendidissime perducta, atque civitatibus Danorum Malmogia & Treleburgo in dotem acceptis, celebravit. Quibus etiam sponsæ patruelis Ericus VI. Danorum rex adfuisset, nisi adhuc captivum egisset, anno MCCLXIV. Birgeri & Alberti potissimum consilio ille auxilioque liberatus est. Proinde cum certò liqueat Sophiam anno ætatis XX. Erico captivo sociatam regi Valdemaro, fallitur Huitfeldius in historia Erici V. contendens, anno MCCXLIX. quando Valdemarus pœbertatis nec dum attigit ætatem, ac Erico superftite avunculo, adhuc Rex Sueonum non proclamatus, Sophiam illi copulatam esse. Sed operis progressu errorem cognoscens, annum MCCLXII. horum assignat connubio, affirmans insuper Valdemarum inter

inter alios liberos, Sophiam nomine materno vocatam, ex hoc thalamo suscepisse, quam arbitror conjugem accepisse, anno MCCXCV. Ericum regis Abelis nepotem, & Langlandiæ Ducem, non vero matrem Sophiam, quod idem affirmat Huitfeldius in tabula genealogica, historiæ Valdemari IV. adnexæ. Quamquam ipsemet superioribus paginis memorat, Sophiam MCCLXXXIII ex vivorum albo expunctam esse, & Valdemaro deinde binas per ordinem consortes legitimo junctas conjugio. Itaque vel harum ultimam Valdemaro fati succumbente, anno MCCXCIII. superstitem, biennio duxit sequenti dux Ericus Langeben nuncupatus, aut certè filiam Sophiæ, quod vix mihi possum persuadere matrimonium, propter nimiam propinquitatem, illoque tempore nuptiis vetitam omnino agnationem. Viderit proinde Huitfeldius quomodo ista cohæreant, ad quem vel potius superstites Danorum scriptores ea remittimus enucleanda, nosque ad annum MCCLXIII. convertimus, quo currente, XVII. Calendas Decembris Lundiæ in Scania divisio bonorum patrimonialium inter filias Erici V. Sophiam, Ingeburgem, Agnetam & Jutham, per commissarios Sueciæ, Daniæ ac Norvegiæ Regum instituta. Priorum maritis traditur portio, reliquæ suam ad foundationem & dotationem cœnobii Roschildensis, & præcipue Agnetæ, converterunt, quo utraque deinde monasticen professa est, & subancistitæ officio functa, non diu tamen illic Jutha perseverante, velut propediem sum expositurus.

Anno MCCLXIV. Stocholmenis emporii nobilissimi, & Sueo-
 num Regiæ jactavit Birgerus prima fundamenta, vel certè MCCLX, non
 autem MCCLII. aut MCCLIV. quem annorum falso signavit calcu-
 lum, nonnulla vetustatis fragmenta, librorum vitio priscorum corrupta,
 sicut etiam temporis depravata diurnitate. Hanc tamen ex illis duabus
 veriore arbitror opinionem, anno MCCLX. prima urbis tribuentem
 fundamina, loco jacta opportunissimo ad prohibendas hostium in Sueciam
 incursiones, & negotiatorum de remotissimis oris illuc velificationes invi-
 tandas. Præterea Birgerus codices legum Sueticarum magno reforma-
 vit diligentia, sorori capiundæ cum fratre hæreditatis concedens licentiam,
 immunitatis domesticæ prævaricatores, exilio multans, aliaque non
 pauca juri præsertim Ostrogothorum utilissima inserens statuta, moderno
 etiam seculo observata. Immo ex quorundam sententia volumen Legum
 municipalium condidit, ex vetustissimo Bircensium foro conflatum, cu-
 jus jura olim urbes Scandiæ, regionumque vicinarum, velut oraculum
 sequebantur, vulgo *Byrkerät* appellata. Deinde rex Danorum Ericus
 VI. exemplo Birgeri provocatus, anno MCCLXIX. suis perfimiles tradi-
 dit municipiis constitutiones, quas velut quoque Suecorum Christophere-
 rus Bavarus, deinceps plurimum limavit, & legibus Civitatum exoticarum
 conformavit; quando simul regnorum generales juris codices sub
 doctissimorum virorum revocavit censuram, cujus nomine laudem à Sue-
 onibus promeritus est, in ceteris dignus vituperio. Verum Birgerus Jerl
 tandem plenus annorum & laborum hujusmodi, anno MCCLXXVI. XX
 Octobris in prædio Bieltogensi morte superatus occumbit, atque Varnhe-
 miæ pro certo ad latus conjugis sepelitur, teste filio Magno in suis anno
 MCCLXXXVI. editis codicillis, ad quos alibi quoque provocavimus,
 hoc tenore:

*Item Monachis de Varnhem, ubi prædilecti progenitores nostri
 sunt reconditi, CCC. marcas denariorum, pro quorum solutione as-
 signamus eis curiam nostram Badini, quousque à nostris redimatur hæ-*

redibus, sub hac forma: Monachi cum regimen & curam curiæ præfata susceperint, computari & conscribi faciant fideliter, cum scitu Domini Scarensis, & Advocati ibidem, omnia quæ recipiant & aestimari faciant certitudinaliter & taxari, ut relicta cautione aestimationis, tam penes ipsum Dominum Episcopum, quam penes Monachos, quam etiam penes Advocatum, sine cujuslibet diminutionis, vel dilapidationis dispendio, ipsam in omnibus æquè bonam restituant, sicut susceperint, cum eam representari contigerit nostris heredibus redimendam. Tempore vero intermedio volumus, quod singulis annis de redditibus ejusdem curiæ, quos colligere, custodire & disponere teneatur Prior, vel major Cellerarius, fiant tres Pitanciæ Fratribus in conventu, & illis diebus dicantur vigiliæ sollemniter & Missa in conventu, & à quolibet fratre sacerdote una missa; à fratribus verò Clericis, non sacerdotibus & laicis, correspondentiæ in Psalteriis & Pater noster, ita quod uno die pro nobis, altera pro fratre nostro, & tertia pro parentibus nostris, ut dictum est, missa pariter & eis correspondentiæ cum vigiliis dictis sollemniter persolvantur. Cum vero dictam curiam redimi contigerit, ordinamus quod illas CCC. marcas, Prior vel major Cellerarius, ut dictum est, sub ordinationem suam & providentiam recipiat, & in prædium, vel alios tales certos redditus, cum scitu semper & consilio Domini Scarensis, & Advocati ibidem convertantur. De quibus annuatim die obitus nostri, in perpetuum una sollemnis Pitanciæ procuretur fratribus supranotatam suffragiorum sollemnitate tunc pro nobis nullatenus omitturis. Et si quid residuum fuerit, licet hoc illo anno pro infirmorum fratrum necessitatibus erogare, & hoc ipse Prior vel Cellerarius quicumque in illo officio fuerit, ad quod dictæ CCC. marca deveniunt, firmiter teneatur. Et ut hac nostra ordinatio & ultima voluntas irrefragabiliter & sine subtractione qualibet observetur, volumus quod istud inter ipsos Monachos in Registrum redigatur, & in scripto ad perpetuam rei gestæ memoriam posteris relinquatur.

Hinc itaque constat manifestè Birgerum & Ingeburgem, filiumque Ericum Varnhemie, non apud Alvastrenses humatos esse. Sed quo condita loco Megtildis, altera Birgeri consors, quæ anno MCC. LXXXVIII. ex mundo migravit, non dum explorare poteram, interim mihi persuadens ibidem requiescere, & alterum mariti claudere latus. Atqui filia Catharina, uxor nobilissimi viri Siggonis, quæ anno MCCLXXXV. suum condidit testamentum, cum marito in Ecclesia pausat Alvastrensium, filiaque Margareta & Helena, hancque, non germanam reor Magnum regem Ingemaro desponsasse, prout mox examinandum. Christina verò Sunonis de Lina conjunx, non hujus, sed prioris extitit soboles Birgeri.

Verum quo Birgerus de vivis abiit anno, Calmarniam appulit Guido Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, & S. Laurentii in Lucina Presbyter, Legatusque Urbani IV. & Clementis successoris in Daniam expeditus

tus ad sublevandam Rgis & Archiepiscopi discordiam, speque frustratus sua pœnam interdicti prius inflictam excommunicatione cumulavit & recessit, secum Archiepiscopo Romam perducto. Lubecum verò ex Dania pertingens, datis hoc anno III. Idus Octobris, ad Upsalensem & Lincopensem Antistites literis, statutum Sabinensis, de quo Calmarniæ prius impense sollicitatus, moderavit hoc pacto:

Venerabili in Christo Patri, Dei gratia Upsalensi Archiepiscopo, & Lincopensi Episcopo, frater Guido, miseratione Divina tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Apostolica sedis Legatus, salutem in Domino Jesu Christo. Olim fœlicis recordationis D. Guillelmus Sabinensis Episcopus, & Apostolica sedis Legatus, ad correptionem & reformationem Ecclesiasticarum personarum de regno Sueciæ quædam statuta dignoscitur edidisse, contra transgressores ipsorum certas pœnas imponens, in quas non observantes vel in contrarium venientes, decrevit itidem ipso facto. Verum quia præsentis temporis infirmitas, inflicta censura rigiditatem non patitur, ac plerumque propter humanam debilitatem contingit, ut quod propter remedium est statutum, in laqueum & periculum convertatur, Discretioni vestra qua fungimur autoritate committimus, ut statutis memoratis in suo robore duraturis circa pœnas appositas possitis moderamen congruum adhibere, ac ipsas in alias minus periculosas, & magis portabiles, prout salutariarum expedire cognoveritis, commutare. Datum Lybeck III. Idus Octobris, Pontificatus Domini Clementis Papæ IV. anno II.

Sed tenorem Sabinensium constitutionum alibi commodius inferemus, & hoc suggerendum loco, quod Clemens IV. sequenti anno Upsalensium præsuli consecrationem Israelis Erlandi Sigtoniæ professi monasticen, in Episcopum Ecclesiæ Arosiensis, demandaverit, & acceptum ab illo fidelitatis juramentum erga sedem Romanam in urbem transmitteret. Siquidem nemo præter Latium Flaminem, Arosiensibus præsulem assignaverit, cum ille quæstor & commissarius sedis Romanæ per Sueciæ regnum extiterit. Verum anno MCCLXVIII. Valdemarus Sueciæ ac Ericus Daniæ, reges, in regnorum limite, campo Fragredal vocato, congregati, quædam controversa utrinque transfigunt negotia, & amici discedunt, Sophia Ericum comitante protinus in DANIAM, vel proximo anno subsequuta, ipsum & paternum Ringstadii sepulchrum honorificè atque reverenter invisit, hic non mediocri facta oblatione in Sueciam postea remeando.

1270.

Jam annum MCCLXX. pertigimus, quo currente, Valdemarus Sudercopiæ omnium statuum habito frequenti conventu, decernit Ecclesiæ Upsalensis & Regiæ, ad veterem Upsaliam translationem, in tertium exindè annum tamen dilatam. Interim hoc anno, contendunt quidam annales, cœnobium Insulæ Stocholmensis, a Magno fuisse fabricatum, quod verò absimile, cum ille regios nec dum apices adeptus, & monasterium D. Claræ sua primum accepit primordia MCC-LXXXII. quo consummato manum illius fabricæ Magnus admoverit.

Neque minus hallucinantur illi qui MCCLXXI. cathedræ translationem statuunt Upsalensis, quo regnum Sueciæ horrendus concutiens pas-

sim terræ motus, illam reipubl. triennio post secutam præfagiit lamentabilem conquassationem, quæ primordio cœpit tenui, anno MCC-LXXIII. Quippè illo tempore soror Reginæ, Jutha, Roschildiæ in cœnobio commorans ad germanam incipit vehementer anhelare, moxque tutorum consilio & auxilio huc deducta, magnifico excipitur apparatu & comitatu, neque diu morata priusquam à Rege impregnata filium genuit Ericum nomine, non Sophiam, velut quidam temporum & rerum ignari narrarunt posteritati. Proindè hinc uxor procacissima, dolorem immensum, maritus pudorem nefandum, & indigenæ horrorem & furorem in Regem conceperunt. Indè fratres regii Ericus & Valdemarus nimio hæcenus expositi ab utroque contemptui, & præsertim Sophia, quæ fœdo plerumque diæterio & vituperio ipsos lacefferat, vindicandi oportunitatem nacti, ultionem clanculum machinari cœperunt. Causa verò simultatis utrinque fuit, mox à morte Birgeri sortita fomentum, indè potissimum, quod Duces extemplò magnam regni portionem efflagitarint, & impetrarint, in dispendium regiæ magnificentiæ non minimum. Deinde Magnus Ducis nomenclatura, & usura donatus, Rege in stipatorum frequentia, & apparatus excellentia nequam inferior, sed longè superior evasit. Unde Regina vix non invidia, odioque rumpebatur, leviros non dignans aspectu, multo minus alloquio; & continuo in propriam perniciem gliscenti dissentionum incendio flabellum administrans.

Non tamen comitia Stregnesiæ hoc anno, prout nonnulli sentiunt, ad hujus restinctionem frequentata simultatis, aut sequentibus. Isto autem concordiores & frequentiores adsunt fratres & regni proceres, innumeraque incolarum multitudo solenni cathedræ translationi de Furingvald ad Ostraarus seu veterem Upsaliam, XXIV. Januarii celebratæ. Siquidem primi Sueonum Christiani Upsalensem abominati pseudoduliam, non illic, sed remotius indè cathedralem censuerunt fundandam Ecclesiam, cujus transpositionem, idololatria penitus ibidem extirpatâ, S. Trinitatis impetrarunt, & hodiè manciparunt executioni, eadem area templo Christiano extructo, quo viguit olim servitus diabolica, & mons Domini nunc appellata. Simul etiam solium regni eò perlatum, regali habitatione trans annum in prato jucundissimo, secus aquarum decursus fabricata. Verum IV. deindè Julii exuviæ D. Erici, & Præsulum in veteri quiescentium Ecclesia, Upsaliam non minori delatæ festivitate, ascheletis regii in sacello intra muros ligneo, argenteo conditis loculo, aut reliquorum terræ gremio restitutis. Itaque hoc reor tempore regem Ericum Catalogo Divorum primitus inscriptum, cujus deinde locus quotannis die cædis, recurrente XVIII. Maji, mira ultro citroque portari consuevit festivitate, quasi ex intervallo veterem invisens sepulturam. Atqui cum ipsa sensim in oblivionem venisset spatio XXXV. annorum proximè comitantium, opera Nicolai Catilli, Upsalensium Præsulis, anno MCCCVIII, VIII. Calendas Decembris, certo certius investigata, & lapide marmoreo instrata est, velut quædam illic appensâ confitetur tabula.

Fallitur proindè Laurentius Neritius in suo Chronico, dum conatur in dubium vocare illa D. Erici ossa, quæ monstrant hodiè Upsalenses, ex hoc quod minuta duntaxat quædam in sepulchro denuo reposito sint inventa. Quandoquidem exuviæ sint illinc anno MCCLXXIII. translatae, idque ipsemet non silet, minutioribus solum in tumulto relictis, quæ primam secundum cædem, anno MCLX. nactæ depositionem

nem in spacio basilicæ non dum fundatæ propinquo, ubi deinceps sacellum S. Erico dicatum, & sepulchrum seculis non paucis monstratum, cum epitaphio in nostris tumbis adnotato. Denique Idibus Septembris, anno præfato, testantur quidam historici Valdemari Suecorum regis filiam, annos adhuc nubile non ingressam, nato Johannis Brunsvicensium Ducis, data fide contrahendi postmodum matrimonii fuisse promissam, an verò deinceps processerit connubium, ignoro. Ita felix Valdemarus connubio filiarum, velut pluribus deinceps manifestandum, ut proprio infelicissimus matrimonio, atque adulterio incestuque, qui hujus expiandi gratia Romam & Jerosolymam anno MCC-LXXIV. non MCCLXXIX. juxta Hieronymum Henningem in suo genealogiarum opere, proficiscitur, ac interea falso Albertus Crantzius asseverat, Magnum fratri regnum subduxisse & se pro rege venditasse, Valdemarum ex peregrinatione redeuntem votiva excludendo. Enimvero quamquam non inficiet, Magnum interim suæ patronos & sectatores innocentiae in patria quævisse; tamen regium invasisse solium pernego, & mecum historici nostrates universi, quod sanè justis de causis postea Valdemaro deturbato, ægerrime conscendit, quemadmodum infra liquido constabit.

Sed Valdemaro peregre reverso, & magis discordia gliscente, comitia Stregnesiæ frequentissima illius sedandæ gratia peraguntur, in quibus fratrum unus nomine Benedictus Finlandiæ Dux, & non dum Ostrogothorum Antistes, quod falso nonnulli censerunt, pacis amantissimus, germanis suam hæreditatis portionem præsentavit distribuendam, dummodo lite posthabita, in pristinam redire vellent concordiam. Neque minus reliqui Sueonum proceres huc operæ contulerunt, verum singuli laborarunt incassum, diabolo patre discordiarum, & hujus mancipiis ardelionibus quibusdam, utrobique prævalentibus. Itaque hinc exacerbationibus discessum animis, Rege quidem Stocholmiam & Ducibus Nycopiam sese conferentibus, unde protinus Magnus & Ericus in Daniam profecti, prægrandes brevi temporis spatio conflarunt copias, ac insignem præterea equitum cataphractorum obtinuerunt cohortem ab Erico VI. Danorum rege, sena librarum millia argenti puri, datis Sundæburgi anno MCCLXXVI. obligationibus, in solutionem promittentes, & Jacobum Hallandiæ comitem, atque Stigotum regni Danici Marschalcum, exercitus adoptantes tribunus.

Proinde Valdemarus de tanto fratrum hostili apparatu certior factus, longè numerosiorem cogit ex Suecia, Gothiaque quantocius exercitum, & germanis adventantibus obviam procedit animose, fratrum subsannans præsumptionem, totum, vel nihil de regno se habituros jactantium, & veros hujus, non illius vates dictitans futuros. Atqui cum suo Rex agmine medium nemoris permensus Tivedensis, neque hostem usque propinquum ratus, primario apud se in Romundabodam lite reservato, reliquas trans sylvam mandat pedetentim antecedere cohortes. Has autem sine ordine ac ductore juxta villam in Vestrogothia Hovanam vagantes, insperate Duces invadunt, & universas prope modum dedunt internecioni, Rege interim vino, somnoque, & Regina lufui latrunculorum in Romundaboda operam impendentibus, hostemque ludibriis proscindentibus. Sed unus equitum regionum gravibus acceptis vulneribus mortem evadens, citato equo Regem accersit, sanguine ac sermone cladem recenset, monet ut paululum secedat & se suosque colligat, prælium restauret, & neque de victoria adhuc dubitet
obti-

1275. obtinenda. Verum Rex nimio percussus timore, residuas deserit copias, in vicinam profugiens ocissime Neritiam, undè per Ducum postridie reductus cum Regina satellites, ipsis fit supplex, regnum Magno assignans, & bona duntaxat sua poscens hæreditaria. Clementius tamen & liberalius cum ipso Magnus processit, Vestrogothiam, Ostrogothiam, Smalandiam, Vermelandiam & Daliæ amplissimum Gothorum regnum, illi attribuens, præfatus conjugii suæ procacissimæ hoc referret expensum soli infortunium, neque in posterum auscultaret illius malevolæ persuasioni, si gravius nollet incurrere periculum. Hæc vero Ducibus obtigit victoria XIV. Julii, in profesto SS. Viti & Modesti, anno MCC-LXXV. illis plurimum seductis, qui MCCLXXVI. aut MCCLXXVII. hactenus pugnae Hoveni assignarunt annos, prout sequens evincet contextus.

Neque minus falluntur, asserentes Valdemarum in Norvegiæ ex Romundaboda dilapsum fugam, sequenti anno Danorum copiis stipatum rediisse primum, indigenis & alienigenis reclamantibus plerisque historicis. Sicut etiam ipsi à veritate multum exorbitant, qui Magno diadema hoc anno, vel sequenti porrexerunt, utpote qui anno MCC-LXXVII. illud à fratre ultrò resignatum, ægre admodum acceptavit. Ideoque Crantzius cum suis sectatoribus, Magno crimen ambitu regiminis impingens, multa æquissimum principem cumulat injuria, quod assiduis incolarum precibus, Valdemarum ob piaculum incestus summo opere averfantium & detestantium, demisse sollicitatus, tandem capessit. Sed Ericus XVI. Septembris, anno MCCLXXV, de hac sublatus militia & malitia, immarcessibilem in cælo consecutus coronam, atque Varnhemie paterno illatus sepulchro.

Denique Magnus diviso & pacato jam potitus imperio, militem non sufficienter forte numerato salario, ut neque Dano nomine promissi argenti satis contentato, exautoravit. Qui proinde non solum ex regno migrans prædas undequaque collegit amplissimas, cum indigenarum detrimento gravissimo, sed etiam de regionibus Danorum eosdem aliquoties invadens, Erico rege connivente & forsitan clanculum rubente, cladem & vastitatem Gothiæ horrendam identidem inferebat. Interea tamen Danus argenti solutionem, sine aliqua hujusmodi cladum compensatione incellanter & petulanter efflagitabat. Ideoque Magnus prædones illos ex Danorum latebris profligaturus, & pacem suo conciliaturus imperio, grandibus succinctus copiis Daniæ versus contendit. Verum Calmarniam Smalandiæ pertingens, Hedvigem sponsam, Gerhardi comitis Holsatiæ filiam, Adolphi IV. ex filio neptem & Megtildis norveicæ genitam fratre illuc comperit appulisse, una cum legatis pro ipsa magnificè adducenda nuper destinatis, ac propterea procerum adhibito consilio, nuptiarum celebrationem, bellicæ censuit præmittendam expeditioni. Hoc vero persuasit, procul dubio Megtildis connubium, quo nomine singularem nostratibus exhibuit benevolentiam, cum Hedvigis non Domina, sed matris pietissimæ inter Sueones functa obsequio, peculiare apud posteros obtinuerit encomium.

Quocirca nuptiis qua par erat sollemnitate peractis Calmarniæ, Idibus Novembris, anno memorato, non paucis de Germania principibus & comitibus illic præsentibus, Magnus novam nuptam Divinæ commendans protectioni, infesta Scaniæ & Hallandiæ signa infert, multam illarum portionem ferro flammaque devastans, & tandem Uffione Danorum Marschalco cum grandiori multò ad Rynabro exercitu occurrente, nullo suorum amisso triumphans,

phans, remeavit. Neque fuit navalis illa expeditio, ut Crantzius tomnat, aut terrestris, sub primordio brumæ instituta non propter Scaniæ recuperationem, velut Gothus præten dit, aut solvendi argenti tergiver sationem, ut Ericus comminiscitur, sed ob prædonum multationem pro meritam adornata.

Danus interim hac solutione nequaquam contentus, bellum Sueo nibus vicissim inferendum decernit, clam literis & nunciis Valdemaro ad rebellionem pertracto, & partium suarum sectatore non difficulter effectu. Siquidem ob singularem mentis inconstantiam & peculiare no vandarum rerum studium, Valdemarus hanc avide occasionem arripi ens, Magno in Sanda commoranti, literarum internuncio protinus infi nuat, se regni divisione nequaquam fore contentum, & ni totius sibi resignetur dominium, alia propediem circumspecturum illius obtinendi adminicula, moxque in Daniam profugit, idque anno ineunte MCCLXXVI. Atque copiis ab Erico auxiliaribus acceptis, sequenti æstate Verendiam invadit, eam plurima divexans calamitate, ac præter alias ba silicam incendio proculcando Vexionensem, cujus deinde gratia damni compensandi magnificum Tullegardense ipsi prædium delegavit, jugiter possidendum. Alteram postea Danus Valdemaro cohortem Palmone Huit & Benedicto de Alsnö ductoribus, submitit, in quam nobilissimus & strenuissimus Sueonum Ulpho Caroli, CC. tantum equitibus sociatus generose irruens, primipilos abduxit captivos, reliquis ferme trucidatis, & captis ea conditione redeundi facta potestate, ut annuo recurrente ter mino, Sudercopiæ in Ostrogothia comparerent, porro captivi futuri, vel convenienti soluto lytro, in patriam redituri.

Quamobrem Valdemarus hac sociorum agminum strage audita, in Daniam subito cum suis properavit, & circiter Calendas Januarii, an no MCCLXXVII. Ericum regem Vestrogothiam frequentissimo ingre dientem exercitu, in fiducia comitatus est, ut illo victore thronum re cuperet Suecorum. Quamquam Danus affinis & uxoris patruelis, di versa potius intentione Valdemarum secum deduxerit, nimirum cum a liquos ille proceres Suecorum sibi haberet addictos, ipsorum consilio & auxilio victoriam de Magno consequeretur expeditus. Illud siquidem Danis sollenne, nunquam bello Sueones impetere antequam civili discor dia mota complices fuerint illic adepti, ut hoc astu nostros adorti Sue cos Suecis expugnent. Quippe Danum sui potissimum lucri non alieni causa, Valdemarum induxisse hinc constat, quod annis superioribus, nulla consanguinitatis, vel affinitatis ratione habita, Magnum armaverit con tra Valdemarum. Unde si Magno subacto palmam hac vice reportasset, eadem procul dubio in Valdemarum mox arma expeditisset, cum rara fides belli sociis.

Verum Dani adventus in Vestrogothiam, calamum revo cat, qui occupato Axevaldensi castro, illic cum Valdemaro ab Epi phaniæ festo, usque sollennitatem Paschatos, moratus, interim mili te per Vestrogothiam & Smalandiam passim discurrente, illasque in so litudinem propemodum redigente. Atqui Dux Magnus horum probe conscius, occursum abstinuit, non Dani potentiam formidans, sed Christia ni profusionem sanguinis declinans & averfans, ultro citroque interea nunciis de pace constituenda commeantibus, & tandem procerum u trinque consilio illam impetrantibus, ea conditione, quod Magnus ar genti solutionem omnino provideret, & mox ad colloquium hoc super debito habendum compareret.

Quamobrem Duce præsentè, atque regni Suecici detrimentum superiori triennio acceptum sermone luculento exaggerante, sum ma

ma inprimis ad quatuor, & denique ad duo pervenit millia marcarum argenti, juxta pondus grave Colonienſium ſolvendi, arce Lodoſienſi Dano in pignus data, quam tamen Suantopolchus Ducis conſiliarius gubernaturus eſſet, annuatim centum numerando librarum millia, donec argentum plene foret perſolutum. Neque cum Dano ſolum in gratiam Magnus rediit, ſed etiam cum fratre Valdemaro, qui propediem ſe in Sueciam addixerat venturum, & ſingula fraterne cum Duce tranſacturum, pro tempore in Daniam ad conjugem cum Erico ſibi remeandum eſſe, ubi biennio ferme moratus in bonis, dote cum uxore acceptis, Malmogiæ videlicet ac Treleburgi.

Hanc proinde Magnus rerum tranquillitatem conſequutus, anno MCC. LXXVII. ſollenni Pentecoſtes die diadema Upſaliæ acceptat, pridie ad Moraſten concordiam omnium ſuffragio & precibus ordinum Rex designatus. Ideo turpiter illi labuntur chronographi, qui anno MCCLXXV. vel MCCLXXVI. Regem proclamatum aut coronatum adſtruunt, cum ſyncerior regni hiſtoria hæcenus ipſum Ducem non Regem compellaverit, & ille met in ſuo fateatur teſtamento, annum MCCLXXXV. eſſe octavum ſuæ coronationis, totque juſtè computantium calculo illum inter & præſentem deprehendantur.

Deinde rex Magnus non ſatis fidens Dani atque fratris amicitia, non ſolum cum ſocero Hoſſatorum comite Gerhardo de ſuppetiis in neceſſitate mutuo ferendis ſœdus iniit, aſt etiam cum Johanne, Ottone & Conrado Marchionibus eandem repetivit conſœderationem; Cui etiam poſtmodum adſcripti, Primislaus Poſnanienſium & Califfienſium Dux, atque Rodolphus comes Depholtſenſis, filiabus Valdemari connubio ſociatis. Quinimo annuatim comiti Schovenburgenſi, DC. numeravit marcas denariorum, ea conditione, ut contra quemcunque regni hoſtem invocatus, ſuſciperet quantocius expeditionem. Interea quoque cum virtutum heroicarum peculiaris eſſet amator, & militaris induſtriæ ſingularis obſervator, ſectator & cultor, peregrinos ex Dania & Germania viros, harum rerum ſtudioſos ad ſuam confluentes aulam, indigenis illarum minus plerumque peritis poſthabitis, præcipuo venerationis & promotionis genere complectebatur. Quamquam horum nonnulli mercedem rependerint indignam, quos inter fuit quidam Petrus Porſe, Hallandus Eques, propter ſcelus huc profugus illic commiſſum, qui etiam deinceps unâ in necem Erici Danorum regis conſpiravit, & illam nefarie perpetravit. Ille namque cum argentum poſceret mutuatum, neque ſolutionem tam propere obtineret, Regem doſo convivio excipit, & ſatellitibus deſtitutum, captivat, ipſum accepta mutui ſolvendi certa cautione, & jurejurando de non vindicanda hujus ſceleris audacia extorto, tandem reſtituens libertati. Hinc merito Reges noſtri caperent evidens documentum, experimentumque, quantum hujusmodi tranſfugis confi-

Hoc autem Petro genitus Canutus Porſe, Magni III. Suecorum Regis vitricus, quem Chriſtophorus Danus, inſignibus ornavit ea propter ducalibus, prout alias intimandum, & modo ad Magnum II. remeandum. Qui hujus parentem, ne perjurio macularetur, pari deinceps proſequebatur amore & honore, neque ſibi magnopere cavens ab hujusmodi profugis. Quandoquidem non multo poſt tempore, alterum nationis ejuſdem & factionis hominem, Ingemarum Nicolai, non tantum primariis regni functionibus præfecerit, ſed illuſtriſſimam ſororis ſuæ filiam Helenam ipſi dederit uxorem. Quocirca regni primates indige-

næ, tan-

nâ, tantis alienigenarum exacerbati prærogativis, & posthimum Folchungi, missis ad Regem binis regni Præsulibus, ipsum orant, ut externis posthabitis, suorum haberet rationem, illorumque obsequiis ex legum Suecicarum vigore uteretur. Verum Rege indigenarum imperitiam obtendente, plurimumque exaggerante, ac quousque Sueones regalibus obsequiis se redderent magis idoneos, peregrinorum servitiis usurum, protestante, negotio infecto, discesserunt, & regni proceribus responsum insinuarunt. Erat vero Antistitum unus Jacobus Jsraelis, Upsalensium, alter Bono Lincopensium moderatores, non Benedictus frater regius, qui anno MCCLXXXVI. cathedram adiit primum Ostrogöthorum, & hæc Regis compellatio in annum MCCLXXVIII. incidit. 1278.

Ideoque Gothi corrigendus in Metropoli commissus error hac de re, prout etiam de S. Brynolpho nimis perspicua ejusdem hallucinatio emendanda, Quippè Algotum Brynolphi parentem præfato Regis motum responso, filium Lutetiam Parisiorum eruditionis & experientiæ liberalis acquirendæ causa tunc temporis ablegasse asseverat, illicque pluribus annis sedulam rerum laudabilium acquisitioni dedisse operam, quod vero profusum dissonum. Siquidem Brynolphus eodem anno, vel sequenti Antistes evaserit Scarenfis, dudum antea studiorum curriculo Parisiis & alibi regionum consummato, utpote qui MCCCXVII, cum XXXIX. annis illo functus officio de vita migraverit, sicut in chronico Ecclesiastico & historia Episcoporum accuratius adnotatum.

Rex autem Folchungorum interea minas contemnens, amicissimè à Danorum & Noricorum Regibus, ad decidendam permagni momenti utrinque exortam controversiam, invitatus, pariter & rogatus Galmariam descendit. Etenim Norvegus bonorum ad uxorem in Dania jure hæreditario pertinentium questus defraudationem, qua etiam hoc anno MCCLXXVIII. instigatus, Danum pugna Scanörensi non satis feliciter excepit, in ipsa quinque suorum millibus desideratis. Itaque Magnus ab utroque arbiter designatus, ea litem prudentia decedit, ut partes illius lubentes acquieverint sententiæ. Deindè Valdemarum Danus vicissim Magno conatur reconciliare, tantum efficiens, ut Valdemarus hoc vel proximo, fratrem in Aschanes accesserit anno, & totum ipsi Suecorum Gothorumque assignaverit dominium, sibi bonis duntaxat hæreditariis reservatis, in Dania postmodum habitare cupienti. Demum firmioris amicitiae cum Magno Danus primordia auspicator, illic Sueciæ Regem ad fœdus contra quemcumque horum regnorum hostem invitat pangendum, & consensus obligationem acceptat. Velut etiam pactum ibidem ineunt de profugis non colligendis, teste sequenti literarum vigore:

Ericus Dei gratia, Danorum Slavorumque Rex, omnibus præsens scriptum cernentibus in Domino salutem. Noveritis quod nos charissimo fratri nostro Magno Regi Sueorum illustri bona fide promittimus, quod si processu temporis aliquis de hominibus suis sibi contumaciter opposuerit, nullum ad nos refugium habere debeat, nec præstabimus eidem auxilium aut favorem: Et ipse nobis versa vice de hominibus nostris idem facere repromisit. Datum Lagaholm, anno Domini MCCLXXVIII.

Nihil autem hoc Regum conventu de liberorum matrimonio conclusum est, ut quidam falso memorant, ut neque de argenti solutione quicquam actum, quæ superiori anno penitus decisa fuit, nisi forsan Danus

Magno gratificaturus, rursus de regni detrimentis protestanti, ex quatuor millibus librarum alias decretis, bina nunc primum detraxerit, quod nonnulli non magnopere vero difforme adstruxerunt.

Atqui his Magno regni emolumentis invigilante, Folchungi cum suorum factiosa cohorte, ipsius non indormiunt detrimentis, cum Ingemaro de usurpata gravissime exostulantes prærogativa, & nisi hanc posthabeat, deteriora minantes, ipsos Ingemaro contemptos rejiciente. Quocirca ipsum hoc anno Scaris cum Regina, & illius parente constitutum invadentes, immaniter trucidarunt, & Gerhardum Regis focerum ibidem captum, in castro tradiderunt custodiæ Imseburgensi, & Jenecopensem arcta cinxerunt arcem obsidione, Hedvige clam manus illorum in cœnobium Prædicatorum Scarensum evadente, ac inde ad Regem mæstissima propter parentis captivitatem, dilabente. Folchun-
gorum verò in hac rebellionem tribuni fuerunt, Johannes Philippi, Johannes Caroli, Amundus Turonis, & Philippus de Rumbi, viri nobilissimi potentissimique, quorum partibus Valdemarus, literarum & jurisjurandi oblitus, clam suffragabatur, & patrocinebatur, Magno non ignorante, sed prudenter dissimulante. Namque datis crebro ad ipsos literis amicissimis, generosa & animosa illorum deprædicat facinora, quibus alienigenas regno exturbare, à quibus & ipsemet aliquoties delusus esset, conantur, & tandem hoc dolo efficit, ut focerum vinculis solverent, Jenecopiam obsidione liberarent, arma deponerent, & humaniter Scaram à Rege invitati audacter comparerent. Sed ipsos hoc pacto inescatos, & absque regnicolarum sanguine pacatos illic captivat, & Stocholmiam perductos, intra turrim borealem capitis supplicio multavit, nimirum Johannem Philippi & Birgerum fratrem, atque Johannem Caroli, sororium, Philippo difficulter mortem evadente, & prædia sua in noxæ expiationem Regi assignante universa; hæcque rebellionis plerumque catastrophe miseranda, quæ memoratos corripuit pro meritis rebelles, anno MCCLXXX. Quo etiam anno Magnus Norvegiæ rex in fata concessit, frater Haquini, à quo Regis Magni soror Rechiffa fuerat in matrimonium ducta. Eodem quoque MCCLXXX. currente, Jutha Sophiæ germana, & Valdemari quondam pellex, in castro decessit Lagaholmensi, quo forte carceri fuerat ab agnatis mancipata.

Hic annus denique Magno filium protulit Birgerum, quem falso nostratum quidam Regem Scheningiæ hoc tempore designatum testantur, atqui superior filium Regis primogenitum sustulit, Upsaliæ conditum monumento. Quo etiam anno, vel certè proximo, adeò horrenda in oriente mundi climate, pestifera grassante contagione, ut ipsam Magnus à suo proscriberet populo, miram pœnitentiæ formam agendæ præscripsit universo, quam in historia nostra commemorabimus opportunus, velut quoque amplissima Ecclesiæ Suecanæ concessa hoc tempore à rege Magno privilegia & libertates non filebit. Verum tamen exordium unius diplomatis, quod singularem Regis pietatem & fiduciam in Deum præmonstret, & modernos ad similes provocet religionis affectus, huic apponere contextui, operæ pretium duxi, idque hujusmodi est:

Omnibus præsentis literas inspecturis, Magnus Dei gratia Rex Sueorum Gothorumque salutem in Domino sempiternam. Deo auctore terreni regni fastigium, quod nobis à cœlesti majestate traditum esse recognoscitur, sic gubernare intendimus, sic animos nostros ad omnipo-

omnipotentis Dei adiutorium erigere, ut neque armis neque militibus nostris, neque bellorum Ducibus, aut nostro ingenio confidamus; Sed omnem spem nostram, ad solam principaliter referamus summa providentiam Trinitatis; cui non in fortitudine equi voluntas, nec in viribus viri beneplacitum, sed sperantibus in misericordia ejus spe virtutis magnitudine donare & conservare potest res penitus desperatas. Quas siquidem gratias sibi exhibere debeamus, nec mens nostra potest concipere, nec lingua referre, cum à potentibus inimicis & variis insidiis, ipsius sola gratia fuimus hæcenus liberati. Et omnem sollicitudinem nostram in ipsum projicientes, firmam spem fiduciamque gerimus, nos adhuc suo auxilio posse pacem nostris subditis, voluntariis laboribus quos assumpsimus, preparare. Ea propter dignum ducimus ipsum in omnibus præcipue tam in rebus quam in personis venerari suo obsequio peculiariter deputatis, quos operis sui & ovilis vicariis præesse voluit & pastores &c. Datum Sudercopia MCC. LXXXI. die Coronationis prædictæ dilectæ conjugis nostræ, videlicet B. Olavi regis & martyris.

Deindè cum allegatus præterea contineat textus, Hedvigem anno MCCLXXXI. diademate primum redimitam, demiror quamobrem non una cum marito illud acceptaverit MCCLXXVII. tantum honoris ornamentum, in quartum differens annum? Neque aliam depræhendo moræ causam quam vel infirmitate præpeditam, aut certe regni tumultibus operâ Folchungorum commotis, prohibitam, & illorum malitia obtenta priori anno, isto regiæ potestatis insignia securius suscepisse; Atque eadem cum Rege non redimitam festivitate, quod illorum temporum obstiterit forte consuetudini, ut deinceps aliquot probabimus documentis.

Sed hanc pientissimæ lætitiæ principis, mox insignis conturbavit mæstitia, ex morte charissimi parentis Gerhardi contracta, qui hoc mundi ævo rebus exemptus humanis, ad supernas fuit translatus. In Suecia pariter hoc anno nobilissimus vir Folcho, dapifer regni, de mundo concessit, quem Ericus perperam nuncupat Ulphonem. Eidem quoque animo valedicentes non corpore, quædam virgines religiosæ, cœnobium propè Scheningiam a B. Ingride fundatum, sub ipsius victuræ dominio ingrediuntur, normam S. Dominici profitendo. Atqui harum Antistita S. Ingridis, de clarissimo Gothorum sanguine oriunda, sequenti anno videlicet MCCLXXXII. terrestria cœlestibus felix permutavit, prout acta testantur apotheosis, plurimum hallucinante Olao Magno, qui hac ipsam tempestate, pro instituti confirmatione Romam, ad Martinum IV. memorat properasse.

Rex autem in Junio comitiis Stocholmiæ celebratis, fabricationem cœnobii pro virginibus S. Claræ Regulam sectantibus, in suburbio boreali decernit, magna illic sollennitate aream designans, primum collocans saxum, & filium Birgerum triennem cingulo donans militari, quo ipse deinceps honore, Albertum Megapolensium Ducem, aliosque XL. natione Suecos, Germanos & Danos condecoravit. Consummato demum intra paucos annos affabre monasterio, & luculenter dorato, filiam Rechissam illi mancipat septennem, quæ discretionis annos ingressa, ibidem votis obstringitur, & reliquarum evadit Antistita.

In præfato deinde ordinum conventu, gravem deposuit Rex querelam de regalium penuria reddituum, uberiores à proceribus deposcens. Qui triduanam nacti deliberationem, illamque consultando emensi, Legifer Uplandiarum nomine cæterorum, Coronæ & regiæ sustentationi quaslibet regni metallifodinas, indignantibus Folchungis potissimarum dominis, assignavit. Secundò Coronæ tribuit peculio, quaternos Gothiæ, Sueciæque famulos lacus, Jelmerum, Veterum, Venerum & Melerum, cum torrentibus inde promanantibus, Eschilstunensi, Motalensi, Norcopenfi, Trolhettenfi, & finibus in quos exonerantur, Roxeno & Bravicheno, ita quod census ex horum piscaturis & molendinis annui, Reipublicæ imposterum attinerent solum gubernatori, & ab illius levarentur officialibus universi. Tertio subjicit diademati regio, quoscunque annuatim ex lacubus Finlandiæ ac Bothniæ utriusque, velut etiam de primariis Oceani faucibus, illarumque accolis piscationi operam dantibus, reditus solvi consuetos. Ultima subdunt eidem colonos, qui cæsis & exustis ubilibet nemoribus, agriculturam exercent, Regi transacta immunitate trienni tributa persoluturos. Ac tandem nova toto regno decreta fundorum dimensio & taxatio, in censuum regalium non mediocri augmentum. His proinde Magnus nomine contentus Reipublicæ proventibus, ordinibusque gratulans, quietè possedit cum successoribus, donec regno ad peregrinos Reges, hujus ignaros constitutionis, devoluto, cæperit Nobilitas sensim in has aquas & fundos jus sibi arrogare. Quæ idcirco non mediocriter Palnioni Erici, Johanni III. Suecorum regi, post multam oblivionem, ista suggerenti, succensuit, ut liquet ex quodam glossemate huic constitutioni ab Erico Sparre apposito.

Terminatis verò Stocholmiæ comitiis, ad conditum circa limites regnorum convolant Sueciæ Daniæque Reges, pro firmiore percutiendo fœdere, conventum, & matrimonium liberos inter concludunt, nimirum quod Birgerus, Meretam Erici filiam, cum uterque nubiles attingeret annos, in conjugem ducturus, novo fœcero pactum his literis roborante:

Ericus Dei gratia Danorum, Slavorumque Rex, omnibus præsens scriptum cernentibus in Domino salutem. Noveritis quod nos summo animo intendentes, ac firmum propositum habentes, quod inter magnificum principem D. Magnum Sueorum Gothorumque regem illustrem, fratrem nostrum charissimum, & regnum ipsius ex una parte, & nos ac regnum nostrum ex altera, firma pax & amicitia stabilis perpetuo habeatur; Propter quod habito utriusque fidelium consilio, nos dicto Regi fide media promisimus, & ipse nobis vice versa, quod filiam nostram seniore, cum filio ipsius Regis Sueciæ, & herede regni, cum ad annos nubiles pervenerit, matronaliter copulemus. Et si nos medio tempore mori contigerit, procurabimus quod ipsi nihilominus matronaliter copulentur. Quod si verò per nos steterit, quo minus hujusmodi matrimonium sortiatur effectum, obligamus nos ad solvendum dicto Domino Magno decem millia argenti puri marcarum &c.

Quocirca secundum pacta, cæso patre anno MCCLXXXVI. Mereta infelici omine in Sueciam educanda perducitur, & thoro matura Birge-

Birgero conjungitur. Verum de Ingeburge, Magni filia nato Erici locianda sequentibus primum annis deliberatum & affirmatum est. Ferriis demum hoc Regum congressu peractis, ludicris & jocosis se tradunt Principes spectaculis, ac imprimis Equitum decursionibus & concursionibus, ex nostris Hollingero Caroli, viro generosissimo, Petro Scaning Dano congregiente; Postea Danorum alter Magnus Dysavad, nostratibus insultare ac provocare institit, sciscitans, num Sueonum quispiam sibi auderet congregi, equo & C. marci victori in premium cedentibus? Nec moratus nostrorum unus Erengislo Plata, vir modestiori quidem ingenio, corpore tamen & animo robustiore generosioreque, illum primo prosternit concursu, & vadimonium obtinet, documentum spectatoribus linquens, Sueones viribus quam verbis instructiores in certamen cum hostibus descendere.

Hinc autem Magno domum redeunti, contigit ex obitu filiae Catharinæ luctus sanè acerbus, quæ anno MCCLXXXIII. ne fratrum spectaret interitum, de mundo abripitur, Upsaliæ forsitan prope germanum humata. Eodem pariter Sophia Valdemari conjunx, post varios fortunæ casus à quibus nec Regum vitæ immunis est, finem vivendi sortita est, marito superstitite secundas cum Christina quadam in Dania nuptias contrahente, illaque non multo post tempore mortua, tertias cum Catharina Comitis de Getzskou filia repetente, quæ viri considerans fortunam, rerumque inconstantiam, & titulorum vanitatem, Dominae contenta vixit nomenclaturâ. Sed quo tempore illa, & altera vivis sublata, atque num Valdemaro convixerit captivo, non dum exploravi; liquet tamen ex harum obitu, scriptores occasionem nactos, tam varios Sophiæ morti annos tribuendi, quam certò adiiit certius hoc labente.

Anno MCCLXXXIV. laudabilia quædam cudit Magnus statuta, quibus inter alia demandat nè quisquam cibum aut pabulum citra solutionem à rusticis posceret, multò minus per violentiam de penu illorum aut horreo extorqueret vel raperet. Hinc indigenæ summa & exoptata gaudentes securitate, immunitateque, Regem granarii feram & repagulum cognominarunt. Quod profecto vocabulum plus longè honoris & amoris Magno apud universam conciliavit posteritatem, quam antecessorum nonnullis victoriosi cognomentum importabat. Deinde Birgerum filium in frequenti Sueonum Gothorumque Scheningiæ corona, lubentissimo cunctorum assensu in throno successorem designat, Erico insignibus Suecici ducatus donato, quibus pater alias potiebatur, omniumque primus illis decoratus. Quandoquidem ævo priori non Ducis sed Jerli fruerentur duntaxat vocabulo in tota Scandinavia, modernæ comitum dignitati propemodum correspondente. Postea Magnus non propriæ solum prolis sollicitus promovendæ, fraternæ curam quoque suscepit providendæ, hoc anno Nycopiæ Rechissam Primislaõ Califfensium & Posnaniensium Duci, atque Helenam Rodolpho comiti Depholtino, Valdemari filias, patre illic præsentem, & dotem amplissimam assignante, elocando.

De hac quidem plura non suggerit historia, illam verò memorat Polonica, marito unicam genuisse filiam, nomine vocatam materno, & demum furore conjugis trucidatam, Posnaniæ in sacello Regum quiescere, innocentis cædem numine mox vindicante. Nam Primislaus deinceps anno MCCXCV. Polonorum diadema consecutus est, vix novimestri usurpabat tempore, antequam ab Ottone Brandenburgensium Marchione, potentiam ipsius formidante, per sicarios clam

submit-

1285. submissos perimeretur, prope consortem tumulatus Rechissam. Qua filia tempestate decennis erat, hinc tacite insinuans, se anno nuptias sequenti natam, scilicet MCCLXXXVI. & erroris illos manifestè accusans, qui MCCLXXVIII. aut MCCXCV. parentum connubia censent consummata. Denique Rechissa, quam peregrini scriptores Rixam nonnulli, alii vocant perperam magis Elizabetham, tradita matrimonio D. Venceslai Poloniae ac Bohemiae Regis, progeniuit Elizabetham Johannis Bohemorum Principis consortem, matrem Caroli IV. aviam Sigismundi I. & focrum Magnum Alberti II. Caesarum Romanorum, à quibus etiam hodiernus Augustus, Philippus Hispaniae, Gustavus Sueciae, Sigismundus Poloniae, Jacobus Angliae, ac Christiernus Daniae, potentissimi Christiani orbis Monarchae genus derivant clarissimum, illud Rechissae nostrae acceptum referendo, & Valdemaro patri gratulando. Qui proinde felicissimus hac prole merito censendus, ut infaustissimus propter nimiam mentis inconstantiam, rerum novandarum cupidinem & vitae incontinentiam, quibus necessario impulsi Sueonum proceres, quorum unus frater Benedictus, Magno datis literis suadent, Valdemarum omnino custodiae mandandum, quae hujusmodi est:

Benedictus Dei gratia Dux Finlandiae, Magnus eadem gratia Uplandensis Episcopus &c. confitemur & publicè protestamur, nos illustri Domino nostro, Magno Dei gratia Sueorum atque Gothorum regi salubriter consuluisse, & modis omnibus suggestisse, quod D. Valdemarum fratrem suum, (qui omni jure quod in regno nostro dignoscatur possidere, liberè renunciato, memoratum regnum nihilominus perse & per suos, nec non & alienos tentavit immaniter perturbare; Qui dimissa etiam uxore propria & legitima, quasi mente captus, & suae famae prodigus, ac antiqui hostis suggestione & instinctu, ultionis formidine Divinae minime refranatus, mulierculis vilibus interdum per coitum damnatum, quandoque etiam & sceleribus adulterii publicè adhaerebat, contemnens ad salutarem praelatorum regni monitionem ab earundem nefario consortio resilire, & ad tantam vergebat ignominiam inopiamque, ut in alienis partibus caeperit degere vagabundus, in maximum suae animae praedudicium & scandalum plurimorum;) ad emendationem vitae suae & morum reformationem deputatis ei servitoribus competentibus, faciat custodiri. Datum anno Domini, MCCLXXXV.

Prolata nihilominus Valdemari captivatio ex Regis clementia in annum quartum, interim vitae praestolantis emendationem fraternae, velut ipsemet propriae indies studeret reformationi, perfectionique. Ideoque non quemlibet solummodo annum, ast dies etiam sibi ultimos persuadens quoslibet, & ne imparatus à morte opprimeretur subverens, quae more furis nocte clam adrepentis homines plerumque incautos invadit, in urbe constitutus hoc anno Scarensum, suum condidit Testamentum, XVIII. Januarii, cujus exordium singularem redolens devotionem, vitaeque transactae compunctionem, his adnectam, unaque bonorum ad sepulturae locum collationem:

In nomine Sanctæ & individua Trinitatis, Magnus Dei gratia, Sueorum Gothorumque Rex, universis Christi fidelibus, tam posteris quam modernis, presentes literas inspecturis, salutem in Dei filio Jesu Christo. Cum primorum parentum prævaricatione promerente, quæ justo Dei judicio transiit ad posteros, sit humanum genus non solum multiplicibus subjectum penalitatibus & arumpnis, verum etiam moriendi necessitati inevitabiliter addictum, sitque humana vita ventus & vapor ad modicum parens, exitus ignara penitus & incerta, simulque nihilominus post decursum hujus vite, ante tribunal supreni judicis recepturi, prout in corpore gessimus sive bonum sive malum. Nam quacunque seminaverit homo, hæc & metet, consultum & expediens fore non ambigitur, conditionem status vigilanter advertere, diem resolutionis mentis oculis crebrius anteponeere, elemosynis peccata redimere, & æquissimi judicis faciem cautè congruis rationibus, hoc est, placativis pietatis operibus prævenire. Nos igitur Dei gratia præventi, & afflati inspiratione altissimi, super discriminis & instabilem statum vite momentanea mentales oculos attollentes, extremumque diem incertum penitus prævenire cupientes, dignum duximus amore aeternæ hereditatis accensi, pro cælestibus terrena, pro aternis temporalia, pro incorruptibilibus commutare caduca, & in hunc modum, prævia deliberatione diligenti & debita, nostrum condere testamentum. In honorem Domini nostri Jesu Christi, & Sanctissimæ matris suæ virginis Mariæ, gloriosique confessoris sui Francisci, & omnium sanctorum, legamus, donamus, & assignamus inprimis, fratribus Minoribus in Stockholm, apud quos etiam eligimus sepulturam, (quam, quin ibi fiat, nullus sub interminatione anathematis attemptet impedire, præsertim cum super hoc nobis litera Domini Apostolici sit concessa,) curiam nostram Snuterstad, pro consummatione Ecclesiæ & dormitorii, quæ, Domino authore, de nostra ordinatione & elemosina sunt fundatæ. Item pro majori altari ibidem, ornatum altaris sollempniorem quem habemus, cum aureo calice, & duobus baldechinis, quorum alterum sit pro altaris antipendio, & alterum pro tabula tegumento, temporibus quibus non contingit ipsam tabulam revelari. Item pyxidem argenteam pro sacra Eucharistia in cyborio conservanda. Item pelves argenteas, ampullas argenteas, & majus argenteum turibulum de capella nostra, cum duobus candelabris habentibus nodos cristallinos, & cum cruce eburnea in summitate cyborii collocanda. Item casulam aurifrigiatam factam opere plumario, quod vulgo dicitur Sankth, cum ceteris ad eam pertinentibus sacerdotalibus ornamentis. Item dalmaticam & subtile de imaginibus B. Virginis cum ceteris quæ in missa ad ornatum Diaconi & Subdiaconi requiruntur. Item ad altare beatissimæ virginis Mariæ, antipendium de Blyald, cum casula, dalmatica & subtile de baldechino, forratis rubeo serico, cum ceteris ad hæc pertinentibus sacer-

dotilibus ornamentis, & cum iisdem in majoribus festiuitatibus B. Virginis celebretur. Item ad altare B. Francisci, ornatum altaris quem habemus in minoribus sollempnitatibus, cum casula de imaginibus B. Virginis & ceteris sacerdotalibus ornamentis &c. Datum & actum Scaris anno ab incarnatione Domini MCCLXXXV. Coronationis nostra anno VIII. in cathedra B. Petri.

Fatetur itaque rex Magnus se conditorem cœnobii insulani apud Stocholmensis, & neque dum Ecclesiæ & dormitorii consummatam fabricam, ideoque refellit ipsemet calculum quorundam asserentium anno MCCLXX. prima hujus monasterii jacta fundamenta esse, quando Magnus adhuc regia non pollebat dignitate. Verior proinde aliorum sententia, qui MCCLXXXIV. primordia illius ædificii assignarunt, biennio propemodum elapso à foundatione monasterii suburbani, in fabrica hæctenus constituti. Quibus Magnus duobus non contentus fundatis & locupletatis, alia per ordinem Arbogiæ & Lincopiæ iisdem erexit monachis diuersoria, simulque vestalibus ordinis Cisterciensis prope Stregnesiam. Atqui Dominicanæ professionis virginibus Scheningiæ nova fundavit & ornavit habitacula. Siquidem S. Ingridis cœnobium extra pomœria Scheningensium illa vivente & operante constructum, Rex centum libras argenti puri novo legans operi, transtulit in urbem & venustè construit, primo fundamenti saxo regia manu illic locato. Idque anno MCCLXXXVIII. ceteris in vicinia urbis Ecclesiis ab incendio consumptis, permansit illæsum, quod eodem Margareta Valdemari filia, eadem forsitan quæ Johannis Brunsvicensium Ducis filio erat desponsata, & sponsi morte vel aliis de causis hæctenus à matrimonio retardata, ingreditur monasticen profitendo. Quamquam verò Magnus tam sumptuosius indies fabricis grandes cogere præbere impensas, tamen vix bonorum aliquod comperiebat dispendium, adeò ut currente hoc anno MCCLXXXV. officinas monetæ cudendæ habuerit Sudercopiæ, Jenecopiæ, Scheningiæ, Nycopiæ, Arosiæ, Upsaliæ & Orebrogiæ, locupletissimas, ex quibus præmagnos signati argenti quotidie perceperat acervos, Divina benedictione cum multiplici refundente identidem fœnore.

1286. Non multo interim minori regius frater Benedictus Finlandiæ Dux, erga regni Ecclesiam atque Clerum liberalitate utebatur, qui anno MCCLXXXVI. Præsul Ostrogothorum effectus, plurima cathedræ legaverat prædia jugiter possidenda. Fallitur proinde Gothus in literis paulo ante prolatis, ubi Benedictum Lincopensium compellat antistitem, MCCLXXXV. cum manifestis liqueat documentis sequenti primum illo munere ornatum esse. Neque minus labuntur alii, mortem hoc anno Benedictum oppetivisse comminiscens, & pro utrisque erroris convincendis, in Chronico producæ Ecclesiastico Benedicti quandam epistolam, qua MCCLXXXVI. primum suæ designationis annum confitetur.

Quo etiam ad finem vergente, crudelissime noctu occisus à propriis regni proceribus, Ericus VI. Danorum rex, XXII. Novembris, & proximo anno diligentissima pro indagandis sicariis regiis habita inquisitione, jurejurando XXVIII. Equitum auratorum tam nefario alligati sunt crimini, Jacobus comes Hallandiæ, Stigothus Marschalcus, Petrus Porse, & Nicolaus hujus germanus, qui protinus vitæ consulentes in Norvegiam & Boreholmiam profugerunt. Erico autem

tem filius homonymus, cognomine Mened / in folio Danorum sublegatus, cum uxore sua Ingeburge ad annum MCCCXIX. prudentissime rerum illic potitus est.

Sed anno MCCLXXXVII. non verò sequenti, licet 1287.
hoc quidam adstruant, nobilissimus Folchungorum Folcho, filius Algothi Vestrogothorum Legiferi, atque frater S. Brynolphi Scarensum Episcopi, clanculum abreptam mense Martio Suantepolci filiam Ingridem, Davido Torstani Danorum promissam Archidapifero, in Norvegiam perduxit, quò pariter facinoris complices germani, Petrus regni Cancellarius, Benedictus & Carolus, vindictam subverentes regiam profugerunt, à Norvego benignè suscepti. Atqui pater Algotus cum uno filiorum Rorico in regno permanens, extemplò captivus abducitur. Brynolpho etiam in gravissimas hac de causa cum Rege similtates prolabente.

Proximo autem mense, Gotlandia domestico concussa tumultu, incolis Visbyensibus, bello terræ colonos excipientibus ipsosque profligantibus, ideoque Magnus utrisque plurimum indignatus hac conditione anno sequenti gratiam impertit, istis comprehensa:

1288.
Omibus presentes literas inspecturis, Advocati & consules tam Gothensium quam Theutonicorum, & communitas civium de Visby, salutem in Domino. Ad notitiam singulorum volumus devenire, cum contra Dominum nostrum Regem Suecorum Gothorumque illustrem deliquimus, cui semper subjecti esse volumus in omnibus ut tenemur, promittimus bona fide, quod propter injuriam quam sibi fecisse videmur, ex eo videlicet quod muros civitati nostræ circumdedimus, & in Ruenses terræ Gotlandiæ, injuriam propulsando aliquos insultus fecimus, irrequisita Regia majestate, duo millia marcarum puri & examinati argenti Gothensis ponderis, cum quingentis marcarum usualis monete, sine contradictione & reclamatione qualibet terminis inferius annotatis, sibi plenariè persolvemus. Ità videlicet quod quingentas marcarum argentearum usualis monete in autumno jam instanti, & quingentas marcas puri & examinati argenti, quindenaria post festum Pentecoste, & mille quingentarum marcarum puri & examinati argenti in festo B. Johannis Baptiste, anni tunc proximè subsequenti: Quam pecuniam statutis terminis & temporibus Calmariam apportabimus in propriis periculis & expensis, & tandem Advocato ejusdem Domini nostri Regis, vel suorum heredum, ibidem tunc existenti, integraliter commissuri. Præterea promittimus, quod si aliqua discordia casu sinistro inter nos & Gottenses terræ Gotlandiæ exorta fuerit, illam si bono modo poterimus, sedabimus per nos, & si hoc bono modo fieri non potuerit, antequam Dominum nostrum Regem super hac requisierimus, ad vindictam aliquam contra eos nullatenus procedemus, nisi ipsi in nos ità subito irruerint, quod vim vi repellere compellamur. Etiam si præfati Gottenses nuncios suos ad Dominum nostrum Regem destinare voluerint, ipsos impedire nullatenus præsumemus. Promittimus insuper bona fide quod nullum præter Regem Sueciæ, qui pro tempore fuerit, unquam in Dominum eligemus, &

si contigerit præfatos Gottenses aliquem extraneum sibi in Principem
 vel Dominum eligere, vel in præjudicium dicti Domini nostri Regis
 & nostrum ausu temerario advocare, portas civitatis nostræ Domino
 nostro Regi, seu quibuscunque fidelibus nunciis suis, ad hoc specialiter
 deputatis, liberaliter aperiemus, & fideliter adstabimus pro posse no-
 stro, ad talem extraneum Dominum ab iisdem Rurensibus introdu-
 ctum cum suis fautoribus & complicibus expellendum. Si vero sæ-
 pè dicti Gottenses eundem Dominum nostrum in jure suo ausu teme-
 rario perturbare præsumpserint, vel in aliquo rebelles extiterint, nos
 per literas ejusdem Domini nostri moniti, nuncios suos, si quos ad
 nos destinandos duxerit, honestiori modo quo poterimus, colligemus;
 juvando ipsos infra muros civitatis nostræ auxiliis & consiliis qui-
 bus potuerimus, pro justitia ab iisdem Rurensibus extorquenda. Item
 si aliquos de regno Sueciæ ad civitatem nostram declinare contigerit,
 quos manifestum & notorium est Regiam majestatem offendisse, &
 si literas à Dn. nostro Rege super hoc receperimus, illos si infra men-
 sem per nos moniti recedere noluerint, & gratiam Regiam non reha-
 buerint, ex tunc à civitate nostra totis viribus expellemus. Procura-
 bimus & à civitatibus Lybeche, Vismere, Rostock, Gripsvold, Stråle-
 jund & Riga literas fidejussorias, continentes quod si aliquem ex-
 traneum Principem seu Dominum, præter Regem Sueciæ eligere præ-
 sumpserimus, vel promissa fideliter non servaverimus, dictæ civitates
 ipsum Dominum nostrum Regem Sueciæ contra nos ad destructio-
 nem nostram totis viribus adjuvabunt. Procurabimus insuper in ex-
 pensis propriis literas à sede Apostolica, in quibus continebitur, quod
 si sæpe dictum Dominum nostrum Regem Sueciæ in præmissis offen-
 derimus, ipso facto, si legaliter convicti fuerimus, excommunicationis
 sententiam incurramus; nihilominus nos jurisdictioni Domini Linco-
 pensis supponentes, ut si in hujusmodi deliquerimus, plenariam autho-
 ritatem habeat, in nos excommunicationis sententiam promulgandi. Si
 etiam sæpe dicto Domino nostro Regi Sueciæ placuerit ad nos veni-
 re, civitatem nostram & terram Gotlandia gratia visitandi, ipsum
 sicut verus Dominus recipi & honorari debet à suis subditis, & te-
 netur, cum debita humilitate & reverentiis recipere curabimus, &
 sicut majestatem decet Regiam in omnibus pertractare. Promittimus
 etiam fide firmissima, quod si unquam inventi fuerimus in præmissis,
 sive in aliquo præmissorum deliquisse, pœna decem millium marcarum
 puri & examinati argenti nos subjicimus per præsentem, eandem sum-
 mam pecuniæ ipsi dilectissimo Regi nostro soluturi pro suo libito volun-
 tatis. Ne igitur in præmissis omnibus quenpiam vacillare contingat,
 sigilla nostra huic scripto, ad evidentiam plenioram duximus apponen-
 da, Datum Nycopia, anno Domini MCCLXXXVIII, in vigilia S.
 Laurentii.

Quibus sane promissis, de servanda fideliter Suecorum Regi obedientia depositis, usque regimen Christierni Danorum Regis, qui dolo malo illam Sueonibus insulam subduxit, adhæserunt Wisbyenses. Sunt tamen nonnulli Scriptorum, qui conflictum ibidem anno MCCLXXXVIII. tribuerunt, rati eodem tumultum, quo Nycopiæ litis ventilatio & multatio agitata, contigisse, sed priorum verior sententia. Quod ipsum de violenta Ingridis per Folchonem abductione, adversus contrariæ opinionis assertores confitendum, neque admittendum hoc anno MCCLXXXVIII. sponso sublatam, cum certissimi veterum calculi MCCLXXXVII. indigitarint. Turpius autem multo lapsi contententes hoc quoque tempore Johannem Philippi unâ cum suis complicibus rebellionis dependisse pœnas, cum MCCLXXX. pro certo illud acciderit. Neque minor quorundam digladiatio existit de anno captivati Regis Valdemari, nonnullis MCCLXXV, aliis MCCLXXXVI, quando approbata solum, non executioni mandata ipsius captivatio, quibusdam MCCLXXXVIII. affirmantibus eam accidisse, & horum quidem calculus verò conformis. Siquidem MCCLXXXVIII. custodiæ in castro deputatus Nycopenfi, ex sententia justius calculantium Chronographorum, ubi quinquennio transacto, vitæ clauserat etiam periodum, triennio à fratris obitu supervivens. Noverca verò utriusque Megtildis, & Birgeri Jerl hætenus superstes vidua, hoc labente mundi anno MCCLXXXVIII. vivos inter esse desit, Scheningiæ forsitan requiescens.

Quo etiam ævo Magnus vicinæ præscius mortis, Birgerum octennem denuò ab ordinibus regni, regia curavit ornandum prærogativa, & mox Danorum regina Agnes, Erici VI. consors relicta, habito in villa Bovensbergenfi prope Falchenbürgum cum rege Sueonum colloquio, filio Ingeburgem uxorem impetrat & dotem cum ipsa sex milium monetæ Danicæ marcarum, quantam prius accepit Birgerus cum sorore Dani Mereta. Deinde verò destinat Magnus in Daniam Henricum comitem Glycensem suum levirum & Wernerum Brunche, qui Helsingburgi datis & acceptis utrinque literis, matrimonii negotium consummarunt, ea tamen lege, ut si necessitudo quæpiam sanguinis iusto propinquior obstaculum ponere videretur, antequam sequens triennii dilaberetur curriculum, ex urbe contrahendi licentia quantocius obtinenda esset. Itaque his transactis, Ericus VII. Danorum rex Menned appellatus, nubile ingressus annos, Ingeburgem Magni & Hedvigis filiam sibi felicissimo sociavit omine, quandoquidem illa singulari sua prudentia & probitate, ita marito gubernaculis assidenti adstiterit, ut illa maximo regni cum emolumento & suo rexerit permagno encomio, prout aliàs memorandum est.

Anno MCCLXXXIX. S. Brynolphus Scarenfium Antistes, cum aliquandiu regiam declinasset indignationem, in cœnobio apud Ostrogotos Alvastrenfi latitando, tandem in Vestrogothiam rediturus, Vastenum profectus est, undè secundam nactus tempestatem, insidias factellitum regionum per Weterum evasit. Pervenit autem ad Eccesiam D. Helenæ Schedvicensem in prævigilio assumptæ in cælos Deiparæ, & postridiè festo debita pietate transacto, ad cathedralem se contulit Ecclesiam. Proinde Rex in arce constitutus Axevaldensi, Præfulis inaudiens adventum, Scaram properavit, & mox Episcopus regio restitutus favori, parentis & germani Rorici de carcerisqualore obtinet liberationem. Neque memorata Regem & Præfulem inter amnestia MCCLXXXV, prout falsò narrat Olaus Magnus, verum MCCLXXXIX. fuit reno-

vata. An verò Rex Magnus tantâ se submiserit humilitate Antistiti, quantam in sua Metropoli Johannes Magnus exaggerat, ambigo, lectoris prudentiâ relinquens ponderandum, & ad Ingerdis raptum calamum referens. Quem propter septem Algoti filios rex supplicio affecit, quemadmodum insinuat quoddam vetustatis fragmentum, quod XI. Algoto tribuit filios, & Carolum de Lindoe horum unum in loco commissi facinoris velut primarium hujus auctorem fuisse multatum, Rorico fratre in Norvegiam accelerante, & illic potius, quam in patria fatum oppetente. Atque hæc quarta & postrema Folchungorum clades extitit, qua nobilissima progenies ita fuerat oppressa, ut caput imposteriorum non extulerit. Ideoque Benedictus Legifer Ostrogothiæ avus D. Birgittæ maternus, occasum spectare suorum contribulium non sustinens, hoc anno votivis se peregrinationibus accinxerat, Magno filio provinciæ committens administrationem, curiamque Ulfasensem.

1290.

Eodem similiter ævo vir generosissimus Canutus Matthiæ Nericianorum Legislator, & Folchungorum fortassis propago, vitæ valedixit usuris, quo tempore Huitfeldius litis memorat Gotlandicæ, in præjudicium veritatis, tragœdiam. Ericus autem Upsalensis isto sentit Torchillum Canuti à Magno Rege morti proximo, uxoris & filiorum tutorem regniq̄ deputatum intermortuis vocibus gubernatorem fuisse. Sed veritati conformior reliquorum asseveratio, annum MCCXC morte Regis statuens funestum, quæ juxta Monachorum Stocholmensium ephemerides, in XVII. Septembris diem incidit, Magno in fatali Principibus regni Visingana expirante insula. Inde vero regium funus humeris indigenarum lachrymis ubertim madentium XII. dierum itinere Stocholmiam perlatum, & pro dignitate humatum est. Quo deinceps tumulo arbitror Hedvigem mandatam esse, demirans quamobrem filiorum Erici & Valdemari funus anno MCCCXVIII. non eidem illatum, quo Magni nepotis ex Birgero corpus MCCCXX. perlatum, sicut postmodum suggeremus.

Denique liquit Magnus filiam superstitem unam Danò desponsatam, & filios tres, Birgerum, Ericum atque Valdemarum, quorum infortunia sequens percenset historiæ, non sine gemitu, ille contextus. Siquidem illa de cœnobio abrepta Vretensi Helena, nequaquam Regis fuit Magni filia, velut perperam cantio, quæ hac de re circumfertur, adstruit, sed Suerchero III. nata parente, atque à Sunone Ducis Folchonis filio quondam violenter abducta, prout theatri paraphrasis genealogici luculentius comprobabit. Itaque hunc Magnus vitæ felicissimum sortitus est exitum, anno regni XIII. & plurimis deinceps sanctitatis coruscasse documentis, scriptores non spernendæ fidei testatum posteris reliquerunt. Quod tamen arcanum nos Divino permittimus scrutinio examinandum, hoc interim non inficiando Magnum cum timore & tremore salutem suam operatum esse, nullo posthabito adminiculo, quo æternæ beatitudinis particeps poterat evadere, quemadmodum clausula Testamenti sæpius allegati isto contestatur tenore:

Ceterum ne de receptis curialitatibus, laboribus & servitiis judicemur immemores aut ingrati, omnibus regni nostri Episcopis, Clericis, Nobilibus, Militibus, Armigeris ac famulis universis, de recepto favore & fidei servitio ex intimo corde gratiarum referimus actiones, monentes instantius, affectuosusque rogantes, quatenus hoc idem fidelitatis & obsequii

quii vinculum, erga dilectam uxorem nostram & prolem, singuli ve-
litis in posterum firmiter & inviolabiliter observare. Insuper, quia
mortuorum memoria, ut plurimum surrepentibus seculi curis & solli-
citudinibus, à mentibus solet elabi superstitum, magisque pium &
meritorium esse dignoscitur, tunc cuique sollicitis subvenire suffragiis,
quoriam ipse sibi est omnino impotens & extra statum meriti vel de-
meriti constitutus. Idcirco ne memoria nostra simul cum sonitu
campanarum pereat, sed in piis fidelium desideriis vigeat & radicata
remaneat, animam nostram sacris orationibus omnium, cujuscunque
sint aetatis, status, conditionis, religionis vel ordinis, sub spe & amo-
re mercedis aeternae, omni devotionis affectu, quo possumus, humiliter
recommendamus, postulantes & petentes de gratia & munere specia-
li, quod quilibet Episcopus in sua diœcesi & Ecclesia in memoriam
nostri aliqua specialia suffragia, dignetur & velit constituere, anni-
versarii nostri termino recurrente. Hujus autem Testamenti nostri,
ordinationis & ultimae voluntatis executores constituimus, dilectam
consortem nostram, dilectum fratrem nostrum, Dn. Benedictum Du-
cem Finlandiae, venerabiles patres, Dn. Archiepiscopum Upsalensem, &
omnes suffraganeos, Dn. Cancellarium, Dn. Dapiferum, omnesque
Consiliarios nostros, quos monemus attentius, instantiusque rogamus,
ut in aeternae retributionis meritum, hac omnia sine dilatione, dissimu-
latione, diminutione & impedimento quolibet, curent & promoveant,
& faciant fideliter expediri. Datum & actum Scaris &c.

Memor proinde Torchillus regiae commissionis, mox clavo rei-
publicae moderando dextram admovit, illo, donec regius haeres adole-
sceret, tanta prudentia & fortunae clementia fungens officio, ut au-
rea sub ipso Sueonibus secula viderentur reluxisse. Erat autem Tor-
chillus Folchungorum contribulis, patre fatus Canuto, regni Consiliario
tempore Erici Balbi primario, & nepote Birgeri I. Ducis Suecorum
illustrissimi de filio Philippo, velut XVIII. Theatri nostri liquidò Sche-
ma manifestat. Qui pro singulari sua prudentia Birgerum & Ericum
patruales inter de imperio pertimescendam digladiationem, si huic li-
bera cum ordinibus regni permetteretur diutius conversatio, probè a-
nimadvertens, anno MCCXCI. Ericum insigni principem indole man-
dat ex consilio reliquorum procerum honestae liberalique in acropoli
Stocholmensium custodiae.

Deinde regni moderator Torchillus, Valdemaro Erici misertus
parenti, non digna satis principe custodia Nycopiae detento, regiam
prorsus vivendi commoditatem, praeter castrum limina transeundi facul-
tatem, assignavit. Siquidem insignem Valdemari subverens inconstanti-
am, qua grandem saepenumero cladem patriae invexisset, ipsum con-
suetae non ausus permittere libertati.

Sed principio anni hujus Motalensis & Norcopenensis praesagi, à
rapidissimo diebus aliquot desistentes cursu torrentes, horrendam,
quae mox secuta est, pestis atque famis insinuarunt grassationem, quibus
hoc labente anno infinita propemodum multitudo hominum in Suecia
succubuit, & in hac primarii, Benedictus, Magni & Valdemari Regum
germae

germanus, Ecclesiæque Lincopensis Antistes clarissimus, VII. Calendas Junii; Anundus Stregnenfis, Bonno Wexionensis, Præsules Ecclesiarum; Amundus Caroli, Sudermannia, & Gustavus Turefon Vestrogothia, Legiferi, nobilissimi Suecorum & Gothorum primates mortem oppetiverunt.

1292. Itaque mortuo Bonnone, Upsalensi fortassis Archiepiscopo adversante, & jus appellationis ab ipso ad Lundensem contumaciter poscente, Consistorium Ecclesiæ Vexionensis errorem vel potius insaniam agnoscens, atque deprecans, anno MCCXCII. festo D. Margaretae, Upsalensi præsuli, velut legitimo metropolitano, Sueonumque primati, spondit obedientiam de qua alibi, & ad Torchillum modò remeandum.

Is crebris Carelorum Russiae populorum permotus in Finlandiam excursionibus, anno MCCXCIII. armis ipsos perdomitos Regi Suecorum submitit, operaque simul Petri Arosiensis Episcopi ad salutiferum Christi pertraxit obsequium. Atque ut subjectam facilius commodiusque in obedientia contineret gentem, & à Russorum protegeret violentia, non solum Viborgense novum populo præsidium exstruxit, sed etiam Kexholmense hostibus per vim subduxit castrum firmissimum, & illud nobili, strenuoque admodum viro Siggoni Lofa sub modica præsidiariorum manu & victualium inopia commisit defendendum. Ideoque protinus à Gubernatoris reditu partem destinat commilitonum in Sueciam, esculenta & poculenta impetratum, nimisque morantium absentiam hostis cognoscens, residuos inedia propemodum confectos aggreditur, qui cum senos absque omni ferme alimentorum usu se dies strenue defendissent, nullaque commeatu spes affulgeret, vixque præ esurie ac macie consistenter pedibus, in adversarios numero & viribus longè superiores animosè prorumpunt, & strage hostium insigni edita, non inulti corruerunt universi, præter duos, cladis tam miserandæ nuncios, quæ contigit anno MCCXCV. non intermediis, ut quidam falso adnotarunt.

1293. Interim MCCXCIII. Valdemarus quondam Suecorum Rex Nycopia diem clausit extremum, & in cœnobio Dominarum Vretensium terræ mandatus perhibetur velut etiam MCCXCIV. tantum in Scandia fuit frigoris, ut per glaciem viator ex Jutia Danorum in Norvegiam eques transmarit.

1295. Verum ipso præterea anno MCCXCV. nupsit Sophia Valdemari Regis & Sophiae filia IV. Erico Duci Langlandia, quam Huitfeldius perperam vocat uxorem Valdemari, matrem & filiam confundens, utpote cum ipsius etiam testimonio, Sophia MCCLXXXIII. vivorum numero sublata, & Rex Valdemarus binas per ordinem deinceps duxerit consortes, Christinam & Catharinam. Imò fatetur ipsemet in historia Erici VI. Danorum Regis, Sophiam homonymam liquisse filiam, & tamen paucis ante paginis ex Jutha conceptam, non fat memor veritatis, comminiscitur. In Historiæ vero progressu, Ericum appellat sobolem ex præfato genitam incestu, usque eò Huitfeldius sibi quandoque non constat. Sed ego neque Ericum neque Sophiam arbitror appellatam, nisi fortè Valdemarus binos habuerit filios cognomines, unum de legitimo, & alterum de incestuoso prognatos thoro. Quandoquidem ille, cujus mentionem paulò fecimus ante, Valdemaro & Sophia sit procreatus, & hæreditatem in utroque nactus regno legitimæ competentem soboli, prout sequentibus indicandum paginis.

Eodem currente anno Birgerus ex consilio Torchilli tutoris & gubernatoris, cæterorumque procerum, codicem legum Sue-ticarum

ticarum, Birgero Petri D. Birgittæ mandat parenti corrigendum, quod licet priorum studio zeloque regum esset aliquoties ventilatus, nihilominus tamen quædam adhuc religioni Christianæ adversantia, & justitiæ Sueonibus administrandæ minus congruentia, reservaret. Quamobrem Birgerus XII. legis patriæ adoptans in consilium & auxilium peritos, juris limationi fidelissimam impendit per biennium operam, & tandem MCCXCVI. consummatum, regio diplomate confirmatur volumen, idque hujusmodi tenore:

Omnibus præsentis literas inspecturis, Birgerus Dei gratia Sueorum Gothorumque Rex, salutem in Domino sempiternam. Licet legum veterum non sit vilis autoritas, interdum tamen per processum temporum, & humana propagationis successum, convictus mutui modo & ordine variatis, nec non insolitis aliquibus emergentibus casibus, nonnullis & antiquitatibus minus lucidè traditis, mutari quoque contingit leges & statuta, quibus humana fragilitatis mores regulari, & litigia quietari competit, æquitatis tramite observato; quod profectò tam in Ecclesiasticarum quam civilium traditionum abrogationibus, suppletionibus ac novellis institutionibus clarius elucescit. Sane fidelis noster Dominus Birgerus Legifer Tiundia, ex parte omnium tria Folchland Uplandia inhabitantium, fide digna nobis insinuatione monstravit, in eorundem legibus per plura dispersis volumina, contineri quædam rationi minus consona, juri communi repugnantia, aliqua obscure tradita, & nonnulla utentibus onerosa. Quare à nobis ea qua decuit instantia, omnium supradictorum nomine postulavit, ut ipsorum in hac parte dispendiosis incommodis, de speciali gratia oportunitate adhibere remedium dignaremur. Et quanquam preces hujusmodi ad exauditionis gratiam, aliquo tempore distulerimus admittere, veterum legum impertinentes variationes, ac novitatum inventiones evitare volentes, iteratis tamen antedictorum importunitatibus pulsati, ac tandem multiplicium inconvenientium, & gravaminum querulosis allegationibus inclinati, petitionem porrectam duximus admittendam. Porro ut debita adhiberetur diligentia, circa perpetuis temporibus permansura, præfato Domino Birgero Legifero dedimus in mandatis, ut assumptis secum discretioribus de singulis Folchland, discutendis veteribus, ac novis condendis & compilandis legibus, daret operam efficacem. Quare promptitudine debita jussa complens, XII. viros assumpsit, videlicet de Tiundia, M. Andream Præpositum Upsalensem, & Milites nostros, Dn. Röd Kialdorsson, Dn. Benedictum Booson, Ulph Lagmansson, Hagbart de Suderby, Andream de Forekarlabby, & Torstanum de Sembra. Item de Attundia nostros Milites, Dn. Philippum de Rumby, Haquinum Legiferum, Eschillum Schielga, Sigurdum judicem, & Johannem Gasabog. Item de Fiedrundia, Ulphonem de Oethnustum, Gothricum & Ulvidum judicem. Cum his igitur omnibus diligenti indagine expleto, discussionis, edictionis, compilationis

pilationis & examinationis negotio, leges ipsas convocato communi eorum quorum intererat placito, in omnium audientia promulgarunt. Deinde absque contradictione qualibet consentientibus & acceptantibus omnibus, iterato ad nos habito recurso, super insiminatione factorum, ad omnium supradictorum instantiam & petitionem, nomine trium Folchland supradictorum nobis factam, auctoritate regia sepefatas leges authenticandas, ac confirmandas duximus, easque observandas perpetuo presentis scripti patrocinio communimus, volentes & eadem auctoritate districtè precipiendo mandantes, sub obtentu gratiæ nostræ, & animadversione regia ultionis, quatenus omnes ac singuli sæpius memorata tria Folchland inhabitantes, non aliis sed iisdem legibus tantâ petitis instantia, tam diligenti studio conscriptis, adeò unanimiter acceptatis, ritè approbatis, confirmatis & authenticatis à nobis, utantur in judiciis, causis & controversiis quibuscunque. Volumus etiam & firmitè precipiendo mandamus, ut omnes & singuli Norra Rodhin inhabitantes sine contradictione qualibet utantur legibus supradictis. In cuius rei evidentiam presentes literas scribi fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Datum Stocholmis, anno Domini MCCXCVI, in octava B. Stephani Protomartyris.

Inter alia verò Birgerus, hoc volumine abrogata veterum consuetudine, quæ in hunc usque viguit diem, de vendendis mancipiis Christianis, nova prohibet lege condita, nè in posterum mancipia, quæ Christo nomen dedissent, precio distraherentur, aliàs hoc ipso censerentur manumissa & libertate donata; Siquidem, inquit, salutis nostræ Christus restaurator XXX. venditus denariis, suos in libertatem vindicaverit sectatores, quemadmodum liquet ex capite tertio Tituli de Negotiatione. Nullo proinde jure insurgit Johannes Gothus in calce Historiæ Birgerianæ, adversus Olavum Petri, asseverantem in suo Chronico id consuetudinis ante Birgeri viguisse tempora, & per ipsum lege lata abrogatum esse. Enimverò asserit Johannes contra manifestum codicis textum, nec ante, neque post Evangelii apud nostrates prædicationem, hic morem dividendi fuisse mancipia, qui tamen diu per sequentem etiam annorum decursum perseveravit, saltem quoad distractionem mancipiorum gentium ex Ingria, Estonia & aliis barbararum gentium regionibus huc cætervatim perducta, velut Olai frater Laurentius in sua confitetur historia. Qui tamen Johanni non invitus largitur, sibi non alienum à veritate videri, quod nullo unquam tempore permissum fuerit, Suecos vel Gothos Suecis aut Gothicis dividere pretio numerato, sed tantum barbaros bello captos & huc destinatos, quorum singuli pretio duarum librarum argenti defæcati, teste Olao, ad vetustum legis Ostrogothicæ volumen provocante, distrahebantur. In hoc tamen hallucinatur Olavus Petri, quod MCCCII. affirmet præfatam legum à Birgero renovationem fuisse institutam, utpote quæ MCCXCVI. certo certius consummata, & priori demandata, ut liquet ex diplomate regis allegato.

Eodem similiter labente anno, Helsingburgi connubio sibi junxit Ericus VII. Menved appellatus, Danorum Rex, Ingeburgem Birgeri sororem, & Magni regum filiam, quod hactenus propter immaturam sponsi protractum ætatem.

Tunc etiam festo D. Johannis Baptistæ in planitie Sommerstentis,

tenſi, propè regnorum limites, Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ congregati Monarchæ, de nuptiarum ſollennitate forſitan reverſi, vel ad ipſam abituri, pacem Danos & Norvegos inter conantur reſtituere, ſed tantum induciæ per ſequens prorogata biennium.

Interim Birgerus ætatem matrimonio idoneam ingreſſus, & Mereta thalamo etiam matura, Stocholmiæ anno MCCXCVIII. conjugium inſigni feſtivate conſummarunt, in qua Dux Ericus non paucis facinoribus heroicis palam editis, tam indigenis, quam alienigenis unâ decertantibus, palmam gloriæ præripuit, omnium calculo ſpectatorum, quibus deinceps etiam ſingulari fuit venerationi, atque à rege fratre cingulo eapropter equeſtri meritò donatus. Sponſa verò, quanquam loco dotis ſolummodo liberationem Magni Algoti, dudum propter ſcelus commiſſum captivati, poſcerit, quam ob clementiam ſingulare promeruit apud univerſos encomium, tamen & hanc non difficulter impetravit, & tantum dotis, quantum Ericus Daniæ Rex Ingeburgi deputaſſet, acceptavit, nempe præpinguem Fiedrundia in Uplandia ditionem, urbemque Enecopenſium amœniſſimam, ſicut etiam regium in Trogdia prædium Huſbycenſe. Quam, ut vocant, propter nuptias donationem, Birgerus anno MCCC. avitam confirmavit ſuis literis, quas Ericus Upſalenſis libro III. ſua producit hiftoriæ.

Itaque regiis magnificentiâ quâ par erat nuptiis abſolutis, per veris amœnitatem circa Pentecoſtes ſollennitatem Torchillus Marſchalcus, ſuorum à Ruſſis profuſum vindicaturus ſanguinem, lectiſſimis copiis claſſeque inſtructiſſima hoſticum acceſſit, ubi imprimis loco admodum opportuno, ad reprimendas Ruſſorum irruptiones, caſtrum naturâ & arte munitiſſimum ſuſcitavit. Quippe à rapidiſſimis utrinque fluminibus alluitur, quæ difficiliſimum inimico præbent agmini acceſſum, ideoque non immerito illud Terræ Coronam appellarunt, quod deinde temporis progreſſu noſtri Noteburgum, & Moſchi Pechenſaram nuncuparunt. Atqui fama per Moſchoviam de tantæ munitionis conſtructione publicata, Dux XXX. ſtipatus millibus armatorum inſperatè advolat, terreſtri & navali milite noſtros inde proſtigaturus. Sed Sueonibus utrobique ſummâ tuentibus partum fundum alacritate, hoſtis ingenti ſuorum clade accepta, cum dedecore fugam arripuit. Atque in hoc enituit maximè conflictu industria Marſchalei, Matthiæ Ketelmundi, Petri Poſe junioris, Henrici & Johannis de Kirnen fratrum, quibus victoriam, ſecundum Deum, cuncti referebant acceptam.

Imò Matthias generoſæ indolis adoleſcens, non contentus hoc de hoſtibus reportato triumpho, inaudiens copias hoſtium equeſtres adhuc in propinquo morari nemore, occaſionem pugnæ captantes inſidioſæ, pro gentis ſubdolæ conſuetudine, ſequenti luce ipſas intrepide accedens ſolus, unico comitatus interprete, fortiſſimum illorum ad monomachiam fruſtra toto die provocavit, undè nullo in arenam descendere audente, & nocte ingruente, Matthias gemina clarus victoriâ verſus Lanſcronam remeavit, & hoſtis eadem, beneficio tenebrarum uſus, clam fuga de ſtatione dilabatur, ſubverendo ne pluribus luce craſtina ejuſdem ſtrenuitatis heroibus accedentibus, majori ignomiâ vel clade maſtaretur. Quamobrem nuſquam hoſte amplius comparente, & conſummato firmatoque CCC. caſtro præſidiariis, quorum vir nobiliſſimus Steno Eques torquatus, erat anteſignanus, cum reliquis Torchillus copiis claſſi impoſitis, reverſioni ſe accinxit. Sed cum diutius in Nyni fluminis oſtio tempeſtate detinerentur adverſa, Matthias Ketelmundi cum ſua cohorte à Marſchalco deſcenſione impetrata, ho-

1300.

sticum ferro & flamma quaquaversum devastavit, & tertio insignis trophæo ad classem maturavit accessum, moxque vento adspirante secundo, paucis diebus portum attingunt Stocholmensem, idque prope diem Michaëlis Archangeli, anno MCCC. postquam biennio hac morati expeditione.

Ipsa autem festo Mereta sui post puerperium ex more purificandi gratia, templum ingreditur, Magno filio, mense Augusti, totius regni gaudio in spem successionis progenito. Itaque duplici Birgerus lætitia cumulatus, quæ propter hæredem regni susceptum, quæ etiam propter imperii prolatum & confirmatum limitem, sibi fortunatissimus videbatur. Neque parvum huic communi adjecit cumulum lætitiæ, quod eodem, teste Erico Upsalensi, anno, Rex Sueciæ in gratiam cum rege Anglorum redierit, sed causam non suggerit dissensionis, ego tamen consuetæ cum Anglis in Suecia negotiationis conturbationem, suspicor discordiæ præbuisse occasionem.

1301.

Verum tantam lætitiæ materiem nostratium sequenti anno in castro Lanscronensi clades miserrima prorsus confudit. Etenim victualibus ob ædificii novitatem corruptis, præsidarii vescentes, plerique morbo inde hisposarchæ contracto, moriuntur, adeo ut viginti duntaxat autumnis ineunte superessent. Proinde hostis tantam Sueonum cognoscens in præsidio nimium sibi formidando infrequentiam, ingenti suorum manu contracta, castrum cinxit gravissima obsidione; prius tamen Ste-no cum suo erumpens manipulo, Russum ostia Nyni defixis in fundo palis obstruere conantem, gravi affecit damno, & accepit, perque media Moschorum agmina densissima incolumis ad arcem pervasit, IV. suorum desideratis. Ubi post aliquot dierum oppugnationem acerrimam, se hosti dedens, trucidatur, unaque nobilissimi viri, Torchillus Amundi & Carolus Hack, reliquis, arce capta & incensa, in cellarium profugientibus, & inde tam diu cum hoste dimicantibus, donec de ipsorum expugnatione absque suorum discrimine summo desperans, vitæ & membrorum incolumitatem sanctè polliceretur. Quocirca deditos simulque manubias inde abducit amplissimas, solo prius castrum adæquans, & cum triumpho domum accelerans, anno MCCC. exeunte.

1302.

Quamquam verò Birgerus hoc tristissimo plurimum percussus nuncio, MCCCII. in Sueciam perlato, nihilominus tamen ratus se frustra diutius tristari propter id, quod nequaquam posset mutari, hac Sudercopiæ in Ostrogothia ætate, is atque consors Mereta regni capeffunt insignia, quando fratrem decoravit Valdemarum baltheo equestri; qui Christinam Torchilli filiam ibidem duxerat conjugem. Sed Dux Ericus illic humanissimis regis Norvegiæ Haquini literis Aslogiam ad Decembria invitatus, secum Amberno dapifero, Mathia Ketelmundi, & Petro Porle, præter alios regni nobiles splendide instructos, acceptis, illuc properavit. Ipsi autem Norvegiam ingresso, Jacobus comes Hallandiæ se adjunxit, & Aslogiæ appropinquanti Rex stipatus regni proceribus & nobilitate propemodum universa procedens obviam, ingenti magnificentia excepit, nec minori Euphemiæ regina ipsum, ad fores Regiæ occurrens amplexatur benevolentia. Commoratus illic ad IX. usque natalis Dominici diem, interim Haquini filiam Ingeburgem, sextum ætatis annum nec dum egressam, tradita desponsationis arrha, sibi conjugii fide obligavit, & tandem

1303.

MCCCIII. ineunte anno, multiplicibus benevolentia argumentis inde expeditus in patriam cum júbilo acceleravit.

Neque multo post tempore, operâ præcul dubio Erici Ducis interveniente, Birgerus & Haquinus Reges sub Tyreholm congregati, re-
staurant

staurant pactum Solbergenſe, & multis augent conditionibus, teſe ad mutuum obligantes auxilium ingruente neceſſitate, prout Huitfeldius in Chronico Erici VII. fuſius recenſet. Qui Dominica, quã canit Eccleſia Lætare Jeruſalem, affirmat præſatum foedus initum, præſentibus & teſtantibus Erico ac Valdemaro Ducibus, Torchillo Marſchalco, Benedicto Oſtrogothiæ Legifero, Torberno Katilli, Alberto Stigoti & Gudmaro Magni, quem ſocerum D. Birgittæ reor extitiſſe, parentem Ulphonis, aſt Jona fratre Torchilli, non Magno arbitror procreatum. Hinc vero Stocholmiam noſtri ad ſecundas Marſchalci nuptias, cum filia comitis de Ravensborg, feſto D. Johanni Baptiſtæ ſollenni celebrandas, invitati accedunt, cui dotis nomine Torchillus, prædium Gumenſe eximium, & alios XI. in circuitu fundos ampliffimos, legavit.

Hoc etiam tempore locoque Magnus, Birgeri filius triennis, à patris & ordinibus parenti in throno ſucceſſor designatur univerſis, literarum firmiſſimo ſuper hoc tradito vigore, unde Birgerus divinam ratum providentiam ſuæ reſponſuram voluntati, ſimul quædam condit ſtatuta, filio & uxori ſuam poſt mortem in regno gubernando, obſervanda, longe diverſum, præ dolor, exitum fortuna largiente.

Denique nuptiarum finita ſollennitate, Torchillus gubernatoris & tutoris officio, quo XIII. functus eſſet annis, reſignare deſiderans, atque obſecrans, non exauditur, ſed à Rege in munere confirmatus priſtino, authoritateque, novis ornatur prærogativis.

Atqui Duces ipſum plus regiis, quam ſuis favere commodis certò comperientes, illo renunciato, rerum ſuarum committunt moderationem & proviſionem Amberno regni Dapifero. Idcirco dum Torchillus ſtrenuè Regi, & Ambernus operam non minorem Ducibus locupletandis navarunt, prælargam inter fratres diſcordiæ ſementem ſparſerunt, quam non tantum poſtea lachrymis, ſed etiam uberrimo plerique collegerunt ſanguine.

Æſtimatur autem à pleriſque noſtratium Torchillus, pernicioſa rei augendæ ſuo Principi ſuſſeſſiſſe adminicula, & potiſſimum, quod Eccleſiam tributis onerandam ſuaſerit, & reſuſtantes Cleri Antiftites conſuluerit captivandos, licet machinatione præſulibus detecta, ad loca evaſerint tutiora, ipſique conſilium ceſſerit deinceps in perniciem conſultori.

Quin imò Birgerus, non ſolum Eccleſiaſticos, verum etiam cæteros regni ordines graviffimis preſſit exactiõibus, inexplebili conſortis ſuæ Rex fatiſfacturus ſuperbiæ luxuique, & Torchillus, inde fortaiſſis non modicam decerpens portionem, nobiliori ſuo majorem præbiturus factum connubio, quæ tyrannis odium utrique conſlavit inexplebile, & priora Torchilli in patriam merita omninò conculcavit, velut etiam utrumque de gradu dignitatis proturbavit.

Maligna denique Reginæ ambitio & perſuaſio, Birgeri præbuit maximam infortunio occaſionem, quæ inſontes vocat leviros apud maritum in ſuſpicionem affectati clam diadematis, quos propter ſingularem morum honeſtatem, actionumque urbanitatem, & operum quorumlibet præ Rege dexteritatem, favoremque in vulgo peculiarem, plusquam Vatiniano illos perſequebatur odio, quemadmodum Sophia Valdemari Regis conſors, Ericum & Valdemarum horum patruos prius immerentes inſectabatur, neque monita Sophiæ infortunio, cautior inde potuit evadere.

Quare non immeritò plerique historicorum Suecicorum, his duabus ex Dania ſœminis, quicquid calamitatis Suecia ævo ſuſtinuit ſequenti po-

1304. ti, potissimum imputarunt. Enimvero Birgerus ab uxore tam prava de fratribus opinione imbutus, Torchillo fortassis etiam faces addente, consilio utriusque decrevit vincendos, nisi suae responderent voluntati, data quantocius nova fidelitatis obligatione. Ut autem negotium compendio agerent, ex composito Marschalcus anno MCCCIV. vere appetente, Regem & Duces ad castrum fortissimum Vestrogothiae *Aranas* invitatos lautissimo excepit convivio, illoque peracto, fratribus ad partem vocatis apperit, ut sibi manifestatum est, quod clam abitum de regno in suum suorumque molirentur detrimentum, ideoque culpam parato literarum tenori mox subscribendo derivarent, vel inde non evaderent. Itaque rigido nimis Birgeri compulsi mandato, sequentibus subscribunt literis, in historia quoque Erici productis hoc vigore:

*Universis presentes literas inspecturis, Ericus Sueorum & Valdemarus Finlandiae, Dei gratia Duces, salutem in Domino sempiternam. Tenore presentium constare volumus evidenter, nos magnifico Principi ac Domino, D. Birgero, Dei providentia Sueorum Gothorumque Regi semper illustri, fratri nostro charissimo ex mera & libera voluntate firmiter promississe, fide praestita corporali, quod nos extra regnum suum nusquam movebimus, nec aliquatenus transfereamus sine ipsius Domini nostri Regis requisitione speciali, & licentia pariter petita & obtenta. Promittimus etiam quod in praesentiam ipsius Domini nostri Regis nullatenus veniemus, nisi per ipsius literas aut mandatum certum ad determinatum nobis diem & in locum fuerimus vocati: Ac cum taliter vocati fuerimus, ad ejus praesentiam veniemus cum tot personis & equitaturis, quot ipse Dominus noster Rex per suas literas vel mandatum certum nobis duxerit limitandos. Caeterum promittimus ac fide stabili spondemus, quod per nos aut nostros vel alios quoscunque, literis vel nunciis, extra regnum vel intra, nunquam talium quicquam movebimus sive faciemus, nec moveri, nec fieri procurabimus, nostris consiliis vel factis, palam vel occulte, de quo, vel quibus ipsi Domino Regi, aut uxori sua charissima Domina Mereta Reginae illustri, aut liberis eorum, sive etiam eis fideliter adherentibus, damnum aliquod aut nocumentum possit provenire. In cujus rei testimonium, robur & evidentiam, secreta nostra, quia penes nos alia sigilla non habemus, praesentibus duximus apponenda. Datum apud *Aranas* anno MCCCIV. pridie Calendas Maji.*

Haec prima discordiae scintilla, primo in publicum erupit, mox inextinguibile dedit incendium, Mereta identidem sufflante, quae maritum totius regni Dominum, & amplissimos Sueciae, Gothiaeque redditus, a se & suis duntaxat voluit percipiendos.

Nam licet inde Rex, amplius fraternas non metuens insidias, se ad Regiam in Visigensi apud Ostrogothos insula secure conferret & moraretur, velut Duces quoque in praedio Vestrogothorm *Ractaby* omni prorsus liberi metu paufarent. Tamen Regina caeterique Ducum osiores, adhuc illorum infortunia sitientes, quibusdam conlutis querelarum punctis, Regem alias inconstantis animi, actutum permoverunt, ut

fratres

fratres illuc gravaminibus coram responsuris, sub fide publica citaret. Proinde mandato Regis accepto, Dux Ericus paucis sociatus ipsum intrepide, velut nullius sibi conscius facinoris, accedit, Valdemaro cum Amberno & Matthia loco tuto actionis eventum præstolante, ut fratri violentiam passo tempestivè subveniret.

Ericus autem Regem, quo par fuerat obsequio salutans, ab efferrato ipsius animo nullum obtinuit responsum, subito cuidam Episcopo-
rum querelarum articulos proponere mandantis. Atqui præfule illud suo inconueniens esse officio prætexente, alius magnatum præsentium vicem subivit Antistitis, Duces incufans exportati de regno commeatus, regio diplomate vetitos; Violenti per regnum transitus manu armata in Regis & subditorum nocumentum; Percussi excubatoris regii à quodam procerum Ducalium, ipsi portas Regiæ pandere nolentis; Et tandem, quod nimio aulicos suos instruerent fastu elegantiaque, qui publicis ordinum congressibus, militari conarentur industria, & præferim Matthias Ketelmundi, regios minus expertes ludibrio exponere, & plebi objicere subsannandos, eamque cum non mediocri Regis quoque ignominia conjunctam arrogantiam. Interim Dux silens auscultat, & tacente adversario objecta diluere volens, à Rege amentia & furore percito jubetur quantocius secedere, ac de securitate sciscitanti, affirmat solis occasu terminandam.

Igitur Duces salutem in præsubita versari fuga considerantes, cum suis sine mora regno excedunt, & Rex consueta proscriptionis usus solennitate, exilio & bonorum dispendio mulctandos promulgavit, arcesque & ditiones sensim occupavit. Interea temporis Duces apud Ericum Daniæ Regem sororium questi violentiam à fratre illatam, modicum consolationis obtinuerunt, sorore Mereta causam extorrium odiosam fratri per literas & nuntios identidem reddente. Nihilominus tamen à Dano quadam lactati spe, illa persistunt ibi æstate, præstolando tempus celebrandi Suecum & Danum inter colloqui in *Fagredahl*/campo limitaneo, litis componendæ gratia. Sed tandem ingruente conventu & vigente, in propinquo constituti resciant de sua illic pernicie Reges capita conferre, atque protinus majoris ergò securitatis subsidiique Regem accedunt Norvegiæ, suum ipsi exponendo infortunium, & opem implorando. Qui misertus infantium, & præsertim Erixi filiam ducturi, Birgero se reconciliaturos, aut injuriam armis vindicaturum pollicetur, simulque Ducibus feudi nomine urbem *Rungella* / castrumque *Nycklaborg* in limite regnorum munitissimum, & duobus *Ludofia* Vestrogothorum distans milliariibus, assignavit, cum regionibus in circuitu. Imo deinceps flagrantem Erico, focusque auxilio futuræ adjuto, Haquinus Varbergum medianque pretio multo comparatam à Jacobo Comite Hallandiam, deputavit. Potissimum tamen ære Ducis, ut arbitror, solutam, cum ipsam postmodum Norvego poscenti resignare noluerit, & Danus Erico, uxori-
que liquerit possidendam, quemadmodum operis evincet procurfus.

Duces vero his munitionibus ad populandas Sueciæ ditiones opportunis potiti, velut etiam milite Norvego adjuti, statuunt Gothiam invadere vicinam, hujusque non ignarus Rex Birgerus, ad prohibendas hostium irruptiones in loco fundavit propinquo, illoque propter sublimitatem naturâ munitissimo, arcem *Gulbergensem*. Verum Birgero huic operi intento, non solum Vestrogothiam Duces quaquaversum devastant, *Ludofia* flammis absumptâ, & *Benedicto* Vestrogothiæ Legifero, atque *Gunnone Griis*, Equestribus viris, captivis abductis, aliisque propè in-
numeris

1305. numeris plebejæ conditionis hominibus, sed etiam vicinam invadunt Daliam, & in subacta castrum ædificant provincia, Daleborg nuncupatum. Illud Birgerus inaudiens, ad inhibendas ex ipso & Norvegia in Daliam & conterminas Sueciæ regiones, Ducum pristinas eruptiones, octonos procerum suorum cum non pauca militum cohorte illuc, quoslibet præclusuros additus, ablegavit. Sed ponte submoto, dum cis fluvium quietius quam tutius limitaneum pernoctant, Matthias jussu Ducum cum delecta suorum manu prærapidum non sine vitæ summo discrimine tranavit fluvium, & regiis profligatis, spoliisque & captivis, quos inter fuere Magnates præfati, ad Duces onustus remeavit, anno MCCC.V. illucescente.

Quo Birgerus nuncio vehementer commotus, cum X. millibus armatorum cinxerat obsidione Daleborg, & Duces suis laturo suppetias obsessis, copiisque à Norvego impetratis, animosè appropinquant. Atqui conflictu imminente, consiliariorum utrinque interventu, arma deponuntur, & Duces gratiæ, provinciis & bonis restituuntur hæreditariis, idque ad fundum Kolafeter/die S. Sigfrido regni tum patrono sollenni, anno MCCC.V. sancitum fœdus, immensam pacis amantibus attulit lætitiã. Sequestri vero fuerunt primarii, Isarnus Sregnenfis & Nicolaus Arosiensis, Episcopi, Torchillus Canuti, Gudmarus Magni, Tordo Katilli, Petrus Ragvaldi, Birgerus Petri, Canutus Joannis, Magnus Gregorii, Holgerus Ulphonis, & Matthias Ketelmundi.

Verum enimvero Huitfeldius in vita Erici Menvedi, Duces memorat gratiam regiam nactos fatendo & deprecando crimen rebellionis; multam arbitrio Regis permittendo; fidelitatem denuo fratri, uxori & liberis pro se & Matthia jurando, & securitatem regiis sectatoribus, præcipue Torchillo Canuti addicendo, datis sponsoribus Daniæ & Norvegiæ Regibus, & Gerharo Comite Holfatiæ, qui Birgero suis literis ante diem Baptistæ impetrandis, essent sponsuri quod nulla Erico & Valdemaro laturo subsidia, si pacis non starent conditioni. Sicut etiam præsulibus Sueciæ facta potestate maledictionis in ipsos ferendi sententiam à pactis decedentes. Huicque una Carolum de Bircherö & Halvardum Baat, Norvegi consiliarios subscripsisse obligationi, & deinceps die Innocentium aliis se Birgero Ericum obstrinxisse literis, affirmat idem Danorum Historicus, quibus Regi & liberis, nulla de castro Nycopenfi restituto promiserit se illaturum detrimenta, neque jus hæreditatis sibi aliquod in hanc vendicaturum munitionem. Sed quandoquidem nostrates altissimum prorsus de his servent silentium, non ausim in re tanta Huitfeldii amplecti assertionem, præsertim cum me non lateat, Danos plerumque turbarum culpam in Duces derivare consuetos, prudentiæ lectoris litem committens ponderandam, & me convertens ad historiæ porrò telam continuandam.

Remansit postmodum Dux Ericus in Norvegia usque Aprilem, quando Haquinus in gratiam ipsius à comite Jacobo Hallandiam emit borealem, ut superius attigimus, & ipsam Erico, cum Varbergo & Hunehals arcibus firmissimis tradidit possidendam, ut largius in Historia Erici VII. Haraldus inculcavit. Inde arbitror Duces in Daniam profectos, fortè promissas Birgero securitatis literas impetraturi, cum Danorum chronicon asserat, ipsos unã cum Christophero Estonum Duce atque Gerharo Holfatorum Comite, Helsingburgi isto currente anno, & Danorum Rege poscente, in ficarios Erici VI. sententiam violatæ majestatis regiæ illam pronunciasse. Reversi autem in Sueciam, Regem af-
fiduo

fiduò in perniciem sollicitant Marschalci, donec tandem Birgerus fratrum votis satisfactorius, & simultatis culpam prioris declinaturus, in Lena Vestrogothiæ præsentibus Ducibus ipsum captivatum Stocholmiam quantocius destinaret, non parum sollicitus, ne cognati vel agnati, plurima in regno potentia valentes, illum satellitibus eriperent, noctu diuque versus Uplandiam properantibus.

Atqui num Duces tantopere Torchilli studuerint infortunio, ut ipso tandem sublato, cujus Rex potissimum consilio pro suarum rerum fruebarur incremento, commodius de illo vindictam sui exilii caperent, thronoque turbarent; Aut certè Torchillum rati malorum omnium inuentorem, & eo superstite, nullam firmioris cum fratre spem concordiæ affulgere comperientes, ipsius maturarint interitum, Deo cordium scrutatori manifestum. Si tamen humano responderanda scrutinio, priori suffragandum opinioni, cum Regem non multo post tempore, nihil periculi suspicantem in vincula conjecerint.

Sed de hoc postmodum, nunc de Torchilli porrò captione, quem Dux Valdemarus euestigio Stocholmiam secutus, triduo post ipsius eò adventum, prope festiuitatem D. Nicolai, libellum uxori Christinæ & Marschalci filiæ tradidit repudii, cognationem prætendens spiritualement, quod à patre susceptus esset de fonte sacro, ast vindictam soceri intendens, & novum cum filia Erici R. quondam Norvegiæ meditans connubium. Siquidem non ignorans vinculum huiusmodi spirituale, anno MCCCII. cum dispensatione Archipræfulis Upsalensis matrimonium contraxerat, quodque tum licitum temporis, quomodo jam illicitum esset? nisi quod jacenti adversario etiam proculcatio obrudatur. Quanquam vix mihi possim persuadere, Torchillum suo adversatum fuisse genero, sed potius Ducibus, omnem calamitatis in sinu Reginæ investigandam fortassis causam.

Verum perplexa linquamus, atque ad Torchilli properemus in planicie suburbii meridionalis supplicium, ubi anno MCCCVI. die Scholasticæ virginis, gladio percussus humatur, & tentorio tumulus illustratur, in quo ara suscitata piaculare celebraretur quotidie sacrum, donec interea Ecclesiæ multo propter libertatum violationem auro numerato, & Rege precibus amicorum placato, circa Pentecostes sollennitatem, in consistorio Minorum obtineret sepulturam, ubi prior thori consors Birgitta requiem esset nacta, & fortassis etiam posterior, nisi rerum compulsa forsitan adversitate, patriam repetiverit, illicque morti succumbens requiescat. Sepulchri tamen cippus Epigraphe notatus in choro summo Ecclesiæ insulanæ conspicitur, ex consistorio illuc tempore cœnobii deturbati translatus, & pluribus hæc injuria sepulchris illata, non solum ibidem, sed etiam aliis quibuslibet toto regno Ecclesiis, ut certitudo veterum amplius vix aliqua depræhendatur tumulorum, quam in Tumbis nostris exaggeravimus meritò querelam.

Torchillus verò per Folchonem Joannis nuncio mortis accepto, assiduis pœnitentiæ suspiriis sacraque exomologesi peccata diluit, ac extremæ faciens codicillos voluntatis, in ipsis se non immunem prorsus à criminibus quibusdam adversus Regem perpetratis confitetur. Et hunc tantæ viri autoritatis sortitus est exitum, suo posteros admonet infortunio, quam lubrica sit Regum gratia, quantisque sint obnoxia periculis aulæ servitia! utpote in qua ne Dominus quidem securus moretur, testisque nobis ipsemet Birgerus locuples.

Namque Duces Ericus & Valdemarus metu Torchilli liberati,

& ad squalores exilii vindicandos, regnumque fratri machinationis in ipsos suspecto eripiendum animati, circiter D. Virginis natæ festivitatem, in prædio apud Ostrogothos Bielbogenfi, procerum quorundam celebrando nuptias, Regem in Hatuna Uplandiæ harum conscium morantem, conspirationis fraternæ reddiderunt securum; Attamen interea clanculum suas in Sueciam expediunt cohortes, tacito vestigio subsequentes, Regemque festo D. Michaëlis cum uxore, liberis, Nicolao Archiepiscopo, & quibusdam regni proceribus vesperi intentum lusui, captivum abducentes Stocholmiam. Proinde Rex metu & nonnullorum seductus suafu, Erico mox regnum assignavit, cui pandunt cives urbis portas, & non arcis à regio præfecto, id Domino superstite non se facturum asseverante.

Dux ea propter castri obsidionem Matthiæ Ketelmundi demandans, captivos Nycopiæ honesto & liberali tradidit custodiæ, qua Rex olim Valdemarus vixit mancipatus, superno vindice Magni in fratrem rebellionem filiorum discordia & vinculis ibidem mulctante. Sed interim quidam regionum servitorum nomine Arvidus Smalandus, Magnum natu majorem Birgeri filium, de mediis sublatum turbis, & in Daniam per invia & occultos fylvarum calles deportatum, gremio imposuit avunculi, tragædiam recensens universam, & opem captis implorans, non sine lachrymarum profluvio. Quocirca Danus infortunio Birgeri & sororis provocatus, mox grandi Sueciam invadit exercitu sororium liberaturus, quem tamen inter & nostros sub prædio Bogesundensi, octiduo hostem ad pugnam intrepidè præstolantes, nullo tentato certamine, annuæ panguntur induciæ, simulque varia liberandi Regis à Dano proponuntur media, interim æquo ponderanda momento, & tunc usurpanda.

1307.

Hijs itaque durantibus inducijs, primam navant Duces operam regni munitionibus in suam redigendi potestatem, alteram, militi cummulando, ne sint viribus & viris Dano inferiores, impendunt. Hinc Valdemarus, anno MCCCXVII. æstate ineunte, sub votivæ peregrinationis prætextu in Germaniam profectus, DCCC. in Sueciam adduxit armatos, & Ericus consummato in Norvegia connubio, indubias sibi pollicens contra Danum à socero suppetias, Haquinum circa festum D. Olai de nuptiis in Krachoë compellavit, repotiorum Kungellæ jam apparatus magnificè impensis. Verum Norvego Vardbergensis urgente resignationem castri præmittendam, fortè per Danum in generum Magnum Birgeri filium jam inclinato, Dux Ericus præcisè abnuit, & Kungellam reversus, convecta hilariter cum suis absumpsit esculenta & poculenta, Sueciamque repetivit.

Deinde termino appropinquante induciarum, Duces milite indigena & alienigena succincti numerofo, Daniam versus properant, damna patriæ per hostem illata compensaturi, Regemque ad mitiores pacis conditiones impulsuri, quem in procinctu ad occurrendum inveniunt, multo passim convecto, quà transiturus, com meatu, & fratre cum vexillo equitum præmissis. Sed nostri ipso & commilitonibus captis, omnia per ferias Natalis Dominici comportata genialiter absumperunt victualia, Scaniaque passim igne & ferro vastata, revertuntur, conditiones regni utriusque limitaneas ita victu pabuloque exhaurientes, ut adveniens hostis propter horum maximam penuriam inchoata cogeretur supersedere profectio.

Quod verò regii fratris attinet captivationem, non Christophorum

rum fuisse arbitror, cum ipsum nostri annales Erico Duci amicum fateantur, & jure hujus amicitiae ab Hallandia Duces militem hac expeditione revocasse populanda, aut potius Valdemarum, Erici Regis alterum germanum, qui postmodum in aula Marchionis fato succubuit, existimandum; Præsertim cum & hac fretus amicitia deinceps Christopherus, tyrannidem fratris declinando, in Sueoniam socio Archiepiscopo Lundensi, prout alibi suggeremus, ad Duces pro subsidio fugerit impetrando.

Quamobrem Duces de Scanensium populatione reversi, & de hostium certiores facti reditu, Suetico domum remisso milite, peregrinum per urbes Ostrogothiæ in hybernis dispergunt. Atqui ab ipso incolæ sæpius spoliati, facto tumultu aliquot rapinis per ditionem intentos trucidarunt, indeque miles exasperatus movit in congregatam rusticorum turbam, ipsam inhumanissime cædens, & Ostrogothiam hoste affligens longè deterius, Duce connivente nec pœnam de homicidiis sumente. Quod tamen ex officio Christiani principis tenebatur fecisse, ideoque propter hanc Ostrogothiæ, & aliam superiori anno Vestrogothiæ non minorem, prioribusque ut etiam sequentibus annis, immensas à Ducibus illatas clades, non mirum, quod justitia Divina tam atrocem de ipsis tandem susceperit vindictam, ut pariter de ipsomet Birgero & conjuge Mereta, liberisque, qui parte ex adversa Sueonum multiplicabant calamitates, sola dominandi utrinque instigati libidine.

Verum de his plus satis, & priusquam ad historiam veniamus, lector paulisper præmonendus de quorundam annalium insigni errore, afferentium MCCCVII. sub Liungby pacem nostros cum Dano amplexos esse, & Birgeri decretam liberationem. Etenim inducias MCCCVI. prope Bogesundium in Decembri utrinque pactas, neutra deprehenditur pars transgressa, donec ipsis & anno expirantibus, Duces Scaniam invaserint in principio anni MCCCVIII. victrices in Sueciam reducentes copias, nullo quidem tum insequente adversario, sed veris initio, ut mox narrabimus, appropinquante. Præcipuus autem hujus errati patronus est Huitfeldius, qui ternam Erici Danorum Regis pro liberatione & restitutione sororii, confundit expeditionem, interea Orchnelingsensem quandam memorans transactionem, de qua in nostris ne verbum historiis.

Illo proinde misso, ad textum historiæ festinanti, occurrit præfata Danorum expeditio in Vestrogothiam prope hyemis exitum. Quippe intermissam hujus anni primordio, propter victualium inopiam in Sueones profectionem, nunc Danus denuo comitatibus instructus, repetit, cladem à Ducibus illatam vindicaturus, & Birgero auxiliaturus.

Verum sub Liungby Vestrogothiæ non imparatos à viris & animo ad prælium obvios cernens nostrates, lubens postridie festivitatis D. D. Philippi & Jacobi, ea conditione inducias amplexus est, inde usque festum natæ Virginis Deiparæ continuandas, ut interim Birgerus, uxorque & liberi solverentur, & anno MCCCIX. sub Marcherud XXVII. Augusti partes congregatæ, quaslibet amicè vel jure transigerent controversias. Qui tamen ob Birgeri fugam, dilatus Helsingburgum ad XV. Julii diem, anni MCCCX. est conventus, & Danus MCCCVIII. induciis impetratis, remeans, contra pacis condiciones Vestrogothiæ non modicam intulit vastitatem, & hac super fraude à Ducibus merito compellatus, culpam in Christopherum fratrem derivabat, nulla damnorum compensatione procurata. Duces vero sibi ducentes religioni vel

ad latum unguem discedere à pactis, mox Orebrogiæ ordinum habito conventu, Regis decernunt liberationem, indeque Nycopiam properantes cum articulis ab ipso subscribendis, ipsum & conjugem, sobolemque libertati restitunt & dignitati, accepta cautione firmissima; atque vicissim ipsi præstita.

Atqui Birgerus mox juramenti per sacratissimum Salvatoris cruorem depositi, obligationisque immemor, eadem profugit ætate in Gotlandiam, & inde Daniam quantocius cum suis ingressus & benignè susceptus est. Interea Norvegus suis non indormiendum rebus, vigente Danos & Sueones inter discordia, ratus, Kungellam D. Ericum per literas vocat ad colloquium, illaspe vel potius fraude subnixus, ut ipsum arcem ingressum obsideret, unaque in potestatem redigeret, vel cogeret ipsam & Varbergum resignare. Dux autem nuncio accepto, fraudis tantæ ignarus, subito maturat accessum, virginis tandem potiundæ invitatus fiducia. Ast primo sub Kungella congressu secus multò Haquinum cognoscens animatum, velut quoque clam per amicos de insigni Regis dolo edoctus, hoste insalutato quam celerrimè gressum in patriam revocavit. Atque cum munitio Kungellensis validissimo instructa præsidio, & multiplici prævisa comætu, nullam prorsus illius amittendæ fovit sollicitudinem, etiamsi Norvegum arctissima mox ipsam vallasse obsidione cognovisset. Neque sua frustratus Dux spe, siquidem Rex quinque hebdomadam nihil prorsus efficiens oppugnatione, cum dedecore abcessit, & consilio Comitum Jacobi in perniciem Kungellæ loco cæpit propinquo moliri castrum Bohufense.

Immo ut Ericum sua ditioe facilius exturbaret, jugem cum Dano pacem fœdusque adversus hostem communem decrevit feriendam, in Daniam ablegato Helgone Aslogensi & Erico Valdemari Regis filio, ubi Hafniæ festo decollati Baptistæ, coram Erico & Birgero Regibus, pax Danos & Norvegos inter perpetua sancitur, illa præ reliquis conditione, quod Norvegus filiam Ingeburgem, Magno Birgeri filio uxorem permissurus, ipsamque decedens sine mascula prole, throni facturus hæredem, & dotem sex millia librarum argenti puri, aut si relicto filio, cederet diadema, octo millia numeraturus, & totidem sponsæ Magnus assignaturus esset. Atqui Danus & Norvegus conjunctis armis Birgerum regno Sueciæ restituent, ut ipsi fati sublato filius subrogaretur, & prius nullam cum Ducibus pacis vel prolixiorum induciarum admitterent mentionem. Sed quandoquidem cognatio quarti intercederet gradus, connubio, non obtenta Pontificis Romani licentia, poneret obstaculum, ipsam Birgerus interim ex urbe maturaret, & anno MCCCIX. ad III. Idus Junii, Reges in sinu Sielandiæ Ifefiordino congregati, porro confirmarent, Ecclesiæ submittentes fulmini transgressorem.

Dux Ericus machinationis non inscius, tantam Norvegi instantiam, & Kungellæ nuperam oppugnationem, statuit plectenda. Itaque sub primum hyemis adventum, multa Norvegiam potentia ingressus, ipsam usque Aslogiam populatur, & urbe, vicinaque sibi regione subditis, castrum è diametro oppositum Acherhusense circumdat milite. Norvegus autem hostem de regni visceribus pulsurus, circa Domini natalem tria hominum millia Erico profligando objecit, quibus nostri inferiores numero non animo, audacter congressi, illa cadunt, fugant & captivant.

Deinde quo minus partam continuaret victoriam, obstitit subito contracta vehemens ægritudo, quæ Ducem ad receptui canendum & cum

cum suis regrediendum coëgit, anno MCCCIX. illuc. Proinde Norvegi cognito Suecorum abitu, cladem suorum non impunè hosti sentiunt ferendam, binis per ordinem cohortibus Daliæ Sueciæ provinciam pervadentes: prima quidem cum triumpho & ingentibus rediit ornata manubiis, nullo ibidem occurrente adversario, præter imbellem multitudinem; ast turmam ita excepit alteram in reditu præses castri Daleborgensis, quam duxerat Holgerus Baat, ut vix decimus quisque Norvegiæ restitutus. Quocirca Haquinus ad tantum hostem domandum, auxilio Dani opus esse statuens, post conclusum matrimonii pactum, certius impetrando, illud inprimis censuit maturandum, missis Marstrandium commissariis, & plerisque consiliariorum, ubi XVI. Maji firmo literarum vigore illud confirmarunt.

Denique tempore colloqui hæc de re cum Erico & Birgero habendi appetente, Haquinus instructissima Daniam versus navigat classe, illamque in sinu Kalvesundio tempestate adversa detentam, Dux Ericus invadens, septem spoliat navibus & plurimis classiariis, illaque dispersa victor revertitur. Atqui Rex Norvegiæ cum parte navium prius Hafniam delatus, illic XVIII. Julii pactum anni superioris præsens confirmavit, in scia uxore Euphemia, ut quidam perhibent, in Ducem Sueonum semper propendente. Itaque quadriduo post deputantur Petrus Antistes Viburgensis, Johannes præpositus Othoniensis, & Ingwardus Jort, legati in Norvegiam pro desponsanda Magno virgine, & Haquino adjunguntur redeunti. Qui Aslogiam appellens, illuc conjugii & filia accitis persuadet connubium, & mox, qua par fuerat solennitate sponsalia celebravit, præsentem inter alios & attestante Erico Valdemari Regis filio, & tunc regio mystagogo. Interea bellum in Norvegos Ericus continuaturus, nonnullam classis Sueticæ partem hostium litora prædarum, ductoribus viris nobilissimis, Magno Christinides, Magno Algothi & Eren-gislone Jonæ, destinavit. Sed Norici conspecta nostratium infrequentia, certatim ex latebris ad litora convolant, & de superiori scopulorum crepidine, Sueones lignis & saxis devolutis non solum obruunt, verum etiam tandem sibi deditos, contra honestatis, æquitatis & militiæ consuetudinem in frustra conscindunt. Neque tamen moriuntur inulti, cum non parvam ediderint prius stragem, orcoque destinarint.

His ad Ducis Erici aures perlatis, & mærore & pudore afficitur, nec non furore succensus, Norvegiæ denuo se accinxit vastationi, & cum magnam illius portionem hostiliter peragrasset, nusquam ullo mortalium comparente, XX. suorum misit exploratum, ubinam locorum indigenæ delitescerent; qui de jugo rupis eminente, Sueonum paucitatem contemplati, ipsos aggrediuntur, & tribus peremptis, quos inter nobilissimus vir Joarus Blå Eques, pristinas repetunt latebras, neque strique cum aliquot horis frustra illorum præstolati congressum, neque sequentibus comparerent diebus, retro pedem ferunt ovantem.

Tunc etiam temporis Danus promissio de Birgeri Regis satisfaturus restitutione, sexaginta millia armatorum, de pluribus conflata nationibus in Sueciam adduxit, mense Septembri. Cui Duces longè paucioribus stipati copiis ad limitem occurrentes, animadvertunt non fortitudinis, sed maximæ temeritatis, suos tantæ multitudini objicere manipulos, & sensim antecedendo, victualia hominibus & jumentis necessaria hosti præripiunt universa subsequenti; Velut quoque turmas pabulatum emissas invadendo, infrequentiores multo remittunt. Dein de sub Ecclesiam Vernemo Duces venientes, partem destinant copia-

rum ad præsidium, Scarensi & Ludosiensi munitioni, & ipsi cum reliquis trans nemus properant Holvegense. Danus & Birgerus huic appropinquantes, Jenecopiæ arcem opere tumultuario instauratam, & commeatu, præsidioque instructam, binis equestris ordinis militibus apprimè strenuis tradunt defendendam, & insidias de inferioribus regni ditionibus avertendas. Post nemus ingressos, decreverunt Duces ad sylvarum fauces cum suis præstolantes invadere, sed primo accinctu cespitans Matthiæ Ketelmundi equus, & hastile vexilli prætorii confringens, deterruit ipsos congressu, inde omen infortunii captantes. Ideoque ex sententia communi, Valdemarus ad defensionem Stockholmiæ, totiusque Uplandiæ, & Dux Ericus ad oras regni Gothici propugnaturus, Calmarniam, proficiscuntur, & Reges sub Nycopiam tendunt, quam exeunte Septembri firma ligarunt obsidione.

Dux vero Ericus Calmarniam adveniens, opportunè militem ex Germania binis advectum navibus bellacissimum deprehendit, cujus adventu plurimum confortatus, Jenecopensem statuit expugnare, soloque æquare munitionem. Quare civibus Calmarnensibus & Varbergensibus una comitatus, illuc festinat, & arcem vi expugnatam, cæsis capitaneis duobus, cæteroque milite, diripit, flammisque consumpsit, atque reversus sub Axevaldio utrumque vel alterutrum Regum decrevit pugna excipere redeuntem.

Hæc dum in Suetia Gothiaque aguntur, Norvegus tantam suæ ditionis recuperandæ non omissurus oportunitatem, fœderique Danico responsurus, Kungellam oppugnat, quam præfectus Tordo Noricus, prædiorum, quæ possederat in Norvegia, formidans dispendium, nulla compulsus necessitate, mox dedit.

Verum enimverò secus præsides castrum Nycopensis se gesserunt, utpote XIII. septimanarum infractis sustinentes animis oppugnationem, & crebriora inferentes hosti, quam accipientes detrimenta; adeò ut Danus tandem omni capiundæ arcis projecta fiducia, & simul annonæ penuria, sævissima grassantium in suos morborum lue, Jenecopiæ destructione, adversariorum de Germania roboratione, & præsertim suorum præcerum continuo reditu efflagitantium rebellionem provocatus, solvit obsidionem mense Decembri, exercitu cæde, fame, peste & fuga non mediocriter imminuto.

Comminiscuntur quidam nostratium, à Danorum chronographis seducti, principes copiarum Danicarum à Ducibus grandi munere corruptos, importunius flagitasse reversionem, quasi visâ quotidie tantæ suorum calamitate, justam alias non habuissent causam Regibus suadendi convasationem, & hyemis asperitate jam imminente! Imò Danus per subornatos potius movit Ducem in reditu ad pacis colloquium, quam ille receptam ab hoste mercatus. Quorum proinde obtemperans suasioni, acceptis obsidibus, Danum accessit remeantem, qui operam suam Duci pollicitus, in transigenda utrinque controversia, atque ut Birgerus bonis hæreditariis & regni portione potitus, pacem & concordiam sub pacto nuper inito amplecteretur. Neque Dux istis relictus, sed induciis obtentis, & tempore litis componendæ intellecto, amicus recessit.

1310. Deinde perfidiam Norvegi denuò admissam plexurus, & Kungellam recuperaturus, Valdemaro de Uplandia cum suis accito cohortibus, castrum ingenti obsedit potentia & militum frequentia, anno MCCCX. ineunte. Atque diebus aliquot in oppugnatione consumptis, in

inaudens non modicas Noricorum phalanges in subsidium appropinquare obfessis, quendam Bernardum, militari experientia, & literarum scientia insignem, Norvegia extorrem, cum aliquot peditum equitumque vexillis destinat in occursum; qui hosti congressus, ipsum in præcipitem avertit fugam, & ovans castra repetit Ducalia. Itaque præses arcensis fuga cohortis auxiliariæ cognita, & nullas expectans amplius suppetias, neque obsidentium impressionem diutius valens sustinere, pactus vitæ & bonorum immunitatem, castrum Duci resignat, quod idem prius Norvego prodidit, & tamen à Duce nihil gravius in proditorem statutum. Is Haquinum prope conveniens, de castri deditioe, atque Duce cum frequenti armatorum legione, reddit certiore, suadens cum ipsis paciscendum, quod aliàs Vichiam in solitudinem redacturi. Interim quoque Dux Ericus per literas à Norvego sciscitatur an sibi pacificum Kungellæ dominium velit impostero permittere? Haquinus tali percussus nuncio, Tordoni quidem respondet, se non alienum à pacis negotio cum Sueonibus fovendo, aut difficilem concordie cum Erico transactionem, quousque peregrinorum obtemperaret consilio, bellum sui gratia lucrì jugiter persuadentium. Attamen necessitati opitulaturus, vicissim per literas postulat Ducis colloquium, & obtinet, idque principio Quadragesimæ, atque induciis sancitis ab invicem digrediuntur, moxque arcis defensione cuidam Germanorum tradita, Duces militem in Sueciam reduxerunt.

Quamobrem Dux Ericus tandem apud animum suum ferio considerans, quanto cum patriæ detrimento exoticum usurparet militem, & de pace cum vicinis propediem ferienda principibus confidens, peregrinas ad festum Paschæ Ludosiam vocatas cohortes, magnifico exceptio convivio, & harum quoslibet salario & præmio, quosdam insuper equestri cingulo donatos, in Germaniam cum singulari nominis sui remisit præconio. Deinde Helsingburgum, transactionis die appropinquante, fratre socio, aliisque regni proceribus comitatus, proficiscitur, ubi Birgerum & Duces inter, Erico Danorum Rege, Christophero fratre, Gerharo Holfatiæ atque Henrico Megapolie Comitibus arbitris, concordia inter fratres restituta, præsentis literarum vigore confirmatur:

Ericus & Valdemarus Dei gratia Duces Sueorum, omnibus presentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, quod anno MCCCX, XIII. Calendas Augusti apud Helsingborg, inter magnificum Principem Dominum Birgerum Regem Suecia fratrem nostrum & nos, super discordiis actis, motis & habitis, taliter placitatum existit. Inprimis quod ipse habere debeat cum omni jure & dominio sine diminutione qualibet, terras infra scriptas, scilicet Helsingiam, Fiedrundiam, tres provincias in Vesmannia, quas prius habuit, totam diocesis Stregnensem & castrum Nycopense; terram Ostgothia & castrum in Stegeborg, terram Vidbo, insulam Visingzö, Brennevist & Tueta, terram Rydingia, terram Finlandia, terram Verendia & terram Gotlandia cum Visby, & castrum Viborg, ita quod nobis expensas plenarie refundat, si quas pro usibus ipsius castri nos fecisse constare poterit. Item omnia sua bona patrimonialia & acquisita, nec non & partem in monte cupri, quæ ipsum hæreditario jure

contin-

contingit, his qua sequuntur exceptis curiis, videlicet Suinxöe, insula Moerckoen, insulis concessis Henrico Burgrabio de Stromberg, curiis Huarf & Sponga, & molendinis, qua a nobis idem titulo permutationis habuit, in quarum recompensationem restituit ipse curiam Echeby. Item bonis Domina Hadua & suis heredibus dimissis per nostras patentes literas, & bonis pertinentibus ad D. Torchillum quondam Marschalcum, curiis Foldenas, colonis in Fetrum, colonis in duabus curiis in Suenom. Item medietatem reddituum provenientium de villa Visby & terra Gotlandia ad tempus placitationis. Aliis vero terris, castris & redditibus regni Suecia nostris usibus remanentibus, ita quod ratione terrarum, castrorum & reddituum, eidem fratri nostro, homagio nos pari, manu & conamine, & in solidum nos adstringimus. Et si alterum nostrum mori contingat, tunc terra, castra & redditus predicti, ad superstitem integraliter revolvantur. Item placitatum est, quod idem frater noster in terris suo dominio dimissis, nulla castra de novo construat, nec nos in terris nostris versa vice. Quanquam omnes regni Suecia incola in cujuscunque dominio fuerint, gaudebunt suis libertatibus & juribus, quibus gaudebant ab antiquo, eo salvo, quod ex causa rationabili subsidium peti posset & suscipi de subditorum beneplacito & assensu. Præterea in terris nostris Dominus Rex frater noster, nihil præcipere, vel mandare seu judicare debet, nisi de suis hominibus, & his qua superius nominatim sunt expressa; nec debet castrum, sive munitiones, vel terras aliquibus in perpetuum vel ad tempus vendere, impignorare, extra manum suam ponere, vel alienare quoquo modo; qua omnia ipsi fratri nostro facere & servare volumus. Item omnes Milites & Armigeri utriusque nostrum libertates & jura habeant, quibus usi fuerant ab antiquo. Item omnia remissa. Item omnes diligendi. Captivi omnes dimissi libere. Est etiam placitatum, quod magnifici Principes ac Domini, Ericus Dacia & Birgerus Suecia Reges, Christophorus Dux, Gerhardus comes Holsatia, Henricus Magnipolensis, & nos mutuo jurabimus contra quemcunque hominem nunc viventem, consiliis & auxiliis opportunis. Castrum vero Nycopia inchoatum debet penitus demoliri. Datum & actum die & loco præmissis.

Atque his, ut arbitror, simul cum Ducibus subscripserunt Gerhardus & Henricus comites, & primarii Ducum in Suecia sectatores. Sed Regis Birgeri tenore paræ obligationi, una cum ipso nomen & sigilla apposuerunt, Ericus rex Daniae, Christopherus Dux, Nicolaus Upsalensis, Brynolphus Scarenfis & Magnus Vexionensis Antistites, & pariter LX. Sueonum nobilissimi, & tamen, pro pudor, Birgerus pactum scelerate nimium transgressus est.

Ibidem etiam die Veneris ante festum D. Magdalene firma inter Norvegum & Duces pace restaurata, Haquinum præfato inscribunt confederatorum albo, cujus filia Magno Birgeri filio cessura, & Dux Ericus Sophiam, Nicolao de Verle Domino Vandalorum, & sorore Regis
Erici

Erici genitam vicissim ducturus esset, licentiâ ex urbe propter cognationem petita, & dote mille Uplandensium marcarum promissa, ac duabus millibus librarum argenti puri, si præmortuo Erico patriam repeteret, pro fundorum anaphernalium resignatione addictis. Comes verò Gerhardus literis & manu pollicitus stipulata, virginem D. Erico die Martini Falchenbergæ præsentandam, & Danus sponsæ avunculus, hujus ergò conjugii Hallandiam Duci & hæredibus in feudum assignavit borealem.

Denique Helsingburgi die memorato, dedit Ericus Daniæ rex Birgero X. millia librarum argenti mutuò, solutionem XVIII. regni Suevici magnatibus, sequenti triennio transactò, spondentibus numerandam. Quibus in Dania peractis, Duces in Sueciam reversi, celebrant Arbogiæ Ordinum congregationem, illicque pridie D. Laurentii, à IV. regni præsulibus & XXIV. equitibus & armigeris, promissio dotis Sophiæ literis confirmata, quam tamen Ericus non duxerat, ut postmodum constabit, sed Ericus Valdemari Juthiæ australis filius. Neque solum illud de statutis Helsingburgensibus sine defraudatum sperato, verum pleraque alia, & Norvegus pacem cum Suecorum Ducibus se inconsulto sancitam, nullo habuit loco, novam deinceps auspicando. Birgerus tamen his fretus pactis, tempore D. Michaëlis in Sueciam reversus, attributa regni parte vixit aliquandiu contentus, & Comes Gerhardus iisdem subnixus, Sophiam Falchenbergam die condicito perduxit. Quo etiam currente anno, Ambernus regni Dapifer, & nepos, ut quidam sentiunt, Regis Erici & Rechiffæ ex filia Mereta, Nicolai de Tofta conjugæ, Stócholmiæ vitam terminavit.

Illuxit tandem annus salutis humanæ MCCCXI. qui novâ pacis consilia Haquino & Ducibus Suecorum adportavit, qui affinitatem sibi Danicam, fœdusque modicum allatura commodi secum reputantes, ad XVII. Martii amicè congressi sunt, & his reconciliati conditionibus: Norvegus filiam Erico intra triennium sine dote locabit, qua cum Norvegiæ diadema, focero, nullo filio superstite, mortuo, capesset; Valdemaro autem Haquinus Ingeburgem fratris Erici filiam, quondam etiam Norvegiæ regis, & cum ipsa dotem tria librarum argenti defæcati millia, daturus esset. Duces vicissim Regi pollicentur, Varbergensis, Hunehalsensis & Kungellensis resignationem arcium, ad XIV. Maji in loco Baleroer, & captivorum utrinque liberationem, sicut etiam se apud Danum effecturos, ut Haquinus pacto filiæ Magno desponsatæ, liberetur, & contra adversarios pro virili defensuros. Immo quoties Regi necessitas se defendendi incumberet, terra, marique laturòs subsidia, virginibusque honesta nihilominus anapherna impertiendo. Præterea Haquino poscenti Duces gratificaturi, Erico Valdemari regis filio & suo patrueli, qui pro tempore officio in aula Regis fungeretur Ecclesiastico, pro sua in regnum Sueciæ jurisdictione, Marchiam Vestrogothiæ provinciam addicerent, nuptiis peractis aliam adjecturi.

Unde liquet Ericum non Valdemaro & Jutha genitum, ut Huitfeldius suo hic Scholio insinuavit, ast legitima matre Sophia, alias Norvegus nullo jure à generis tantam ipsi ditionem impetrasset. Demiror tamen quod tantis fatus parentibus Magister apud Haquinum facellorum existere dignaretur, velut etiam, quod passim in chronicis Danorum ducali fraudetur nomenclatura, licet & hac legitimos Regum filios non ignorem carere solitos olim, donèc sollenni pompa conferretur. Sed de his copiosius alibi, nunc ad præfatam redeamus amnistiam, Dano clam fortassis contractam, ne Erico Duci non tam virgine-

nem, quam thronum Norvegiæ ambiendi poneret obstacula consueta.

1312. Proinde Dux juxta pactum, arcibus die condito restitutus, sub prætextu impetrandæ à Papa facultatis Sophiam ducendi, ad ipsum in Gallia residentem profectus, & ab ipso pro dignitate acceptus est, non impetrata vel potius non postulata recessit licentia. Neque solum à Pontifice Dux splendide tractatus, verum à reliquis quorum transibat ditioes principibus, ipsius magnificentiam, frequentiam & liberalitatem suspicientibus. Tandem reversus, religione non ambitione asseverat se fratremque à matrimonio cum Sophia contrahendo deterreri, & die Martis ante festum Tiburtii mensè Aprili, anno MCCCXII. Seburgæ Danorum in reditu fortè constitutus, ut Regem placaret, multum defert obsequiorum.

Festo autem Virginis in cælos assumptæ, Lubecensibus in cœnobio Varnhemensi, à quibus in exteris, dubio procul, compellatus oris hac super re, liberam concedit facultatem per Nynum fluvium ultro citroque Nogardiam commeandi, in testimonium adhibitis, Carolo Lincopensi, Storberno Stregnensi Episcopis, fratre Henrico de Stromberg, ordinis domus Theutonice, Birgero Petri, quem ob prolem sanctimoniam insignem, vocat patrem sanctum, Gudmaro Legifero, Philippo Olai & Gotschalco de Kirnen, Equitibus, & fratris Valdemari præsentis consensu suffragioque impetratis. Has urgent Lubecenses contra Regem Ericum literas, certis de causis huic obsistentem jure navigationi, in libello MDLXIV. publicato, non perpendentes quoties postea Sueciam impugnando hujus privilegii fecerint naufragium.

1313. Denique instabat sollennitas nuptiarum, festo Archangeli Aslogiæ celebranda, quò sponsi fastu condecenti proficiscuntur, & matrimonium splendide consummatis, illic conjuges in sequentem linquunt annum, & redeunt. Sunt quidam scriptores, qui anno MCCCXIII. nuptias, & MCCCXIV. assignarunt repotia, sed temporum & rerum ignari, atque hac cum istis confundentes, turpiter sunt hallucinati. Danus & Nicolaus Verlenis ipsius affinis vasallusque, nec minus Birgerus & Magnus, his cognitis plurima sunt indignatione commoti. Quamobrem circa D. Thomæ Apostoli festum, eadem partes inter litigantes res agitata, & tandem arbitris submitienda, Danus Christopherum fratrem, Esgerum Lundensem Archiepiscopum, Adolphum de Schouenborg, & Henricum de Meckelborg, comites designavit. Dux vero Ericus in Valdemarum fratrem, Carolum antistitem Lincopensem, Birgerum Petri & Gudmarum Legiferum compromisit, qui plenissima instructi potestate agendi & intermittendi, convenient Falchenbergæ ad diem Michaelis anno MCCCXIII. Sin autem consentire nequiverint, eodem post annum die illuc convolabunt, Rege atque Duce præsentibus, litemque omnino decident, interim pace hos & ipsorum amicos inter vigente. Atqui hæc mutata deinceps transactio, neque tantum prorogata, siquidem anno MCCCXIII. triduo post Dominicam sanctissimæ Trinitatis, denuo Helsingburgum confluentes, pacem inprimis Sueciam, Daniam & Norvegiam inter faciunt perpetuam.

Deinde gratiam Ericus à parente & avunculo non ductæ virginis recuperaturus, huic quatuor & illi duo marcarum Colonensium millia se numeraturum pollicetur. Velut quoque juramento centum virorum nobilium se & fratrem purgaturus, quod divinæ legis formidine, non libidine adversariis ignominiam adferendi, matrimonio Sophiæ superfederint. Insuper, teste Huitfeldio, trimestre contra hostes Nicolao promissere subsidium, & Dano, quoties adversum inimicos communes postulare,

laret, XVII. adhibitis sponforibus, & literis Koldingæ die Veneris festum Magdalenæ præcedente, obfignatis.

Demum Magno hac ratione sponsa viduato, de alia provifurus Henricus comes Megapolensis cognatus, ipsi tum temporis Helsingoræ, filiam Viceslai Rugiæ Ducis, Euphemiam, & dotem tria Colonienfium millia marcarum spondebat: cui viciffim Magnus DC. marcarum annuos deputaturus effet reditus, quos, ipfo fine liberis mortuo, hæredes redimere cupientes, Euphemie fuperviventi fena librarum argenti millia forent perfoluturi. Ac quandoquidem cognationis hos etiam intercederet vinculum, Roma Birgerus contrahendi facultate obtenta, dirimeret, & Vordingsburgi Dominica Trinitatis, anno MCCCXIV. Ericum & Christopherum, principemque Rugiæ conveniret, una negotium conclusurus, Sic homo proponit & Deus multo fecus disponit, Regum etiam pacta, confiliaque sæpenumero fine deftituens optato.

Verum Duces Sueonum inde regrefsi, Ludofie conjuges de Norvegia appellentes magnifice exceperunt, & peractis repotiis principio Augufti Valdemarus cum fua Calmarniam, & Ericus ad curiam Agnetorp, illuc fefta transigens nati Salvatoris, uxoribus concefferunt. Proinde Duces jam uxores nacti, ex indivifo commode non valentes vivere diutius, anno MCCCXIV. fuam de regno portionem partiti, Erico Veftr Gothiam, Daliam, Vermelandiam, Hallandiam & Smalandiam obtinente; aft Valdemaro Stocholmiam, Uplandiam, Finlandiam & Oelandiam retinente. Qui facta divifione peregrinationi Jerofolymam atque Romam fe accinxit, uxore domi, ut exiftimo, relicta.

Interim Rex Birgerus folito majora à Gotlandis pofcens tributa, & non impetrans, hac æfate armis decrevit compellendos; fed incolis viciffim ad arma ruentibus, ipfumque cum fuis inde profligantibus, cum dedecore abceffit, confueto impoferum inde tributo vivens contentus, nempe CC. ex urbe & infula argenti libris annuatim perceptis. Post reditum vero conventu fuorum habito Sudercopiæ, novas fidelitatis literas à fuis acceptavit confiliariis, quæ funt hujusmodi:

Omibus præfentes literas in fpecturis, Canutus Jonfon Dapifer, Haquinus Lemma Marfchalcus, Torerus Ketelfon, Tycho Joenfon, Petrus Liquidfon, Haquinus Haraldfon, Johannes Brunco, Stephanus Doring, Carolus Oeftenfon, Milites, Torftanus Gudvafafon, armiger, Confiliarii magnifici principis Domini Birgeri regis Suecia, salutem in Domino fempiternam. Cupientes eximiis & immenfis beneficiis ac gratis per illuftriffimum principem Dominum noftrum, D. Birgerum Dei gratia, regem Sueorum memoratum, nobis liberaliter impenfis, debita noftri fervitii viciffitudine refpondere, conftare volumus evidentè per præfentes, quod in præfentia ejusdem Domini regis Sudercopiæ conftituti, fponfione in perpetuum valitura & irrevocabili unanimiter promiffimus, & nos fingulos datis manibus firmiter obligavimus ad obfequium fidele, præfato Domino noftro, fua dilecta conforti & chara proli jugiter impendendum, ab ipfius confortis & dilectæ prolis fervitio in neceffitatibus & cafibus quibuslibet emergentibus, nullatenus difceffuros. Si infuper eundem Dominum Regem humanis rebus excedere, & nos fuperviventes fore contigerit, præfata fua conforti

Et proli, tanquam ipsi obsequi volentes, ut tenemur, fidelem assistentiam probabimus, Et castra Et terra hereditario jure eisdem debita, sibi cedant, Et pro dictorum castrorum ac terrarum defensione, secundum nostrarum virium possibilitatem, Et nos ipsos exponere, si oportet, semper prompti esse volumus Et parati. In cuius promissionis Et obligationis firmitatem, sigilla nostra presentibus sunt appensa. Actum Sudercopia, anno quo supra, ipso die beatorum martyrum Dionysii Et sociorum ejus.

Unde liquet Birgerum rebus suis adhuc metuisse propter fratrum potentiam & nimiam subinde insolentiam, qui armata plerumque manu regnum oberrantes, incolas gravissimo premebant onere crebraque exactione. Ericus quoque jam spe thronum tenebat Norvegiæ, atque focero vivis sublato, ut certius ipso potiretur, Koldingæ Danorum die Veneris ante festum Magdalenæ, opem sororii implorabat, illo casu ferendam, arbitrio Valdemari fratris, Henrici de Mechelborg comitis, Nicolai Olai Equitis, & Bernhardi Moltzan pronunciandam committens, quod vicissim in compensationem auxilii hujusmodi Dano repositurus esset, oblatis X. ordinis equestribus sponsoribus, quod injunctum promptè factururus esset, erantque sequentes: Matthias Ketelmundi, Gunno Griis, Arvidus Gustavi, Laurentius Olai, Henricus Moltzan, Bernhardus Moltzan, Johannes de Kou, Conradus de Kou, Echardus Kyrne, & Johannes Kyrne.

Verum quod Huitfeldius subjungat, Valdemarum Dani quoque subsidio regnum Sueciæ adipisci conatum, & iisdem vadibus obsequio Regis Danici obligatum, illud nequaquam vero simile. Siquidem nullis hactenus pepercerit sumptibus, in liberando, restituendo & firmando Birgero sororis marito, hæredibusque in possessione sceptri Sueciani, & quomodo nunc iisdem consentiret deturbandis. Nisi fortassis, ea Valdemarus conditione, suppetias obtinendi patrii diadematis, si fratrem sine hæredibus de vita contingeret migrare, ab Erico sororio postularit, quo etiam pacto Dux Ericus ipsas efflagitavit. Hinc tamen colligere licet, utrumque regiæ cupidissimum dignitatis, qua occæcati cupiditate, tandem ad miserabile ruebant præcipitium exitiumque.

Ideoque prudentiores Ducum sectatores illud non lippiente prospicientes obrutu, Regis quoque Danici captarunt tutelam, & die Veneris ante Divorum omnium sollennitatem, isti obtinere Ducis Erici proceres: Matthias Ketelmundi, Gunno Griis, Arvidus Gustavi, Laurentius Olai, Henricus & Bernhardus Moltzan, Johannes de Bucholt, Conradus de Bugen, Echardus & Johannes de Kirnen, Birgerus Petri, Canutus Liquidii, Matthæus Tunonis, Carolus Elai, & Nicolaus Vemundi, Equites torquati. Sub eandem quoque Ducis Valdemari servitores primarios admisit Danus protectionem, ipso peregrè constituto, tali literarum vigore: *Homines nobilis viri Domini Valdemari, Ducis Suecia, sub nostra pace Et protectione suscipimus specialiter defendendos, volentes ipsos contra quoscunque, qui eis indebite injuriari voluerint, juvare.*

Præfatum vero Ducum infortunium, & illud sanguinis eluvium civilis, quod triennio post secutum est, non obscure copia sanguinis cœlitus passim in regno Sueciæ, & præsertim sub Ringstholm hoc anno lapsa, insinuavit. Velut quoque horrenda isto & sequenti tonitrua, fulgetra, fames & pestis idipsum præsagiebant, Sueonibus pœnitentiam tacite inculcando.

culcando. Quando etiam Visby, nobile emporium maris baltici, flammis cœlo fortè immisis conflagravit.

Anno MCCCXV. inter Sveciæ, Daniæ & Norvegiæ Reges, atque Uladislauum Ducem Poloniae, & ipsius filios, Cujaviæ, Masoviæ, Osuantiinæ, Bythoniæ, & Ratiboriæ principes, Uladislaique nepotes, Russiæ Dominos, fœdus pangitur de mutuò urgente necessitate ferendo auxilio in quoscunque hostes, & præcipuè Marchiones Brandenburgenses, & Cracoviæ à Uladislao nomine filiorum & nepotum V. Calendas Julii, literis roboratur, quas Huitfeldius in historia Erici VII. hoc producit anno. Quo etiam tempore Valdemarus peregrè reversus, vocatur à Dano in auxilium contra Ericum Jutiæ australis Ducem, rebellioni studentem. Itaque multa is, fraterque Ericus militum frequentia succincti, Fioniam ingrediuntur, sed adversarius tantam formidans potentiam, armis depositis, causam arbitris permisit decidendam. Ac quidem à Danorum Rege, Dux Ericus & Otto comes de Hoya, centumque nobiles nominati sequestres, Nyburgi pridie festi D. Luciæ dicati, litem cum antagonistis perbelle composuerunt.

Inde autem Dux MCCCXVI. rediit in Sveciam, quo in-eunte, Ingeburgis filium ipsi Magnum enixa est, ad sceptrum Suecorum, Gothorumque postea sublimatum. Atqui Euphemiam superioribus reor annis genitam, thoro Alberti Ducis Megapolensis deinceps sociatam, & Alberti Suecorum regis genitricem. Æstate proxima dissensio Danum & Sundenses inter gliscibat, quæ in apertum belli erupit incendium, cujus extinguendi gratia Sundiam Danus obsedit, auxiliariis præsertim usus copiis, quas inter fuerunt Birgeri regis Suetici potissimæ, oppugnationem spatio semestri continuantes, tandemque principio Novembris, conatu deluso Sveciam repetentes.

Ante verò hanc in Pomeraniam expeditionem, memorant quidam annales, quod Birgerus rebelles domuerit Smalandos, qui onerum pertæsi, quendam sibi Buggonem in Regem adoptarint, ipso cum sectatoribus trucidato. Verum Johannes Gothus Finlandis, nimio Sueonum jugo pressis, hanc tribuit rebellionem, Regisque novi designationem; cui potius suffragor, in hoc duntaxat ab ipso dissentiens, velut & à reliquis, quod auspicio Birgeri sentiat tumultus suppressos, & non potius Valdemari Finlandiæ Domini, aut Erici Smalandiæ gubernatoris; Quandoquidem suæ tenacissimus jurisdictionis, non credibile illum fratri tantam permisisse auctoritatem, & in suos potestatem subditos. Qui forsan civili hoc anno in patria demorati tumultu, Erico regi Danorum contra Sundenses subsidium ferre nequiverunt, quando etiam Valdemarus ex Uplandia domicilium transtulit in Oelandiam, castrum posthac inhabitaturus Borcholmense.

Denique memoratum est, quo pacto Dux Ericus ante biennium, Dani ambiebat opem in capeffendis Norvegiæ fascibus, socero defuncto, & hætenus plenam non obtineret decisionem. Proinde filio donatus, negotii diutius non prorogandam ratus consummationem, hoc anno iisdem arbitris sponfionem auxilii ea conditione obtinet, quod ille vel filius Norici diadematis opè Danica potentes facti, vicissim totis viribus ex illo aliisque regionibus, Dano auxilium requirenti contra quemcunque inimicorum promptè deferrent. Sin vero Ericus sine hæredibus decedens, ad Valdemarum, aut ipsius liberos, Erici Norvegiæ Regis ex filia nepotes, sceptrum transmitteret, hoc Danus casu, tantam his foret laturus assistentiam & benevolentiam, Valdemaro in fratrem & Kieldum Lincopensis Ecclesiæ præsulem, Rege autem in Henricum Megapolensem

fem & Nicolaum Olai, Equitem, compromittentibus, ad quod Valdemarus & liberi tanto affecti beneficio, Regi tenerentur obsequium præstare. Ita hominum phantasia, quantum exorbitat à secreta numinis via! Danus etiam perinde ac vitæ fortunæque in manu sua habuisset potestatem, & reliquis longius esset victurus mortalibus, parique semper rerum gravifurus esset prosperitate, auxilia montesque aureos temerè pollicetur. Quippe res alium sortita eventum, cum Duces MCCCXVIII. fato extincti sint lamentabili, quod prærapida Motalensium & Norcopensium flumina, hoc excurrente anno, à pristino suspensa fluxu portenderant, & Ericus Rex Daniæ MCCCXIX. vitæ & sceptro valedixit; Et tamen soboles Erici Ducis, citra Danorum subsidia, non Norvegiæ tantum, aut Sueciæ quoque regnis potita.

1317.

Sed jam funestum regno Sueciæ annum MCCCXVII. illucentem, cujus mentio sæpius injecta, contemplemur, quo aliquantulum decurrente, pristina Sueonibus quies felicitasque videbatur reditura. Siquidem Rex premens altum corde dolorem, tranquillam Nycopiæ traxerit moram, & Duces consueta satellitum inutili cohorte dimissa, pacificè domi suæ degerant, à Regis congressu abstinentes, & sibi ab inimico reconciliato caventes. Sed fatum aliquandiu declinatur, non evitatur, cum Birgerus interea omnem captaret ansam fratres ad exitium perducendi, propria instigatus malitia, & conjugis stimulatus nequitia, leviros ad mortem poscentis.

Contigit autem anno ad exitum properante, Ducem Valdemarum mense Novembri ex Oelandia Stocholmiam versus suscipere profectio- nem, quem Nycopiæ Rex inusitatis benevolentia affectibus excipiens, orat, ut sociatus fratre in reditu, ad quoddam illuc convivium non gravaretur divertere, ac persuasit, blando conjugis accedente colloquio. Itaque abeuntem Valdemarum curiam versus Dalsuoe, comperiens animatum ad ferale ferculum, obsecrat ut Erico suadeat una Nycopiam accessum ad IV. idus Decembris, & simul datis ad ipsum literis amicissimis, invitavit. Quibus acceptis, cum fratre Nycopiâ veniente deliberatum accessit, & post multam utrinque dissertationem ab ipso persuasus, die imminente, ad Regem simul festinavit. Obvius autem magnatum quidam, regiæ non ignarus machinationis, fraudem detegit, infortunium prædicit, & hortatur ut alteruter duntaxat Regem pro tempore inviset. Verum à Valdemaro aspere verbis exceptus, facti pœnitens abcessit, & nuncius accessit regius magnificè invitans, & Nycopiam X. Decembris deducens.

Castro vicinos Birgerus & uxor effusi, amplexibus, basiis & centum benevolentia modis susceperunt, & introductos lautissimo in multam tractaverunt noctem symposio, Regina præsertim leviris blandiente, arridente, gratulante, ac jucundissimum vultum præferente. His dein cubitum deductis, quoslibet servitorum hospitis foris in urbe curant excipiendos, Johanne Brunche Dapifero, suam in hoc operam præsertim collocante, portasque sedulo obserante. Rex interim, accito Equite prudentissimo, Canuto Ionæ Dapifero, scelus detegit, quem facinus execrantem & salubriora suadentem rejicit, & duos procerum alios super eodem consulit, ipsosque idem monentes in carcerem detrudit.

Tandem ex consilio uxoris, Johannis Brunche, & Christierni Scherbeck nobilis Estonici, hominis crudelissimi, prætoriam in sopitos ablegat fratres, & Valdemarus januæ expergefactus perfractio, nudus prope modum inermisque sicarios invadit, illorum antesignanum Kolart Isar pro;

profternens, & multitudine obrutus fratris auxilium implorans. Sed Ericus non pugnæ, verum deditiois esse tempus respondens, se tradidit, & Valdemarus, quos manibus vinctos, nudis pedibus, totoque propemodum corpore incedentes, in squalidissimum traducunt carcerem, Birgero vultu efferato ex ipsis sciscitante, num memores lusus Hatunensis, & præsentem non fore suaviorem, & conjugi atque Brunconi ob partam de fratribus victoriam gratulante, manibusque & pedibus plaudente. Nam sublatis æmulis, tranquilla totius regni gubernatione arbitrabatur se gavisurum, qua tamen misero deinceps nec pacata, neque turbata frui licuit.

Ducibus vero in carcerem compactis, quidam Germanus Valran Schytte nominatus, teterrima insuper vincula injicit, pedes nervo inferens, manus ipsi alligans, & collum prægrandi catena muro infixâ onerans, multisque affligens verberibus, adeo ut similis etiam in sceleratissimos mortales vix ullibi terrarum irrogata tyrannis.

Verum his in castro peractis, summo diluculo Brunche & Halstanus Skog eadem cohorte nefaria stipati, Ducum affeclas somno vinoque sepultos invadunt, capiunt, spoliant, vulnerant, cædunt, & trucidatos inter fuit strenuus & generosus eques Arvidus Gustavi, quem se defendere parantem, sagitta trajiciunt præpilata,

Hujus autem fama sceleris mox regnum pervagata universum, incolarum animos in Regem inflammavit, & Ducum conjuges cum liberis se Scarensi occluserunt munitione, quò Ducum fautores actutum convolantes, de ipsis consultant liberandis, consilio & auxilio Regis Norvegiæ postulato & non difficulter impetrato. Interea Birgerus de monarchia sollicitus occupanda, Stocholmiam & Calmarniam sibi de crevit inprimis subjicere, illam præpropere accedens, & deditioem flagitans. Atqui Holmenses in ipsum per borealem erumpentes portam, inde profligarunt, non paucis occisis, quorum numero primarius fuit nobilis vir Joannes Ebbonis. Quamobrem principio anni MCCCXVIII. Nycopiam reversus, & cognoscens actutum imminere obfidionem, carcere feris & repagulis firmato, clavibus in torrentem projectis, & captivis Christierno Scherbech commendatis, cum uxore Stegeburgum in Ostrogothiam profugit, arxque milite circumvallatur. Prius tamen suum Duces condidère testamentum, quod hujusmodi circumfertur:

In nomine Domini, amen. Anno ab incarnatione ejusdem MCCCXVIII. die beate Priscæ virginis. Cum constat quod ex nichilo condita ad suam naturaliter tendunt originem universa, & quod ea solummodo hominem ex hac vita migrantem sequi noscuntur, quæ ab ipso ad opera pietatis fuerint misericorditer erogata. Nos Ericus & Valdemarus Dei gratia Duces Sueorum, sani mente & corpore, licet captivati, testamentum nostrum condimus in hunc modum: In primis damus Ecclesiæ Upsalensi XL. marcas argenti, ad fabricam, & duos baldechinos ad ornatum Ecclesiæ ejusdem, in quo unam canoniâ fundari volumus ad nostrarum remedium animarum. Ecclesiæ Lincopensi XL. marcas argenti ad fabricam, & duos baldechinos ad ornatum, in qua etiam unam canoniâ fundare volumus, ut superius

perius est expressum. &c. Nos executores autem hujus nostri testamenti constituimus & deputamus venerabiles patres Dominos, Carolum Lincopensem, Benedictum Scarensem, & Stybernum Strengensensem Episcopum, una cum viris nobilibus Dominis, Matthia Kiatilmundafon, Byrgero Patarsson, Kanuto Magnuson, Philippo Ingvaldson, & Bœocio Niclison, Militibus; volentes & intime rogantes, ut hanc nostram ultimam voluntatem, prout saluti animarum nostrarum expedire noverint, fideliter exsequantur, sicut de ipsis confidentiam gerimus plenioram. Ad evidentiam præmissorum plenioram, sigilla exsequutorum prædictorum præsentibus sunt appensa. Datum anno & die supradictis.

Post fugam verò Regis, poculento vel esculento nullo percepto, Ericus intra triduum, quod crudelius ille mulctatus, & Valdemarus IX. vel XI. inedia die animas exhalarunt, idque circa festum Epiphaniæ, juxta communem annalium sententiam. Quorum tamen ignota fuerat mors conjugibus, triduo ante Paschatos sollennia, ut liquet ex literis illo die Christophero Duci & Esgero Lundensi Archiepiscopo traditis, & à Huitfeldio secunda operum suorum parte introductis. Illi namque, quibusdam regni Danici proceribus stipati, Regis tyrannidem declinando, huc superiori profugerant anno, refugium & subsidium apud Duces amicè quærentes.

Interim Birgerus animadvertens indies populi magis gliscere tumultum, turmatim ad arma concurrentis, & Ducum molientis liberationem, Matthia Ketelmundi, Carolo & Birgero Petri authoribus, ductoribusque, nec se absque Dani suppetiis esse resistendo, in Daniam Stegeburgo profugit. Illic vero sexcentis à sororio in subsidium equitibus acceptis, Ductore Martino Dufve, Smalandiam & Visinganam ipsi Helsingoræ XXIV. Februarii oppignoravit insulam, secumque inde sumpto filio Magno, quem nunc quidam procerum denuò Regem salutabant, festinavit in Ostrogothiam. Ac quod rata, firmaque oppignoratio futura, spondebant, ex sententia Huitfeldii, tres regni Suetici Præsules, XI. Equites, & XX. nobiles, literasque cum Rege, Johannes Brunche Dapifer, Petrus Andreae Camerarius & Petrus Sibbonis obfignarunt.

Ex quibus insuper colligitur contra nostræ assertionem historiæ, Birgerum per se, non per nuncium illud obtinuisse, atque in Sueoniam adduxisse præsidium, exiguo tamen suo cum emolumento, rerumque incremento. Etenim alienigenas indigenis junctos, Nycopiam in subsidium obsessis properantes, Ducales prope Lincopiam sub Ecclesia Scherkinnensi aggressi, clade illatâ grandi, trans nemus repulerunt Holveganum.

Sed neque tutò iis licuit Birgero regionibus morari, cum protinus Vestrogothi facto concursu ad villam Karleby ipsum invadere decrevissent, & viribus multò potentiores, Regem sine dubio profligassent, nisi ad dolosas refugisset inducias. Namque plebs illarum fiducia interim pro com meatu plurima dilabatur, & Rex congressus residuæ circa XXIV. Martii, induciis durantibus turpissimam reportavit victoriam, & in Ostrogothiam remeavit, ratus omnia impofterum pro voto successura, secus post paululum experientæ. Quoniam per oppida Ostrogo-

Strogothiæ dispersos Canutus Porse invadens, & in primis Sudercopiæ morantes plerosque cecidit, reliquis Norcopiae & Scheningiæ pausatibus, strage sociorum territis, in Daniam accelerantibus fugam, & Rege Stegeburgum maturante reversionem.

Atqui cognoscens arcem propediem ab adversariis obsidendam, filio Magno, aliisque regni procerum illius defensionem commendans, in Gotlandiam cum uxore properavit, unde classem milite & comœtu plenam obsessis protinus auxilio destinavit. Verum in fauces delatam hostis aggressus, expugnat, & in suam redigit potestatem, Rege hoc nuncio magnopere percusso, & desperantem Bruncho consolatus, suam defert ipsi operam ad liberandum obsidione Stegeburgum. Quocirca Birgerus hac exhilaratus promptitudine, multò instructiorem Brunconi classem assignavit, quam nihilominus pari successu hostis appropinquantem occupavit, gregario milite cæso, & primario Stocholmiam missò ad custodiam, nimirum Johanne Brunche, Ulphone Svalebeck, Lydoro Fosse, & Valramo Schytte.

Hac Ducales animati rerum prosperitate, festum circiter Johannis Baptistæ, Scaris habita Ordinum congregatione, Matthiam Ketelmundi designant regni polymarcham, qui mox illud oberrans, brevi tempore ad pristinam revocavit quietem, singula prudentissimè disponens & componens. Quo præfidiarii Nycopenses tempore, arbitrati castrum obsidione liberatum iri, morte Ducum obsidentibus innotescente, ideoque funera in ornatis exponunt feretris, suadendo abcessionem, cum mortui quorum gratia bellum suscepissent, & hortando ad Regis obedientiam. Verum pro filio Ducis Erici ad regni thronum sublimando, se dimicare respondentem corpora Stocholmiam multis lacrymis delata, in Ecclesiâ D. Nicolai splendide tumularunt. Itaque præfidiariis spe sua frustrati, laboribus & fame macerati, Regisque destituti subsidio, arcem proximo Deiparæ festo, quod Visitationis existimo fuisse, dederunt, & se victorum arbitrio permiserunt, qui captam mox solo adæquarunt munitionem. Hinc falluntur, qui cellarium peregrinis illic monstrari solitum, pro Ducum carcere amplexantur.

Deinde robur omne ad expugnandum conferunt Stegeburgum, cujus præfidiarii acrius & diutius propter Ducis Magni præsentiam obstiterunt, & tandem rerum coacti penuria, vitæ & bonorum immunitate impetrata, præter Ducem, cui securitas vitæ solum promissa, inde abcedunt, & Magnus Stocholmiæ traditur custodiendus, arcemque demoliuntur.

Interim pientissima Danorum Regina Ingeburgis, tanto suorum infortunio prostrata, & insuper geniti nuper filioli de curru cadentis mota potissimum interitu, monasticam amplectitur vitam, præscia sui & obitus mariti propediem instantis, malorumque Daniæ impendentium non inscia.

Mox siquidem Matthias gubernator, cladem à Danis perfidè Vestrogothis illatam vindicaturus, secum Christophoro Duce & Esgero Lundensium præfule, aliisque Dania exulantibus acceptis, frequentissimo Scaniam invadit exercitu, Falsterbo subigit, Danos sub Milchlange profligat, totam, præter octo tentoria, Scaniam populatur, & tandem Helsingburgum obsidet. Sed hoste inducias poscente & impetrante, illa conditione, quod proximo D. Martini die, omnis Roschildiæ controversia per legitimos decidenda foret sequestres, manubiis dives & victoria clarus, & CCC. stipatus captivis, nobili plerisque genere natis, in Septembri

Sueciam repetivit. Atque cum Regni ordinibus de Roschildensi consultaturus conventu, Stocholmiæ festo D. Michaëlis comitia celebravit. His autem finitis, Roschildiam Olaus Archiepiscopus, Carolus Lincopensis, Styrbernus Stregnensis & Jsraël Arosiensis Episcopi, Matthias regni Dapifer atque moderator, cum XX. Equitibus auratis & X. nobilibus profecti, sequestribus Valdemaro, Marchione Brandeburgensi, Erico Duce Juthiæ, Henrico Megapolensi, ac Hennechino Holfatiæ, Comitibus, cognatis & affinibus, festo D. Martini concordiaë clausurunt actionem.

Hic etiam Haquinus generum & nepotum causam acturus, suos habuit legatos, cujus auxilio, alias etiam nixi Sueones, contra Birgerum & sectatores prævaluissent. Nam post multam utrinque altercationem, trimas paciscuntur inducias, & interim Birgerus cum assediis regno exularet, solam retinens Gotlandiam, si ordines consentirent, Dux Magnus pristina tenebitur custodia, sine vitæ corporisque nocumento. Quatuor regni Suecici primates, nempe Carolus Lincopensium Antistes, Canutus Magni Legifer Vestrogothiæ, Boëtius Nicolai & Ericus Tordonis, cum totidem numero Danis Helsingburgi, anno MCCCXIX. die Præcursoris Domini, & Baptistæ congregati, potissima controversiæ decident momenta. Etsi autem lite indecisa recederent, tamen inducias exinde per sequens continuandas triennium abrumpere, Suecis, Danis vel Norvegis haudquaquam liceret.

1319. Proinde nostrates Roschildiâ redeuntes, in colloquio senatus Stocholmiæ, anno MCCCXIX. die XXI. Martii, partis suæ censors & arbitros, jurejurando & literis ad fidissimam causæ hujusmodi decisionem obligarunt. Verum licet dicto tempore Helsingburgi utrinque compaerint, tamen adversariis pro consuetudine minus æqua poscentibus, nihil determinatum.

Interim verò Status regni Suetici, Upsaliæ & in prato Morensi ex mandato Gubernatoris festo Baptistæ confluentes, Birgero & liberis diademate privatis, illud Erici filio Magno trienni legitime porrexerunt, Matthia fidelem Ordinibus, donec novus adolesceret Rex, moderationem Reipublicæ & defensionem spondente, servanteque: Velut etiam Ingeburge Regis matre, suo & parentis Haquini nomine consilium & auxilium pollicente, quæ aliquandiu simul clavo regiminis prudenter assidebat. Neque multum inde temporis effluxit, priusquam avo materno in fata concedente, Norvegiæ Magnus quoque scepra capefferet, prout Haquino vivente, juxta D. Olai sancitum fuerat constitutionem, hæredes ex linea foeminea throno non excludentem.

Mors autem Regis Norici in hunc certò incidit annum, non MCCCXXI. ut falso quidam reliquerunt, confundendo Birgeri & Haquini obitum. Qui etiam gesta anni MCCCXVIII. cum rebus sequenti per Sueones patris, incite permiscent, isque communis nostrorum error annalium. Hinc evenit, quod supplicium Brunconis, sociorumque, fuga Birgeri de Gotlandia, nostraque illuc expeditio perperam hæctenus fuerint assignata.

Sed ad historiam, qua liquet MCCCXIX. labente anno, clarissimam Danorum Reginam Ingeburgem vivorum expunctam catalogo, die in cælos assumptæ Virginis gloriosæ, ad cælestia quoque migrasse tabernacula, corpore Ringstadii quiescente: ubi visitur hodie sepulchri epigraphe, non obscurus, quantæ fuerit illa princeps probitatis, testis. Quanquam celeberrima ipsius per Daniam hæctenus memoria, nobis potior sit historia, optandumque foret nobis Sueonibus, Sophiam

am atque Meretam ex Dania genitas, tantum emolumentum & ornamentum huic patriæ reliquisse, quibus, ut etiam Blanca Gallicæ, atque Margaretæ, totam infortunii, ut veteres Pandoræ, referimus expensam colluviem comitantem. Quocirca Ericus tam dilectæ orbatus conjuge, conficitur mœrore, Idibusque Novembris ipsam per fata sequutus, juxta humatur. Atque ut cæteri Danorum optimi principis interitu tristati, sic Christophorus in Suecia extorris fratris obitu lætatus, mox in Daniam remeans, & anno sequenti regni habenas acceptans.

Sueones autem Erico per mortem sublato, nullam decreti Roschildensis spem amplius exequendi restare cernentes, præsertim cum ipso vivente in nupero Helsingburgi colloquio, nihil esset consummatum, publicata & celebrata Stocholmiæ in Novembri cum Ordinibus consultatione, præ aliis decernunt primo vere in Gotlandiam navalem expeditionem, ad profligandum inde Birgerum ibi delitescentem, & captum inediâ quoque conficiendum. Deinde agitur de lytro pro CCC. Scanensium captivis poscendo, qui dubio procul ex condicto nunc comparuerunt, dedecus aliàs pro candore & rigore veterum incurfuri.

Demum Johannes Brunchou cum suis productus complicibus, in quos, velut primarios Ducum tortores & occifores, mortis pronuntiata sententia, & montis jugo urbi vicino in rotas palosque jure aguntur, clivo à Bruncone post cognomen trahente & hætenus retinente. Hunc Olaus Gothus in suo memorat opere, insignem fuisse adulterum, natione Germanum, & tres reliquos ad quambibet in Sueones tyrannidem exercendam oppido instructos.

Atqui causâ Ducis Magni nonnihil quidem his ventilata comitiis, ast non terminata, in sequentem differtur autumnum.

Hinc ordines domum regressi. Gotlandicæ præparant se invasioni, quam Birgerus inaudiens, & capiti suo metuens anno MCCCXX. exeunte bruma, cum uxore, familiaque in Daniam abitum maturavit. Ubi à novo Rege Christophoro Meretæ sorori multis de causis infenso, ægrè admodum susceptus hospitio, tandem castrum Spichaborg cum ditione subjecta, in feudum & tenuem vitæ obtinet sustentationem.

Verum Sueones hujus ignari fugæ, stato tempore in Gotlandiam classe infesta delati, non sine vehementi animorum indignatione Regis absentiam cognoverunt, & potissimum regni administrator Matthias, qui præ reliquis immensa vindictæ de Principum sicariis poscendæ flagrabat cupiditate. Itaque in Sueoniam relatus, insula sub obedientiam revocata, residuum bilis in filium statuit effundere, quem, indicto Stocholmiæ procerum concursu, proprii palam accusatum flagitii, nec lege purgatum, morti curat adjudicandum. Siquidem Principes non minus legibus subjecti, quam subditi, quarum tenore pro facinoribus, præsertim in patriam & rempublicam nefariè admittis, meritò plectuntur.

Jam verò inconfesso est, Magnum acceptis à Dano copiis patriam oppugnasse; plurima hominum infantium millia trucidasse; provincias vastasse; & tandem Stegeburgi se toti opposuisse regno. Neque ipsum parvis excusat mandatum, cui propter immane piaculum, legitimè facibus Suecorum spoliato, nefas erat amplius obedire, in his præcipue quæ parentis tyrannidem roborare, regni calamitatem prorogare, & rei publicæ ruinam accelerare videbantur. Proinde judices sine paterni facinoris æstimatione, æquam tulere mortis sententiam, quanquam illud executioni magnopere adminiculatum. Neque Roschildense prævaricari

decretum, utpote, quod irrito Helsingburgi colloquio, præter trimam induciarum prorogationem, suo penitus robore fuit destitutum.

Sola igitur vitæ promissa securitas in deditioe Stegeburgensi, Magni causæ patrocinator, etsi historicorum plerique hanc inficientur, hoc pacto statum controversiæ ambiguum, & soli Deo exploratum reddentes, ad cujus æquissimum hanc litem deferimus tribunal, & Magnisupplicium accedimus spectatum.

Hic paucis à sententia prolata diebus, pridie Divorum Simonis & Judæ, condito testamento, animæque salutaribus perceptis sacramentis, in insulam productus S. Spiritus, gladio prosternitur lictoris, & humeris quatuor regni procerum impositus, toto præcinente urbis clero, ac magnatu ingenti corona subsequente, in cœnobium defertur Franciscanorum, avitoque mandatur sepulchro.

1321. Quam Birgerus charissimi cædem filii rescians, maroreque contabescens, anno MCCCXXI, pridie Calendas Junias, afflictissimam efflavit animam, & Ringstadii festo translatae ad superos Deiparæ fuit tumulatus, uxore XX. postmodum annis superstite. Majori profecto rerum successu vixissent successores Birgeri in throno Sueonum, si detrimento ipsius cautiores, melioresque evadere laborassent, quantum habeat secum periculi regia dignitas, non tantum Birgeri exemplo, sed etiam patrum, patruelis, fratrum & filii, qui Birgero regnante infelicitervitam clauserunt, luculenter informati.

Hæc vera Birgeri historia, Crantzium manifesti arguit erroris, in sua fatentem Suecia, Duces gladio cæsos, & Magnum diademate redimitorum unâ gubernaculo assedisse. Qui etiam luce clariorem meridiana Birgeri originem, Lectori dubiam obtrudit, obscuramque, afferens se, quo sanguine fuerit cretus, ignorare. Rerum sanè, Crantzi, probe gnarum, non ignarum ad historiam populi conscribendam accedere oportet, ideoque tuæ conscius incitiæ, consultius à gentis nostræ historia texenda calamum revocasses.

Multò tamen gravius in chronico hallucinatur Magni Birgero subrogati, cui Magnum tribuit filium, anno MCCCXXV. utriusque throni hæredem, privignum Canuti Ducis Hallandiæ, ac velut Danici Regis vasallum, aliaque non pauca comminiscitur, quæ operis progressu mole labuntur propria. Quanquam hujusmodi futilia, non ex malitia, sed incitiâ profecta esse, plurima illius libris passim de nostratibus comperissent utilia, veniamque mereatur peregrinus, celebrandæ gentis exoticæ studiosus.

Denique non tacendus Erici in chronico Birgeri excessus, qui fundos à Comitibus Holsatiæ, Ingeburge Valdemari IV. Danorum regis prognatis filia, Birgerum in Suecia comparasse testatur, licet ante natam Valdemaro Ingeburgem, Birgerus morte fuerit sublatus. Quocirca prædiorum memorata comparatio, Magno III. potius adscribenda est, qui famosum Hatuniæ prædium, regiam olim mansionem, à Birgero forte Holsatis oppignoratum, pro CCC. argenti libris redemit. Aut forsitan Birgerus quidem dato pretio, Hatuniam ab Holsatis, à non Valdemari IV. ex filia nepotibus, recuperavit, cum quædam Birgero illud tribuant fragmenta historiarum.

Hactenus speciales quorundam scriptorum recensuimus exorbitationes, generalis autem nostratium hoc tempore lapsus est, quod D. Ericum Magni II. filium templo D. Nicolai Stocholmiæ contendant requiescere, cum operâ conjugis fuerit Upsaliam translatus, anno M-

CCCXXII. funere D. Valdemari remanente, atque in Ecclesia cathedrali, quâ frater primogenitus dudum esset nactus sepulturam, humatus. Enimvero extant in Archivo regni literæ Archipræsulis, quibus Ingeburgi facit potestatem mariti Upsaliam transferendi, & vetustus ibidem liber, calicem ab ipsa Ecclesiâ aureum pondo XV. librarum, eapropter legatum esse contestetur, quem Rex Gustavus inde nostro ævo acceptum, ad nominum regni convertit solutionem.

His extremus accedit Jacobus Gislonis, qui falsò in sua narrat Chronologia, Magnum anno MCCCXXII. Scaniæ comparandæ negotium occæpisse. Quandoquidem illa Holfatis nec dum pignori data, multò minus exposita venum fuerit, & Christophorus hoc anno diademâ capeffens, quandam, teste Crantzio & Huitfeldio, provinciam Vndaliæ ab Henrico Megapolensium comite postulat emendam, aliquas regni ditiones, aliàs satis angusti, paratus distrahendi, quæ tamen cupido ipsum postea incessit. Eapropter annum MCCCXXII. cum MCCCXXXII. Jacobus permiscens, posteris errorem obtrufit & delusit, non alienum à sua faciendo consuetudine.

Verum his missis, restat de hujus anni rebus gestis excursio Georgii Moschorum Ducis in Finlandiam, qui XII. Augusti, frequentissimo suorum exercitu præsidium Carelorum Viburgum arcta clausit obsidione, illam in XXIX. usque diem summa animorum contentione & oppugnatione continuans, interim cum præsidiariis subinde grandi hostium strage prorumpentibus habitis conflictibus, & tandem considerans arcis capiundæ nullam affulgere fiduciam, IX. Septembris ignominia plenus recessit.

Jam lustrum propè transit à cæde Ducum, quo labente tempore, nobilissimus vir, Canutus Porse, natione Hallandus, insignem reipublicæ Suecicæ. Regi minorenni & matri navabat operam, adeò ut Ingeburgis singularem viri admirata sit virtutem, ab illius non abhorreret connubio, Ducali tamen honore prius insigniti. Tantam proinde fortunam Canutus haud negligendam ratus, de insignibus Magno ab his nuptiis averso non supplicat, sed Christophoro Danorum regi, patriæ suæ quondam Duci, sibi que familiarissimo, addictissimoque, suum aperit votum, connubiumque. Neque difficilem se præbens veteri Christophorus in Suecia commilitoni congerronique, ipsum Ducem pronunciat Hallandiæ australis, Samsøe, Holbeck & Kalenborg, quibus ipsemet olim frueretur provinciis, & acceptis XIV. millibus librarum argenti, amplissima Scanorum vicina territoria, Bergense & Asbocense simul oppignorat.

Quod verò Crantzius asserat, eapropter Christophorum Canuto honorem contulisse libentius, ut cum duorum esset regnorum loco privigni moderator, si magis benevolum & quodammodo haberet subiectum, illud veritati rebellat. Siquidem Canutus nunquam regnorum gubernationi à Magno admotus fuerit, utpote quo ante matrem ductam, pro regni usus fuerit consiliario, Matthia utramque moderante Republicam, & postea ne conspectu ipsum dignatus fuerit, varia cum illo bella gerens, multò minus imperii socium agnoverit, velut ex paginis fiet manifestum sequentibus. Unde quidam Sueciæ annales memorant vitrico castrum Hunehalsense in Hallandia boreali anno MCCCXXIII. Magni auspicio ereptum, ast MCCCXXVIII. illud verius contigit, conjugio cum Ingeburge jam celebrato.

Atqui Canutus exiguam Christophoro gratitudinem rependit, tanto decoratus honore; Quippe anno MCCCXXV. mortuo Erico Slesvicensium Duce, 1325.

Christophorus sibi vendicat provinciam, legitimo hæredi Valdemaro filio magnam irrogans injuriam. Sed Gerhardus comes Holfatiæ Valdemari avunculus, causam minorennis suscepit defendendam, & proceribus regni Danici Christophorum suæ tyrannidis ergò detestantibus sibi sociatis, quos inter Dux Canutus Porse erat, Regem folio exturbavit, eodemque sororis filium locavit. Tunc Valdemarus gratiam suis relaturus promotoribus, varias regni provincias ipsis sub feudo, hæredibusque concessit, quorum post Gerhardum primario Duci Canuto Porse cessit Hallandia meridionalis, Sampfœ & Kalenborg. Hæc Huitfeldius, licet paucis ante paginis à Christophoro provinciam Canuto sentiat collatam. Ideoque arbitror Canutum solo donatum à Christophoro prius titulo, & XIV. millibus librarum argenti mutuò numeratis, in pignus solum Hallandiam, binaque Scaniæ territoria consecutum esse, jamque beneficio Valdemari hypothecam in feudum & Ducatum cessisse.

Hoc pacto à Christophoro, Valdemaro & Gerharo, venditis, oppignoratis & infeudatis sensim regni ditionibus, imperium imminuitur Danorum, & Respublica gravi obruitur ære alieno, ut tandem Scaniam & Blekingiam, aliasque Danici juris provincias divendere cogetur, prout deinceps liquido constabit.

1326. Anno MCCCXXVI. perperam recenset idem Huitfeldius, Euphemiam Magni regis sororem, Alberto Duci nuptam Megapolensi, cum MCCCXXXVI. teste Crantzio, nostrisque Chronographis illud connubium fuerit peractum.

Hoc etiam anno vitam cum morte permutavit insignis & famosa Israëlis Birgeri filia, & Amundi Jonæ consors, Ramburgis de Wiick, præfagum linquens posteris epitaphium, quod nostris prostat Tumbis legendum & suspiciendum.

1327. Interea verò temporis Dux Canutus & Ingeburgis, promissa matrimonii fide, rebusque nuptiarum sollennitati necessariis summo apparatis studio, indignante quidem filio, sed ætatem propter teneram minus impedire valente, anno MCCCXXVII. mense Junio, Dominica post diem S. Botolphi, conjugii sollennia consummarunt. Ad hoc, inter alios regnorum borealium magnates, advolat epulum Johannes comes Holfatiæ, Christophori regis frater uterinus, sed casu per tumultum in itinere potissimo servitorum Johanne Brochstorp, necem vindicaturus remeavit.

Verum Sueones hoc thalamo plurimum exasperati, arma interim expediunt, & finitis matrimonii tripudiis, illa neonuptis inferunt, castrum Vestrogothorum Axevaldense, quod Dux Ericus possidendum Ingeburgi deputavit, obsidentes & capientes. Hinc vicissim Dux Canutus vehementer irritatus, auxiliares contra privignum circumspicit cohortes, ipsi deinceps aliquam faceffens molestiam. Etenim dominium totius jam obtinebat Hallandiæ, partem cum uxore borealem consecutus, & aliquas in Dania possedit ditiones, ubi fermè omnes à Canuti quoque pendebant imperio, historia Danorum attestante.

Quæ hoc præterea memorat anno, Ericum Valdemari Suecorum quondam Regis filium, hinc in Daniam profectum, in judicio Nyburgensi, Rege Valdemaro præsidente, Malmogiam & Trelleburg, aliaque magnæ æstimationis prædia, die Apostolorum divisioni sacro, jure vicisse. Quod verò fundos Valdemarus præfatos illa possederit lege, testantur non solum Chronica Suecorum, ast etiam Danorum, ipsemetque Huitfeldius tomo historiarum primo, folio CXC. Quocirca demiror

ror hoc ipsum loco, Rechiffæ Valdemari aviæ maternæ, illas tribuere possessiones, asserendo ratione proaviæ hanc Erico contigisse hæreditatem. Sed quorsum deinde venerit Ericus, qui Haquino Noricorum rege suo consobrino mortuo, in Sueciam ex Norvegia secesserat, ignoro. Quem si genuit Valdemarus ex Jutha, ut quorundam est opinio, clam in Norvegia penes Ingeburgem materteram, ipsum oportet educatum, & annò MCCCXXVII. nomine patris tantam hæreditatem; Si tamen jus Danorum illegitimo prognatis thoro hanc concedat prærogativam.

Anno MCCCXXVIII. Magnus vitricum boreali pulsurus Hallandiam, castrum expugnavit Hunehalsense, capto præside Gustavo Tunnonis, de prosapia Sturorum seniorum oriundo. Siquidem Huitfeldii assertio; Hunehals quidem à Magno impugnarum, sed non expugnatum esse referentis, antiquitati Sueticæ, veritatique certò repugnare deprehendatur.

Hoc autem Magni cum vitrico dissidium, bellumque Hennigus & Johannes, Domini de Werle, à Canuto fundis quibusdam præteritas & æquum in Dania spoliati, cognoscentes, missis in Sueciam legatis, annò MCCCXXIX. Stocholmiæ die Jovis post assumptæ Virginis sollemnitate proximo, fœdus cum Rege contra hostem pangunt communem de mutuo ferendo auxilio, sine Regis Christophori nocumento, utrique parti confœderato.

Is etenim horum atque Johannis Holfatiæ comitis auxilio fultus, hoc tempore Daniam invasit, filium Ericum ex vinculis liberans, & Gerardo reconciliatus, aliquandiu tranquille gubernans. Atqui fratre Johanne pro XX. millibus librarum argenti mutuo concessis pignus flagitante, Lalandiam & Aleholm, sed nomine alterius mutui totam Selandiam, Dominica post sollemnia D. Martini assignavit. Idem verò paucis ante mensibus, à Ludovici quondam Daniæ Marschalci hæredibus Helsingburgum & Scaniem redemit, quam Ericus Danorum Rex Ludovico MCCCXVIII. pro sex millibus, octingentis & sedecim Scanensium marcis pignori deputavit. Quamobrem Scaniem & Selandiam Johanne, Gerardo Fyoniam, Valdemaro Juthiam, & D. Canuto Hallandiam, obtinentibus, exigua Christophoro & filio remansit Daniæ portio. Ac Canuto sequenti anno feriis sanctissimæ Pentecostes morti succumbente, retinuit Ingeburgis nihilominus Hallandiam, Sampfœe, Holbeck & Kalenborg, marito pignori collocata.

Suscepit autem Ingeburgis ex Canuto filios binos, Haquinum & Canutum superstites, quos mors abripuit deinceps immatura. Sed ubi locorum illi, vel mater, aut Ingeburgis Valdemari Ducis confors sua cum prole, sint humati, historiæ non meminerunt.

Anno etiam MCCCXXX. Dominica festum Christi cœlos ascendentis præcedente, horribili conflagravit incendio Stocholmia, simulque acropolis.

Verum MCCCXXXI. Christophorus fratri Johanni laturus auxilium contra Gerhardum Holfatiæ comitem, Daniæque dominum, iterum profligatur, & sequenti anno rediit in gratiam cum ipso, Duceque Juthiæ Valdemaro, thronum resignante, quæ amnistia magno Daniæ constitit. Nam præter alias regni ditiones exteris illic attributas, Gerardo Juthiam borealem, pro centum millibus librarum argenti, adscripsit ipsi Christophorus, ipsi & hæredibus usurpandam, donec præfatum Dani argentum illis numerarent. Proinde novi provinciarum domini, multimodè incolas affixerunt, & præcipuè Johannes comes intolerabili servitutis jugo præmebat Scanos.

Qui

Qui tandem hujus impatientes, contra tyrannos insurgunt, & passim Holsatos trucidant, atque sæpius Christophoro frustra in auxilium vocato, non suam libertatem, multò minus aliorum protegere valente, Scani supplices à Rege Suecorum, Noricorumque Magno, flagitant patrocinium, ipsi perpetuam spondendo subjectionem & obedientiam.

1332.

Itaque anno MCCCXXXII. Magnus responsum Scanis daturus, comitia indixit Calmariaë, quò Carolus Lundensium præsul, Præposito & Decano sociis, & simul potissimi nobilium, Ordinumque Scanensium confluunt legati, poscentes lytri CCC. redemptioni captivorum impositi condonationem, adversum Holsatos protectionem, & vicissim fidelissimam promittentes subjectionem. Atque petitione in confessu Ordinum regni utriusque aliquândiu ponderata & approbata, lytrum Rex remisit, & ipsos sub protectionem admisit, firmissimo literarum vigore obedientiam spondentes. Comes verò tantum formidans adversarium, sibi are refuso, non alienum à provinciarum resignatione declaravit, & Magnus ancipitem belli aleam considerans, conditionem de procerum suorum consensu acceptavit.

Igitur de XXXIV. millium librarum argenti summa, certis solvenda terminis paciscuntur, & Comes literis & obsidibus, quos interfuit Israël Birgeri, frater D. Birgittæ, de solutione asscuratus, Regi munitiones & ditiones Scanensium consignavit. Dein Magnus jam Sueciæ, Norvegiæ ac Scaniaë Rex salutatus, de tanto argenti debito sollicitus numerando, præter alia de regnis subsidia, dimidium ex approbatione statuum huc convertit decimarum Ecclesiasticarum, & paucis hæc nomina persolverat annis. Unde Comes pretio soluto, Erici Danorum Regis, Ludovico regni Marschalco super Scania traditum chirographum, & ab illius sibi datum syngraphum, suamque pariter apocham, aliaque literarum documenta regi Magno præsentavit.

Ex his liquidum evadit, falsò M. Olauum in suo affirmare Chronico, ad primum solutionis terminum Comiti XXXIV. & deinde X. tandem XII. librarum millia fuisse numerata; Siquidem non excefferit debitum, XXXIV. millium librarum summam, ut diploma Regis Valdemari, anno MCCCXLIII. producendum, confirmabit. Is namque anno MCCCXL. ad folium regni Danici promotus, non solum novis literis hanc ratam habuit emptionem, sed XV. millibus librarum argenti insuper à Magno acceptis, Hallandiam & Blechingiam Sueonibus jure perpetuo tribuit possidendas, quo calculo pretium Scaniaë, Hallandiaë, Blechingiaë atque Hvetensis insulæ ad XLIX. millia librarum defecti argenti ascendit.

Quod autem historici LXX. in suis supputent libris millia, illud cum lytro per Scanos Sueonibus solvendo intelligendum est, cui XXI. tribuunt mille librarum argenti, & XLIX. Comiti Johanni & Regi Valdemaro persoluta esse, quemadmodum dicto constabit diplomate manifestius. Ex quo præterea fiet perspicuum, arcem à Rege Magno Hafniensem pro VII. millibus argenti, quam Conradus von Plessin pignoris tenuit loco, fuisse comparatam, & Valdemaro resignatam.

Denique præfatæ convincunt literæ, dictas à nostris provincias, cum assensu liberrimo Regis, Consiliariorum suasu, & Ordinum Danicorum suffragio esse partas, ac quoslibet Huitfeldii, aliorumque Danicorum futiles prætextus scriptorum, efficaciter convellunt. Qua de causa suis hætenus opusculis historicis ipsas inferre formidarunt, Magni duntaxat obligationem Valdemaro datam vicissim publicantes, quemadmodum de
his

his aliisque in nostro contra Petrum Rosfontanum libello differitur iuculentius imposturis, ad quem lectore misso, historiae telam repetamus intermissam.

Magnus inde pro sua in Scanos jurisdictione, vetera Lundensis Ecclesiae privilegia, mense Junio die Veneris post festum S. Botolphi, anno MCCCXXXII. suo diplomate confirmavit, nullum ipsi à nova principis designatione illatum iri promittens detrimentum.

Sequenti etiam anno V. Idus Julii Lundiae in cœnobio Franciscanorum constitutus, compellatur ab Archiepiscopo & nonnullis Scaniae nobilibus, nomine hæredum Ludovici Marschalci, VIII. millia librarum argenti à Comite non solutarum adhuc poscentium, & solutionem pollicetur. Idcirco in arce Schelvicensi postmodum II. Idus Novembris, duo millia librarum ex monetaria Lundiae officina mandavit ipsis solvenda, residuum ex Blechingiae & Liffriae annuis percepturis redditibus. Tantum verò summæ Comiti solvendæ reor detractum, & pro reliqua maturius numeranda, Rex hoc anno medium decimarum ex toto accepit regno, primum X, secundum XII. solvens millia, & ita demceps procedens, donec Comiti esset satisfactum.

Interea Christophorus à duobus in Lalandia nobilibus viris captivatus, intercessione Johannis Comitis liberatus, paucisque exinde septimanis, nimirum Idibus Julii, calamitosam exhalavit animam, regno in maximis relicto angustus, & Rege per septennium destituito.

Sed illo tempore Suecia, Norvegia & Scania sub regimine Magni regis extiterunt fortunatissimæ; Siquidem MCCCXXXIV. Matthia Ketelmundi vivis exempto, Magnus aliquandiu prudentiorum regni procerum obtemperans consilio, summa cum laude rerum potiebatur. Quam autem Matthias ortus familia, hæctenus indagare non potui, certo tamen certius comperi ipsum nobilissimis genitum majoribus, & ternas pro insignibus rosas usurpasse.

Atqui ipso vivente & consentiente, sororem desponsavit regiam nomine Euphemiam Albertus Dux Megapolensis, anno MCCCXXXVI. non MCCCXXXV. ut perversè quidam annotarunt, nuptiarum Rostochii sollemnibus celebratis. In his, referente Crantzio, Ericus Dux Saxoniae sponsum cingulo donat militari, qui festivitate ibidem peracta, cum nova nupta, & Duce Saxonum, Holsatiaeque Comite Henrico in Sueonia velificavit, affinis spectaturus inaugurationem. Duxerat verò superioribus annis Magnus prænobilem ex Gallia viraginem, natam Comitis Nemurcensis & Valesii contribulem. Neque enim iis suffragor scriptoribus, qui MCCCXXXVI. Magni statuunt connubium, sed potius MCCCXXXV. illum tribuerem thalamum, unde nonnulli Chronographorum, hunc coronationi deputant, nuptialem cum inaugurali permiscentes, meaque adstipulatur opinioni ratio temporum, & Alberti Crantzii authoritas, non annuli, verum diadematis Blancae impositi faciens mentionem.

Itaque Alberto Sueoniae appropinquanti, Blanca splendidis vecta paronibus obviat, & qua decuit benevolentia neonuptos exceptos Stocholmiamp perduxit, Rege illic occurrente, & in acropoli gratissimos hospites comitante. Mox festa coronationis sollemnia competenti frequentantur splendore, Ingelberto Dorpatensis Ecclesiae Antistite, cujusdam ergo negotii procurandi tunc forte in Suecia constituti, ex gratia & singulari Præsulum Suevicorum favore, diademata capitibus Magni & Blancae conferente.

1333.

1334.

1335.

1336.

Progenit verò Blanca ex hoc conjugè V. liberos, nempe filios binos, & filias ternas, quarum tamen nullam historia facit amplius memoriam, & hinc existimo pubertatis annos ipsas non attigisse, mortis violentia prius sublatis. Verum Euphemie coniubium, felicioribus contractum auspiciis, non solum progeniem liquit modernam Megapolie principum, sed etiam regnis borealibus, Albertum, Ericum, Christophorum, Christiernum, Johannem, Christiernum II. Fridericum, Christiernum III. Fridericum II. Christianum IV. & Gustavum II. reges potentissimos, aliosque orbis Christiani heroes & heroides transmisit illustrissimas, in nostro spectandas genealogiarum teatro. Ideoque fuit annus MCCCXXXVI. faustus non funestus, nuptialis non fatalis, ut quidam somniant, ipsam hoc anno vita perfunctam comminiscens.

Ast Magnus finita inaugurationis pompa, regnum pro veteri consuetudine lustravit, quando Vestrogothis legem mancipiorum venundationem Christianorum obtrusit vetantem, contrariam hætenus normam sectantibus. Insuper Sudermannis peculiare juris tradidit volumen, cum illa tempestate propriis quælibet gauderet provincia legibus, sub Christophoro tandem in generale redactis compendium.

1337.

Anno MCCCXXXVII. Ericum Blanca primogenitum in lucem protulit, & sequenti enixa est Haquinum, marito, cunctisque regnorum incolis gaudium adferens immensum, in luctum longè majorem postea commutatum. E contra verò Danorum mœstitia, XV. annis continuata, in lætitiã anno MCCCXL. cœpit converti. Quippe Dani tyrannidis Holsaticæ pertæsi, cæso Comite Gerhardo reliquorum primipilo, filium Christophori Valdemarum in aula Imperatoris morantem designarunt Regem. Qui mox advolans, Ludovico Brandenburgensium Marchione, aliisque principibus arbitris & sequestribus, Valdemaro Duci Juthie denuò regnum tenenti, & Comitibus Holsatiæ illa reconciliatur conditione, thronumque obtinet, quod Hedvigem Valdemari sororem ducturus esset conjugem, & pignori traditas Duci, Comitibusque regiones, redempturus.

1340.

His Valdemaro intento, Magnus in castro Helsingburgensi in prævigilio DD. Petri & Pauli, Scanensium roborat iterum suo diplomate privilegia vetera, novaque adjicit, consuetum permittens jus, & promittens sine indigenarum consensu, nullas impositum iri exactiones, ac prædia Cleri ab omni regia imposterum jurisdictione immunia. Sicut etiam concedens Nobilibus quaslibet de suis subditis obvenientes in iudicio multas, & quod clerici in foro non responsuri forent politico, quibus etiam cedant multæ à iudicibus injunctæ ipsorum colonis & servitoribus. Deinde quod nemo Scanensium captivandus, nisi prius legitime foret convictus, ut neque in Sueciam citandus, vel nobilium ullus propriis aliis militaturus sumptibus, quam pro Scania defendenda. Atque in horum omnium majorem evidentiam, una cum Rege literis subscriptis Blanca, & XII. regni Suetici Noricique summates, in quarum primordio Magnus se Regem Sueciæ, Norvegiæ, Vandalie & Gothiæ compellat, ut nihil mirum, quod Gustavus I. deinceps eodem fuerit usus titulo, hodieque nepotes usurpent.

1341.

Annum MCCCXLI. nunc ingressurus, quo illucescente, Magnus Helsingburgi pridie Epiphaniæ, litem Valdemaro cum Henrico & Claudio Holsatiæ comitibus intercedentem ratione Fioniæ, delectus arbiter determinavit. Sequenti vero bimestri, VI. Idus Martii, consors Birgeri quondam Suecorum regis Mereta mortem oppetiit, & Ringstadii juxta maritum fuit sepulta.

Dein

Dein Valdemarus de provinciarum recuperatione sollicitus, imprimis Kalenberg & Sampsoe Ingeburgi statuit eripere, prætendens falsò priori non posteriori in feudum concessas marito, sibi que persuadens viduæ non difficultè eripiendas. Igitur Kalenberg Sielandiæ cinxit milite, at Ingeburgis animi fœmina virilis, Comitibus Holsatiæ, & Vandalicis in auxilium ex fœdere vocatis urbibus, ipsum inde profligavit, cæsis hostium duobus millibus. Undè Valdemarus spè dejectus victoriæ, ibidem Dominica post natalem Baptistæ, MCCXXLI. arbitrio controversiam octo virorum prope diem Michaëlis Roschildiæ confluentium, permisit decidendam; Atqui his indecisam linquentibus, censuræ Magni Sueonum regis, submittebam.

Quem vero lis exitum sortita fuerit, neque nostri, neque Danorum insinuant historici, præter Huitfeldium, qui Kalenberg ab Ingeburge mox resignatum, & Hallandiam superstiti permissam, testatur. Nec tamen sibi narratio satis constat, cum progressu operis scribat, MCCCXLIV. Ingeburgem Valdemaro Kalenberg restituisse, & de Hallandia similiter diversam postea sententiam proferat.

Cur autem Magnus sibi patrociniæ matris non desumpserit, indignationi de conjugio secundo conceptæ adscribendum est. Quam Magnus consultò remiit, videns non matri solum & Holsatiæ Dominis, Valdemarum struere insidias, verum & sibi met propter Scaniæ possessionem, & cum ipsa sociisque fœdus amplexatur. Hinc MCCCXLII. Marquardo Schoenè arcis castellano Vardingburgensis, à regiis oppugnato, copias submitit auxiliares, ductoribus Halvardo Pilt, Magno & Achatio famolis pugilibus, illic tamen internecioni datis. Is contigit in Sielandia conflictus, cui modernus & proximus luctuosissimi fuerunt anni; Siquidem Danis & Holsatis de ipsius dominio jugiter & acriter decertantibus, illa propemodum in solitudinem redacta fuerit.

Conatur quippe Valdemarus per fas nefasque non soluto pretio, externis eripere provincias, & Holsatis regno pulsis, Regem Sueciæ aggressurus, quem non latebat dolus. Attamen Danum minimè formidans, hoc anno, ex quorundam sententia annalium, regna filiis secure partitus est, Erico quinquenni Sueciam & Scaniam, Haquino quadrienni Norvegiam deputando. Alii potius MCCCXLIII. nonnulli MCCCXLIV. reliqui MCCCL. præfatam regnorum existimant institutam divisionem, & hæc opinionum concertatio, non difficultè tollitur, asserendo, Magnum MCCCXLII. spem filiis capeffendæ hujusmodi fecisse hæreditatis, dignitatisque; atqui MCCCXLIII. Sueones, Norvegos & Scanos, datis literis, ipsos sibi à parentis obitu in moderatores adoptasse. Deindè anno MCCCXLIV. suo Magnum diplomate id ipsum roborasse, ac MCCCL. in regiminis illos admisisse consortium, vel à consiliariis flagitiosam Magni detestantibus vitam, subrogatos, quemadmodum libri procurfus veraciter comprobabit.

Contigit verò prima horum inauguratio principum, MCCCXLII. in comitiis Scheningiæ celebratis, ubi præterea Magnus die Cinerum aspersioni dicato, Vexionensibus jus fori secunda cujuslibet septimanæ feriæ frequentandum impertivit.

Anno MCCCXLIII. perpendens Magnus ditiones Blancae in dotem assignatas, cum uxoris multo incommodo, passim suis regnis dispersas, & suo in ipsam amore permotus, postridie sacratissimæ Pentecostes in castro Bohusensi, veteri donatione revocata, novam condidit cum Haquini filii & Senatus Norici consensu, legans ipsi Bohusiam,

Marstrandiam, Elverfisseliam, Romerichiam, Borgefisselam & territorium Vortense. Quibus post Haquinum subscripsit literis, Erengislo Comes Orchadensium, Archiepiscopo prælatus Nidrosiensi, indeque non obscure licet colligere, ipsum natione Norvegum, non Suecum extitisse, quamvis conjugem in Sueonia fuerit potitus; Quandoquidem indigenas in ordinem Senatorium solos consueverint Norvegi cooptare.

His verò Bohusiam unanimi conclusis suffragio, Rex cum uxore & liberis Varbergum profectus est, cum iisdem Norvegiæ Proceribus de Haquino in Regem acceptando consultavit, qui proximum sceptri heredem, optimæ indolis principem, & hæcenus apud se in spem regni educatum considerantes, ibidem festo sublimatæ in cælos Deiparæ, ipsum designant Regem, à parentis obitu, vel quando patri libuerit regimen capeffurum, mox literis hac super re confectis, quas Huitfeldius in Historia producit Valdemari. Et dubio procul huic nepotis designationi adfuit & fortè præfuit Ingeburgis, cum Varbergi, quò ipsa velut in suo peculio residebat, illa sit celebrata inauguratio. Magnus etiam suo diplomate illam habuit ratam, filio nomen regium attribuens, & omnimodam in regnum Norvegiæ jurisdictionem, tamen donec adolesceret filius, sceptrum moderaturus.

Interim Valdemarus cum Holtatis colluctans, nec superior evadens, decrevit pacem cum Magno sancire, ipsumque pertrahere in subsidium. Ideoque ad diem S. Martini, consensu utriusque Varbergi conventus indicitur, quò Proceres trium confluent regnorum, una cum Regibus, & post octidui concertationem, Valdemarus sequens diploma Magno, super Scania, Hallandia, Blechingia atque insulæ Huetensis emptione, lubens assignavit.

Universis præsentis literas visuris vel audituris, Valdemarus Dei gratia Danorum Slavorumque Rex & Dux Estonia, salutem in Domino sempiternam. Ad perpetuam rei memoriam, tenore præsentium recognoscimus evidenter, nos magnifico Principi, Domino Magno, Suecia Norvegia & Scania, regi illustri, consanguineo nostro charissimo, terras, videlicet totam Scaniam, totam Hallandiam, Blekingiam, Listriam & insulam Hueten, cum castris & munitionibus in iisdem terris situatis, cum omni jure regio, nobis, heredibus nostris & successoribus, ac coronæ regni Dacia in prædictis terris & qualibet earum quomodolibet competenti, in Civitatibus, villis forensibus & nundinis, cum earum juribus, in nullis penitus diminutis, sed potius reintegratis, pro ut ab antiquo tempore huc usque plènius & liberius habitæ fuisse dinoscuntur, nullis exceptis, quocunque nomine censeantur, pro XLIX. millibus marcis puri argenti ponderis Coloniensis veraciter vendidisse. Cujus argenti summam ad nos & usus nostros venisse agnoscimus, pro omnibus terris antedictis, & earundem juribus & pertinentiis quibuscunque, in pretium, per hunc modum. Primo namque Dominus Magnus Rex præfatus debita patris nostri charissimi Domini Christophori, bonæ memoriæ, quondam Regis Danorum, quæ nos de jure solvere tenebamur, ab illustri Principe, Domino Johanne, Comite Holzstata & Stormaria, patruo nostro dile-

dilecto, terras Scania, Hallandia, Blekingia, Listeria & insula Suet-
 then/ per prædictum patrem nostrum impigneratas, tenente pro XXXIV.
 millibus marcis puri argenti ponderis Coloniensis, plene & integrali-
 ter persolvit, redimendo populum terrarum earundem ab oppressioni-
 bus & injuriis, extraneorum gravaminibus eripiens, quarum terra-
 rum incola omnes & singuli eundem Dominum regem Magnum u-
 nanimi consensu & concordi animo sibi in verum regem rite elege-
 runt. Quam quidem electionem justam fore dicimus, ac nostro, ha-
 redum ac successorum nostrorum, & Corona regni Dacia nomine con-
 firmando approbamus, & approbando confirmamus. Præterea memo-
 ratus Dominus rex Magnus, in pretium terrarum prædictarum octo
 millia marcarum puri argenti ponderis Coloniensis personaliter nobis i-
 psis persolvit, ac integraliter assignavit; & cum hoc castrum Röp-
 mannehampn/ mutua dilectionis inter nos amplianda intuitu, gra-
 tanter nobis dimisit, per se pro septem millibus marcis puri argenti
 ponderis Coloniensis acquisitum, quam etiam argenti summam ex af-
 fectione qua erga eum movemur, vice versa in pretium terrarum præ-
 dictarum nos recognoscimus accepisse. Igitur cum eidem Domino re-
 gi Magno, pro dictis summis argenti principalibus & minus pro
 damnis & interesse incomprehensibilibus, quæ ipsi Domino Magno
 regi & regnis suis, ratione solutionis argenti memorati, & crebra
 defensionis terrarum prædictarum, graviter & multipliciter obvene-
 runt, satisfacere ullo modo non sufficeremus; quæ scilicet damna &
 interesse ipsi Domino Magno regi prædicto, successoribus & heredibus
 suis omnimode refundere tenebamur, prout in nostris & aliorum li-
 teris super hoc confectis plenius & clarius continetur; præfato consan-
 guineo nostro, Domino regi Magno, ejus successoribus & heredibus,
 ac corona regni Suecia, tam pro dicti argenti summa, quam damnis
 & interesse, cum assensu & Consilio unanimi consiliariorum nostro-
 rum, & potiorum regni nostri Ducum, Clericorum & Laicorum, tam
 Prælatorum quam Militum & militarium, ac totius populi ac com-
 munitatis regni ejusdem, à nobis, heredibus & successoribus nostris, ac
 corona regni Dacia, libere & spontanea voluntate, non compulsi, non
 coacti, non dolo nec aliqua circumventionem inducti, prædictas terras
 omnes & earum quamlibet, cum munitationibus & castris in eisdem
 terris & earum qualibet situatis, ac omni jure regio & pertinentiis
 quibuscunque superius tactis & inferius exprimendis, titulo vera ven-
 ditionis & perpetua alienationis dimisimus, & dimittimus per præsen-
 tes. Et ut prædictarum terrarum per nos taliter facta mera vendi-
 tio in se verior & magis valida censeatur, in signum traditionis ve-
 ra possessionis tam naturalis quam civilis, & ad usus alienationis
 perfecta evidens argumentum; nos eidem Domino regi Magno, ha-
 redibus ac successoribus suis, & corona regni Suecia, perpetuo possiden-
 das,

das, tenendas & habendas scotavimus modo debito & consueto; ac à nobis, successoribus & heredibus nostris, ac corona regni Dacia prorsus alienavimus, & omnino abdicavimus terras, Scaniam, Hallandiam, Blekingiam, Listriam & insulam Swethen/monetam & nundinas cum earum juribus, ut premititur, castris, munitionibus, prædiis rusticis & urbanis, ad regem & ad jus regium pertinentibus, civitatibus & villis forensibus, una cum jure Patronatus in Ecclesiis, Monasteriis & capellis quibuscunque regi competenti, omni jure, quo terra, castra, provincia & quævis alia bona mobilia & immobilia scotari, alienari, resignari, renunciari & abdicari solent & debent de jure & de facto; assignantes ipsi Domino regi Magno, heredibus & successoribus suis ac corona regni Suecia, & à subjectione & obedientia nobis, successoribus & heredibus nostris, ac Corona regni Dacia, si qua ratione terrarum prædictarum seu in terris antedictis quomolibet unquam debita. Dimittentes liberum & solutum reverendum in Christo patrem, Dominum Petrum Lundensem Archiepiscopum, Suecia primatem, qui nunc est, & eum qui pro tempore fuerit Archiepiscopus ibidem, cum capitulo Lundensis Ecclesiæ, ac universo Clero ejusdem dyocesis, cujuscunque status aut conditionis existat. Item, dimisimus à nobis, successoribus & heredibus nostris, & à Corona Dacia, liberos & solutos omnes milites, militares, civitatenses, villanos, omnes etiam rusticos & inquilinos, & omnium prædictorum successoribus & heredibus in terris supradictis, ab omnibus servitiis, homagiis, obedientia & obsequiis quibuscunque, ad quæ jam dudum nobis regi ac Corona regni Dacia tenebantur; & ipsi regi Magno prædicto, successoribus & heredibus ac Corona regni Suecia effectualiter assignavimus, ad perpetui servitii homagium & obedientiæ debitum, prout quilibet eorum ex statu suo & conditione servire & obedire suo vero Regi obligatur & tenetur de jure & patriæ statutis, seu de consuetudine laudabili approbata & servata. Tradimus insuper Domino regi Magno prædicto, successoribus & heredibus suis ad Coronam regni Suecia, prædictas terras, munitiones earum & castra, ac pertinentias ac jura quævis in eisdem, & ab omni possessione recedimus earundem, verum dominium terrarum ipsarum in eundem Dominum regem Magnum, successores & heredibus suis ac coronam regni Suecia plenarie transferentes: ut nos, successores nostri vel heredibus nunquam posse habeamus, aut potentiam ex jure vel ex facto, præfatum Dominum regem Magnum, successores suos vel heredibus, seu regna sua, terras aut dominia quovis modo molestare, aut aliquo modo aggravare aut impetere, seu conqueri super præmissis vel aliquo præmissorum. Renunciantes sponte & expresse pro nobis, successoribus nostris, heredibus nostris, ac Corona regni Dacia, omni juris auxilio canonici & civilis, consuetudinibus, legibus ac statutis patriæ, beneficio restitutionis in integrum; omni-

omnibus exceptionibus doli mali---metus causa, & cuilibet alteri exceptioni juris & facti præmissa omnia vel eorum aliquod infringenti, vel infringere volenti, & specialiter juribus dicentibus generalem renunciationem non valere, & regem alienationes factas in præjudicium regni sui, & Coronæ, posse revocare, promissione in contrarium facta non obstante. Item, confirmamus, approbamus & ratificamus omnes & singulas placitationes & literas, Domino Magno regi præfato, & Coronæ regni Sueciæ, tam per nos, quam Scanienses, ac quas-cunque alias ab antea in hunc diem initas atque datas, nec non præ-sentes literas & placitationes, super omnibus & singulis terris memoratis, quas quidem placitationes & literas in suo pleno vigore & robore, in perpetuum volumus perdurare, & per hanc nostram placitationem & finalem concordiam in nullo diminutas vel debilitatas, sed potius de novo roboratas. Ceterum si contingat, rectos successores nostros vel heredes impedire velle seu molestare ultra dimidium passagei **Drasund**/ Dominum regem Magnum Sueciæ prædictum, successores vel heredes ejus, ac coronam regni Sueciæ super terris Scania, Hallandia, Blekingia, Listeria & Insula **Hwethen**/ juste ad coronam regni Sueciæ applicatis; seu super terris vel dominiis aliis quibuscunque ipsi præfato Domino regi Magno, successoribus suis & heredibus attinentibus, per publicum hostiliter invadendo, seu per viam litigii vel contentionis aliove modo dicendo nos jus habere, cum non habeamus, pacem, placitationes & hanc finalem concordiam infringere, ne regnum Sueciæ & Corona pacifice teneat & quiete possideat terras suprædictas; Ex tunc sex Episcopi, Milites & militares totidem, regnorum scilicet Sueciæ & Dacia, ad hoc per utrumque nostrum regum, successores nostros vel heredes specialiter assumendi **Helsingaborgh** infra duodecim septimanas à tempore delatæ queremoniæ conveniant. Et discussione diligenti præhabita, nos, successores nostros & heredes tam ad damna & interesse, quæ ipse Dominus Magnus rex prædictus, successores sui vel heredes, ob tales impetitiones seu molestias rationabiliter incurrerunt, quam ad pœnam XXX. millium marcarum puri argenti ponderis Coloniensis, solvendarum in terris & locis satistutis, ipsi Domino regi Magno vel successoribus & heredibus suis, seu eorum nunciis, per prædictos duodecim statuendis, omnimode compellant & astringant. Quæ scilicet damna & interesse una cum pœna prædicta si solvere noluerimus, vel contumaciter aut malitiose à prædictorum solutione nos subtraxerimus, terris & locis nobis præfixis; tunc præfati sex Episcopi, quorum in hoc jurisdictioni nos voluntarie & expresse subjicimus: si concordaverint, alios tres ex eisdem Episcopis de regno Sueciæ constituent, qui summas excommunicationis, quotiens opus fuerit, absque displicentiâ nostrâ nota, nostrorumque successorum vel heredum,

redum, in nos, successores nostros vel heredes promulgabunt minime relaxandas, donec ipsi Domino regi Magno vel successoribus & heredibus suis pro dictis damnis, interesse ac pœna pro sua voluntatis libito per nos vel successores nostros & heredes plenarie fuerit satisfactum; pace nihilominus & hac finali concordia inter regem prædictum Dominum Magnum, successores & heredes suos, ac regna & dominia eorundem, ac nos, successores & heredes nostros, ac regnum & dominia Dacia in perpetuum duraturis. Verum ut præmissa omnia & singula, qua nos personaliter illibata servare & tenere, & non contravenire per nos vel alium aliqua occasione sive causa de jure vel facto, promittimus bona fide & sub honore nostro, majorem habeant roboris firmitatem, volumus & expresse consentimus nostro, successorum & heredum nostrorum nomine, quod si contra ea, vel eorum aliquod, quod Deus avertat, nos, successores nostros vel heredes venire aliquo modo contingat; fidejussores & compromissores nostri infra scripti, heredes & successores eorundem eo ipso absque displicentia & ingratitude nostra, successorum nostrorum & heredum nota, se nobis, successoribus & heredibus nostris possint & debeant hostiliter opponere, & præfato Domino Magno, successoribus & heredibus suis contra nos, successores nostros & heredes efficaci juramine firmiter & fideliter cum omnibus amicis suis, aliisque amore eorum quicquam facere vel omittere volentibus, unanimiter adherere, donec eidem Domino Magno regi præfato, successoribus vel heredibus suis per nos vel successores nostros & heredes propterea integraliter fuerit satisfactum, secundum justitiam vel amorem. In quorum omnium evidentiam firmiorem, sigillum nostrum præsentibus est appensum. Nos insuper Svenero Arosiensis, Jacobus Ripensis, Ecclesiarum Episcopi; Johannes de Esrom & Henricus de Sora, Abbates; Jacobus Pauli Diaconus Roskildensis; Fr. Richulfus Prior Antvarskogensis; Gues Roskildenses, Alborgenses, Holbecenses, & Slangtorpenses; Petrus Wendilbo, Esgerus Foss, Uffo Nickisson, Stigo Andrea, & Claudius Lonbek, Milites; Nicolaus Biugg, Ericus Nicolai, Paulus Glop, Uffo Andrea, Esgerus Brok, Johannes Laurentii, Strango Ebbonis, Nicolaus Erici, Jvarus Ingelli, Lodovicus Alberti, Magnus Todde, Johannes Magni, Ericus Barnonis, Jacobus Basse, militares, & ceteri multi fidejussores & comprimisores Domini nostri regis Waldemari suprascripti, recognoscimus nos omnes insimul, & per nostrum quemlibet, cum communitate totius regni Dacia, libera voluntate & affectanti animo veraciter consensisse, non compulsos, non coactos, nec aliquo modo circumventos, omnibus placitationibus factis super præmissis articulis & eorum quolibet, per magnificentum Principem Dominum nostrum regem Waldemarum prædictum, & huic finali concordia

dia verum consilium nostrum & assensum tribuisse; obligantes nos omnes & nostrum quemlibet, heredes nostros & successores eorundem, quod nullum in Regem Dacia eligamus, vel in Principem assumamus, aut in Regem & Principem aliquo colore seu commento callido quaesito eligi vel assumi procurabimus, nisi prius juret & promittat, quod statim in Regem electus aut in Principem assumptus, confirmet, servet & teneat omnia & singula, quæ placitationes & literas omnes & singulas super terris omnibus sæpius nominatis, & earum qualibet factas, & hanc placitationem & finalem concordiam continent, cum omnibus & singulis earum clausulis & articulis, qui in literis dictarum placitationum & hujus finalis concordie ubicunque confectis, plenius continentur. Promittimus etiam sub fide nostra & honore, ac successorum nostrorum & heredum, quod si præfatus Dominus noster rex Waldemar, ejus heredes vel successores ad Coronam vel regnum Dacia qualitercunque venientes, prætextu juris Corona regni Dacia ad propria temeritatis audaciam insurgentes seu erigentes, contra præmissa vel eorum aliquod venerint vel venire attemptaverint, statim nos, heredes nostri & successores eorundem, cum amicis nostris omnibus, aliisque amore nostri facere quicquam vel omittere volentibus, sæpèdictum Dominum Magnum regem Svecie, successores suos & heredes, sub præmissa fidei nostra sponione, efficaciter & fideliter jurabimus contra ipsum Dominum nostrum regem Waldemarum, successores suos & heredes. In præmissorum evidentiam & testimonium, sigilla nostra, una cum sigillo Domini nostri regis Waldemari præsentibus apponentes. Actum & datum in castro Wardbergh Anno Domini MCCCXL. tertio, in octavis beati Martini Episcopi.

Quæ per Deum atque hominum fidem clarior, evidentior, luculentior, firmior & religiosior potuisset institui venundatio! Vicissim quoque Magnus firmam inter regna pacem suis pollicitus est literis, modum cujuslibet controversiæ componendæ præfigens, & quomodo cum profugis, piratis, naufragisque foret utrinque procedendum, determinans, sicut chronicon testatur Huitfeldii, illud recitans Magni diploma.

Eodem die, locoque, nimirum XIV. Calendas Decembris, anno MCCCXLIII. Sueones & Scani Ericum Magni primogenitum, pro rege & patris successore approbarunt, quorum literas Johannes Magnus libro XXI. capite secundo historiæ suæ allegans, nos ipsas hic inferendi liberat molestia, & lectorem illuc invitans. Itaque pro humanæ prudentiæ modulo talentoque, videbatur Magnus sibi, conjugii, liberis & regnis perbellè consuluisse, sed qui cæcos mortalium discursus, sperato frustratur eventu Deus, præsertim quando homines à semitâ deflectant cœlestis mandati, secus ista multò disposuit. Optandum profecto Sueonibus fuisset, quod Matthias Ketelmundi, quem nonnulli MCCCXLIII. fingunt mortuum, aliquantò diutius Magno convixisset, vel certè Magnum informationis ab illo acceptæ tam subito immemorem.

rem, ad imprudentium consilia descendisse acceptanda. Qui tamen XXVI. annis mediocri cum encomio & regnorum gubernat emolumento, & XX. residuis, intolerabili eorundem detrimento.

1344.

Verum annus MCCCXLIV. hinc calamum invitat, quo labente plebs Norica vestigio & consilio procerum inhærens, die Saturni festum D. Margaretæ virginis præcedente, Haquinum quoque regem salutavit, nullam spondens ipsi obedientiam, vel parenti aut fratri, bellum si moliretur. Item juxta Huitfeldium resignavit Valdemaro Ingeburgis hoc anno Kalenborgum, & Magnus utramque sibi vendicat Hallandiam, idque affirmat idem historicus indignè Valdemarum tulisse, cum Hallandia Erico in feudum à Rege Danorum permiffa, non Holfatis in pignus commiffa, ut illo sibi Magnus jure hanc posset regionem usurpare. Sed prò pudor Huitfeldi, nunquid superiori Valdemarus anno ipsam Magno non legitime vendidit? Faceffe obsecro cum hujusmodi fucis quos plerumque imperito insinuas lectori, & tandem aliquando placeat tibi studium veritatis synceritatisque.

Verum primo hujus anni ingressu, XII. Februarii, illustris heros D. Ulpho Gudmari S. Birgittæ conjux fati abreptus, in cœnobio conditur Alvestrensi, uxorque superstes in gynecæo Blancæ agens magistræ aulæ, multis cœpit inclarescere apparitionibus, Regis emendationi accommodatis, postea enucleandis.

1345.

1346.

MCCCXLV. & sequenti Valdemarus ditionum recuperationi totus intentus, quasdam armis, nonnullas ære numerato, alias pactis, rege Sueonum arbitro, reliquas dolis, quas Danorum non inficiantur historici, fuit consecutus.

Verum quod Huitfeldius MCCCXLVI. connubium statuat Erici Ducis cum Brandenburgica virgine, plurimum à veritate deviat; Siquidem princeps vix dum egressus octennium thalamo nequaquam fuerit idoneus. ut neque parenti movendæ rebellionis, & Ducis Benedicti sub Falchenbergo expugnationi, quæ pariter Erico idem tribuit historicus, velut hoc tempore patrata. Namque post Magni Regis in Russos expeditionem, quæ MCCCXLVIII. & Benedicti ad Ducis titulum sublimationem, quæ MCCCLIII. acciderunt, matrimonium, rebellio & Benedicti profligatio contingebant. Unde Huitfeldius incuria forsitan amanuensis, MCCCLVII. cum MCCCXLVI. confuderat, in his & hujusmodi passim aliis corrigendus.

1347.

Memorato etiam anno MCCCXLVI. commisit Rex Magnus Ulphoni Amberni Tihersensium, Algotho Benedicti Vestrogothorum, & Torgero Vermelandorum, Legiferis, Legum Sueticarum revisionem. His autem propter juris Ecclesiastici defendendam autoritatem, à regni Præsulibus adjuncti Ecclesiarum cathedralium aliquot Canonici, qui opere inchoato Orebrogiæ sunt hac protestati anno MCCCXLVII. ratione:

In nomine Domini, amen. Quoniam protestatio ex certis & rationabilibus causis interjecta tueri solet protestantem, & confirmat jus eidem. Idcirco nos Laurentius de Valentunum, Upsalensis, Trygillus de Husaby, Lincopensis, Petrus de Flodum, Stregnensis, Laurentius Boberg, Arosiensis, & Vemundus Vexionensis Ecclesiarum Canonici, coram vobis nobilibus viris, Domino Ulphone Ambiorson: Milite & Legifero Tyberets, Algotho Benckson, Vestgothia, & Torgero Vermelan-

melandia Legiferis, ad corrigendum, reformandum, & ad unam concordiam & convenientiam Leges singulorum Legiferatum regni Sueciæ redigendum, per magnificum Principem D. Magnum, Sueciæ, Norvegiæ & Scania regem nostrum Oerabro destinatis, sub anno Domini MCCCXLVII. VIII. die mensis Martii, hoc est V. feria ante Dominicam Latere proximam, in curia Domini nostri Regis prædicti Oerabro personaliter constituti, omnes & singuli, & quilibet nostrum in solidum dicimus & protestamur, & quantum in nobis est contradicimus expressè in his scriptis, sicut etiam XX. die mensis Februarii, anno & loco supradictis, in vestra præsentia contradiximus & protestati fuimus una voce, quod propter vestram correctionem, additionem, diminutionem, seu quancumque aliam in legum vestrarum concordiam, ordinationem, furi Canonico nostro scripto, statutis nostris Synodalibus & provincialibus, nec non privilegiis papalibus, regalibus & aliis quibuscumque; ad tuitiones Clero & Ecclesiis regni Sueciæ concessis, & indultis, ac consuetudinibus antiquis in favorem Ecclesiæ introductis, & hæctenus legaliter & canonicè observatis, in nullo tacite vel expressè possit aut debeat derogari: Sed difficultates & dubia in dictarum legum vestrarum tractatu emergentia, quorum declaratio excedit vires nostras, Prælatorum nostrorum Dominorum Episcoporum iudicio & examini sine additione vel diminutione quacumque, reservamus. Acta sunt & lecta hæc protestatio in præsentia Nobilium, ac aliorum quam plurimum discretorum ad præsentis negotii expeditionem destinatorum, prout superius est expressum, anno, die & loco supradictis. In hujus ergo nostræ protestationis firmiorem cautelam, sigilla discretorum virorum, Dominorum Haquini de Glanshammar, Petri de Ascher, & Johannis de Kiel scholastici de Oerabro, præsentibus sunt appensa.

Autographum hujus codicilli in Archivo Lincopensis Ecclesiæ multis confervabatur annis, quod superiori seculo una cum reliquis maximi momenti documentis, quorundam malitia inde sublatum, ubi ne unicum verustatis hodiè reperiretur vestigium, nisi ego tantum Ecclesiæ compensaturus dispendium, anno MDCXIV. vetus ipsi & manuscriptum restituissem literarum pictarium, in M. Abrahami Andreæ deprehensum, & mihi donatum libraria.

Sed ista parergos, nunc annus MCCCXLVI. nos revocat, infnuans Valdemarum Daniae regem, Marienburgi festo D. Præcursoris vendidisse Gosvino Crucigeri ordinis Magistro, Hargensem, Virlandensem Livoniæ ditiones cum Revalia, Narvia & Vesenbergo pro octodecim librarum argenti millibus, quas fermè in votiva Jerosolymam profecti-
one, MCCCXLVII. instituta, consumpsit. Illic verò die sacro Magdalenæ zona donatus equestri, & simul Ericus Saxonie Dux, reversus-
que Daniam attigit MCCCXLVIII. quando intermissam aliquandiu re-
gionum denuò aggreditur recuperationem.

1348.

Interea Magnus Moschorum in Finlandiam crebris excursionibus plurimum exacerbat, bellum in ipsos moliebatur, indubiam sibi
pro-

promittens victoriam, quod copiarum ductore usus foret famoso & bellicoso illo Henrico, cognomine Ferreo, Holsatorum comite, suo cognato, qui non multo antè tempore singularem bellicæ virtutis gloriam ex Anglia, Gallia & Italia reportasset. Quocirca hujus suasu Rex ingentes de Germania sibi comparat cohortes, quibus non minores ex Suecia, Norvegia & Scania conflatas adnumerat phalanges, hisque & præsertim Germanis plurimum salarii requirentibus, multiplici & inusitata subditos sibi populos oneravit exactione. Imò nummum Petrinum Romam quotannis transmitti solitum, pro Saracenorum debellatione, ratus non minori Ecclesiæ commodo ad schismaticorum converti expugnationem, huic in Moschos expeditioni accomodavit. His de causis ordinum contraxit universorum indignationem, externi exhortationem militis suadentium, & D. Birgitta ex quadam sibi cœlitus facta revelatione, certissimam de hostibus pollicebatur victoriam, si indigenis solum stipatus ipsos aggrediretur, aliàs infausto pugnaturum successu.

Ast Magnus suorum spreto consilio, Germanis auscultat, signa ducens infesta in Moschos, & protinus castro Pechensarenfi expugnato, accolas in fidem & deditionem accepit, præfidiariosque Russorum. His etenim illa donavit conditione vitam, ut regressi ad patriotas, ipsi Ecclesiæ Catholicæ & Suecorum Regi suaderent obediendum, & popularium obligatione, auroque in solutionem promissi lytri multo onusti, quantocius ad castra remearent. Verum Russi hac fraude suis incolulumes restituti, hominum frequentiam cogunt subito innumerabilem, illaque succincti Regem obsidione tam arcta presserunt, ut nisi per effossum multo labore meatum in pelagus cum classe penetrasset, illic simulque occubuissent commilitones universi. Dein fuga Sueonum cognita, hostis arma in præsidium convertit Pechensarinum, quod arce tandem occupata crudelissime trucidavit.

Proinde Crantzio mirandum suos propter Holsatos, huic militiæ successum tribuenti, non fidendum; Siquidem Magnus propter rem infeliciter hoc bello gestam, inprimis à victore Moscho, ad perniciosam regno Sueciæ linitum designationem, portione non modica Careliæ amissâ, fuerit compulsus. Et licet posteri suis ipsam restituerint armis, tamen Moschus præfato subnixus jure, partem Careliæ identidem repetendo, & Sueones defendendo, copiosæ sanguinis profusioni dedit aliquot inde seculis occasionem, hodieque Russis illam quolibet cum nostratibus colloquio urgentibus jurisdictionem, ne plus hinc profluat malorum, profectò subverendum. Alterum verò Sueonibus importavit invasio Russiæ nocumentum, quod Rex inde reversus, & ære nimio militi solvendo immersus, non tantum novis indigenas contributionibus flagellarit, sed hinc de gravissimis non expeditis nominibus, militi provincias & arces oppignorare cogeretur; Unde comiti Henrico belli Archistratego, in pignus cessit munitio regni primaria Calmarnensis, ditioque subjecta.

Verum quod S. Birgittæ vaticinio respondisset eventus, tanta ipsi fides deinceps accrevit, ut à sermone illius velut oraculo cuncti dependere, quæ alia regi non pauca vaticinatur, ut etiam Magni successoribus. Potissimum verò impiam Regis arguit vitam, qui residuum tempus quibuslibet tradidit flagitiis, præcipuè libidini præpostere, à legitimo abstinens toro, & votivam interim obtendens castimoniam. Atqui Rex ipsam aliosque honestatis & pietatis se admonentes

ludibrio habuit, & maledictionis ea propter, ac obuli Petrini usurpationem, præfulisque Abogensis captivationem, vibratam à Pontifice Latino sententiam contempsit. Ideoque invisum Deo hominibusque caput, Proceres diademate spoliandum decreverunt, & illo verticem Erici filii redimendum, Magno subolfaciendo consilium. Qui propterea de auxilio sibi provisorus, anno MCCCXLIX, in Hallandia cum Valdemaro infaustum habuit colloquium, ubi primis Dani cassibus irretitus inescatusque perhibetur. 1349.

Nihilominus tamen anno MCCCL. testimonio historiæ Islandicæ, imperium filiis assignavit, Erico Sueciam, Haquino Norvagiam, & sibi Scaniam, Halogiam, Islandiam, Ferogiam atque Hetlandiam reservavit, fortè Ordinum inductus persuasione.

Illa quoque tempestate Haquinus & Canutus, Magni fratres uterini, œcumenica, quæ orbem afflixit universum, vulgo nostro Digredðen nuncupata, peste sublata, Hallandiam ipsi resignarunt. Hæc verò lues tantam in regnis borealibus hominum edidit stragem, ut desolatio innumeris illata pagis, ne quidem hodiè compensata.

Demum anno MCCCL. die SS. Simoni & Judæ sollenni, filiam Valdemarus suam Ingiburgem, Henrico Alberti Ducis Megapolensium ac Euphemie filio conjugem promisit, aviam Erici cognomento Pomerani, & proaviam Christophori, Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ regum potentissimorum. 1350.

Hæc inter quandoquidem infandum Magni scelus indies in vulgus magis emanaret, & monitus vitæ corrigendæ jurejurando etiam abnueret emendationem, Sueones anno MCCCLI. ipsi omnem renunciant obedientiam, Erico ipsam pollicentes, Magno in Scaniam secedente, ubi suos parasitos & impietatis ministros consulit, quomodo rebellionis manus apponenda foret domandæ, & filii potentia suppressenda. Hinc quorundam svasu ardelionum, clam suppetias à Dano flagitans, responsum illud refert, Valdemarum accepto de Scaniæ restitutione promissò, non alienum fore à subsidiis impertiendis. 1351.

Deinde hoc negotio aliquandiu ultrò citroque agitato, tandem Lundia præfules utrinque aliquot congregati, votum Dani ponderarunt. Sed Danus hac machinationem suam via lento procedere gradu animadvertens, MCCCLII. Orebrogiam profectus coram blandissimè, Statibus regni prorsus inconsultis, amicissimeque Scaniæ molitur restitutionem. Attamen dolus nihil obtinet, præter colloquium hac super re propediem Helsingburgi, cum Ducibus instituendum Megapolensibus, quos Valdemarus jura propter affinitatis suæ fautores iniquitati, certò sibi persvadebat. Quocircà ipsos per Selandiam suis Valdemarus impensis Helsingburgum magnifice perduxit, ubi procul dubio fraus Valdemari solito felicius processit, cum non multo post tempore, in castro Blechingiæ Lychensi Magnus & Valdemarus congressi, sædus adversum inimicos pepigerint. 1352.

Atqui XII. Martii, anno MCCCLII. mater Ingeburgis Varbergi, suo foundationem cœnobii Hofdensis in Norvegia à majoribus institutam, roborat diplomate, prædiisque ea cumulat lege, ut bis qualibet hebdomade illic pro animabus litaretur parentum, & pro suâ post mortem sacra peragerentur anniversaria. Atque præfatæ subscripsit etiam rex Magnus donationi, quâ liquet insuper superstitem adhuc fuisse Ingeburgem.

Hactenus aliquas, quibus Ordines regni Suetici provocati, se Magno sæpius opposuerant, recensuimus causas, nunc reliquas attexemus, quas

quas inter præcipuâ quod Rex despecta veterum amicitia procerum, sapientia & prudentia insignium, juvenum quorundam gauderet consortio consilioque insipientium.

1353. Horum verò agmine princeps erat Benedictus, Algothi Vestrogothorum Legiferi filius, de Folchungorum progenie descendens, qui Magno non solum intimus amicorum fuerat, sed Blancae plus æquo in deliciis habebatur; Quamquam spectabilis viri Ulphonis Amberni filiam Ingeburgem, doctissimi herois Caroli de Tofta Sueciæ Marschalci sororem, duxisset conjugem. Hunc itaque Magnus uxoris suafu, anno MCCCLIII. festo purificatæ Genetricis, ab Equestri ad Ducalem sublimaverat honorem, ipsi primarias regni functiones, munitiones & regiones commendans, filio ditionibus & vocabulo regio pristinaque spoliato dignitate, aliisque Sueonum summatibus consueta exutis dignitate. Unde odia statuum in Regem, quibus cicatrix aliquantulum fuit obducta, gravius recruduerunt, præsertim quod Benedictus non optimates regni tantum, sed ipsum etiam Regis natum, throni proximum hæredem contemptui duceret, propriamque virtute qualibet conspicuam uxorem, titulo Ducis inflatus, repudiaret. Quod frater & avunculus illustris Orchadensium comes Erengislo Sunonis ægerrimo ferentes animo repudium, contra Benedictum insurrexerunt. Ipsa verò adulteri vicissim spernens torum, votivam ad sanctum Christi tumulum suscepit profectionem, in qua viarum oppressa molestiis, ad superos migravit.

1354. Hoc pariter tempore, Valdemaro Danorum regi Hedvigis adulterii suspecta, cum Folquardo Lagmanson admitti, custodiæ mandatur Helsingburgi. Ast illuc post paululum Valdemaro accedenti, & pellicem noctu poscenti, de consilio nobilis cujusdam matronæ, consors vinclis exempta, in tenebris substernitur, quæ conceptam ex Rege Margaretam, anno MCCCLIII. in lucem protulit, potentissimam trium regnorum Dominam, hujus beneficio partus libertati & dignitati mox restituta fuit. Genitor autem filia adolescentis naturam tacite secum examinans, virilibus magis quam muliebribus obnoxiam affectionibus dictitare solebat, illud negligens vaticinium, quod Danis fausto, Sueonibus, Norvegis & Holfatis infausto prognata fidere. Quamobrem Valdemarus liberis auctus, de augendis regni terminis resumpsit cogitationem, molitionemque, anno MCCCLIV. mense Julio, ternos destinat Episcopos Daniæ Helsingburgum, cum nostris totidem de Scania denuò disquirituros.

Huitfeldius asseverat Danos pro suâ in Scaniam jurisdictione demonstranda, obtendisse quod comes provincias sibi tantummodo pignori datas, nullo jure Sueonibus vendiderit, ut neque Scanos huic innixos venundationi, legitime alterius dominio se mancipasse, velut quoque Hallandiam marito Ingeburgis feudo, non comiti datam pignori, ut ipsam Suecis venundare, aut oppignorare potuerit, non justo Danis titulo subtractam. Sed nequaquam hujusmodi prætenderant legati Danorum, utpotè quos minime latuit Scaniam & Hallandiam non à comite, verum Valdemaro legitime comparatas; Hic tamen communis moderno tempore Danorum est prætextus, exutis dolo Valdemari literis, nullam amplius historiam vel memoriam hujus existere apud Sueones sibi persuadentium. Atqui cum diplomatis genuinum de vetustissimo archivi nostri codice sumptum, nuper produxerim tenorem, Danis imposterum alia suæ jurisdictioni documenta confirmandæ, sunt circumspicienda, vel provinciae legitimo resignandæ Domino, aut pretium expositum, tot annorum scenore multiplicatum est, refundendum. Ades dum Rosfontane, qui tam

tam solerter usuram XII. millium marcarum à Sueonibus Johanni tuo numerandam computas, calculis fideliter subductis, dic sodes ab anno MCCCXLIII. ex LXX. millibus librarum argenti, ad MDCXXXV. quantum sc̄noris præter summam principem Regi Sueonum Dani persolvere teneantur?

Verum crapula te præpeditum hesternæ, vel potius invidia probe comperiens, ad colloquium revertor Helsingburgensē, quo cura Danorum commodum peractō, Valdemarus multimodis literis & nunciis Magnum provocat ad alterum, ac tandem illud Helsingburgi exeunte Septembri obtinet pari suo emolumento. Igitur anno MCCCLV. quartum ibidem poscit, illicque testante Huitfeldio, ad festum D. Baptistæ & Præcursoris, Reges congressi, saltem paciscuntur actionis prorogationem. Hinc luce clarius, quantum Valdemarus Scaniæ inhiarit, quantum in decipiendo Magno laborarit, & quam infirmis armatus rationibus negotium tentarit! Alias profectō suffultus modernis Danorum argumentis, citius pro arbitrio confecisset. Quid enim aliud suo potuit obtendere juri, quam preces & pretium, auxilium in hostem & liberorum connubium?

1355.

Interim hoc currente anno, moritur Petrus Lundensium antistes, & Jacobo successore confirmationis Avennione bullas præstolante, invadit Dux Benedictus Scaniæ gubernator, Ecclesiæ prædia, temerario quodam ausu illa occupans, & famæ ignominiam Magno concilians, Ducemque Ericum laceßens ad vindicandum. Is namque Benedictum Magni auxilio potentem debellare constituens, per connubium subsidia captavit, ducta in matrimonium anno MCCCLVI. Beatrice, filia Marchionis Brandenburgensis ex sorore Valdemari, & in dotem octo millibus librarum argenti perceptis. Nuptiis ergo peractis, Ericus ad affinem properat Hafniam, cum ipso belli molem deliberaturus, cujus nequaquam ingratus Valdemaro adventus, quod non impetratam à patre Scaniam speraret filium affinitate junctum facilius concessurum; Aut certè dum Suecia civili patrem filiumque inter flagraret incendio, ex Dania flammis affatim subministratis, quod posset Scaniam, Hallandiamque sibi met compendio subjugare. Proinde consilio & fortè auxilio à dolo acceptis affine, muneribusque, juxta Huitfeldium, remeavit Ericus, & Benedictum fugavit in Scaniam, expugnato illius in Hallandia castro Falchenbergi, soloque adæquato.

1356.

Infortunium sibi nimium dilecti formidans Blanca, Valdemarum de suppetiis Benedicto adversus proprium ferendis filium ipsamet accessit, certam ipsi spem Scaniæ faciens recuperandæ, si responderet postulatis. Verum & hac Valdemarus fiducia dejectus, cum anno MCCC-LVII. Jene copiarum festo S. Marci, Ericus cum parentibus & Benedicto in gratiam redierit; Siquidem illic sequestribus Alberto Megapolensium Duce, Henrico & Adolpho Holsatiæ comitibus, sub regnorum divisione pax restituta, Magno Uplandiam cum Stocholmia, Oelandiam, Gotlandiam, Vestrogothiam, Vermelandiam, Daliam & Hallandiam borealem capeßente: Ast Erico vicissim, Scania, Blechingia, Hallandia meridionali, Ostrogothia, Smalandia & Finlandia cedentibus.

1357.

Deinde cum Ordinibus non incognita regis Magni cum Valdemaro de Scania collusio, ibidem decretum quod diplomata jurisdictionem Scaniæ, Hallandiæ, Listriæ & Blechingiæ asserentia, Regi sublata, sub custodia quatuor Episcoporum & totidem Procerum secularium asservarentur imposterum. Illud tamen, prò dolor, statutum non executioni man-

mandatum, Rege subterfugia identidem quærente, donec illa Valdemaro per summum scelus resignaret. Qui velut Protheus varias assumpsit formas, donec voto potiretur, nunc hostem, nunc amicum simulans, modò patri, modo matri, & modò se filio accommodans. Hinc plerique historicorum Valdemaro astutiam vulpinam, famem lupinam, audaciam leoninam, & perfidiam meritò tribuunt Jugurthinam. Quem tamen præ cæteris graphice & vivis magis coloribus depinxit Erpoldus Lindenbruchius in perveteri quòd nuper publicavit chronico.

Sed præcedente anno, nimirum MCCCLVI. querentibus Vandalicarum negotiatoribus civitatum coram Imperatore Carolo IV. de Nobilitate Holfatica prædando itinera reddente infesta, CC. equites, quibus Lubecenses & Hamburgenses turmas aliquot adjunxere peditem, purgandæ à latrociniis regioni protinus immisit. Itaque Henricus comes Holfatiæ gravissima ab his percepta vindicaturus detrimenta, insurgit contra urbium inhabitatores, & Magnus rex Sueciæ affinis ulturus simul injuriam, quoslibet civitatum mercatores in litore Scanico mercaturam exercentes halecum, captivavit. Indè verò commota emporia, Scaniam invadunt, omnes ibidem Suecos & Holfatos abducendo captivos.

Jam ad MCCCLVII. regressus deprehendo Ericum, Benedicto, dominium sibi aliquot in Hallandia & Scania adhuc vendicanti, bellum intulisse, atque Varbergo ipsi subrepto, ex præfatis exegisse ditionibus. Hunc autem in Sueciam ad Magnum profugientem, navi Boëtius Falck, Valdemari nomine quidpiam cum Magno locuturus, insequitur, quem ea propter Rex novus captivat, exosas parentis cum Dano praxes habens, in patriæ vergentes perniciem. Quamobrem discordia utrinque denuo gliscebatur, & pater arma filio illaturus, centuriones ablegat collectum militem, frigoris vehementia pro tempore impeditos, Erico interim regiam Sueonum urbem occupante, quæ Magno cesserat in distributione, atque pro summo regni principe semet vendicante. Namque festo D. Catharinæ virginis die, statutum contra machinantes fenatui perniciem Stocholmenſi ibidem promulgans, quod legibus de municipalibus insertum, nullam omninò parentis facit mentionem.

Quando etiam primarii quorumlibet Ordinum certatim illuc confluebant mortales, quem propter singularem corporis elegantiam, animi constantiam, & rei militaris peritiam, summopere venerabantur. Quæ in Ericum propensione subditorum, immeritò Magnus offendebatur, præsertim cum parentes quæ par esset observantia coleret, & sua rebellionem perniciem ipsis & toti imminentem patriæ, solum avertere conaretur. Atque hanc noctu diuque à Dano Sueonum cervicibus intentari non ignorans, anno MCCCLVIII. junctis cum Alberto Megapolensium Duce, aliisque Germaniæ principibus armis socialibus, V. Idus Januarii, provincias Valdemari populatur.

Sed die Martis post Dominicam, ut vocant, Oculi, Magnus Helsingburgi cum assensu Erici filii, clarissimo viro Trottoni Petri, suo Consiliario, & Gustavi I. Sueonum Regis tritavo materno, prædium Hallandiæ Racheby jugiter possidendum assignavit, alibi terrarum accepta compensatione.

Tandem hoc anno finem versus properante, Danus Magnum & Blancam crebris Hafniam internunciis, literisque invitavit blandissimis, ipsos per sollennia Natalis Dominici magnifico excepturus convivio, ceu potius Scaniæ defraudaturus peculio. Unde fraudis non ignari, pro

pro tempore, nequaquam comparent, & Ericus Jacobum Lundiaë præfulem conspirationis cum Valdemaro initæ suspectum habens, anno M-CCCLIX. Ahusia Nonis Februarii in vincula conjecit. Neque propter Eorenholmiaë captus usurpationem, ut Dani prætendunt, siquidem hanc nostri non emerint à comite aut Valdemaro insulam, quam neque licuit ipsi venundare, Lundensi attinentem Ecclesiaë, & multò minus Erico illum propter Archipræsulem captivare. 1359.

Igitur Danus suam cum Antistite proditam videns molitionem, & Scanos ab Erico tam graviter in obedientia Sueonum contineri, ut ditionis videretur spes præcisa recuperandæ, nisi per matrimonium filiaë cum Haquino Magni filio contrahendum, & suppetias Regi Suecorum adversus Ericum & proceres rebellantes, amicè spondendas, horum nomine Hafniam convocat Magnum, Blancam & Haquinum. Illic autem remotis arbitris, post aliquam utrinque dissertationem, Magnus in Scaniaë resignationem, & filii connubium assensit, celebratis mox sponsalibus, & amplissimis deferendo subsidio acceptis promissis, in Scaniam revertitur.

Affirmat in sua Huitfeldius Historia, illo Hafniaë symposio, Valdemarum binas vicissim parochias Magno in Hisingensi donasse insula, hodie regno Suetico attinentes, idque si verum, non dissimile profectò Tilonis Engelspigelii lepido facinori, quando gallum rustici proprium solutionis nomine certioris, pro gallinis inde transportandis, pignori reliquit. Quandoquidem tota Hallandia cujus portio Hisingen, juris esset Suetici, non Danici, nostratium ære comparata, non à Valdemaro donata. Verum his Dani paradoxis nostræ illudunt simplicitati, non contenti tanta Sueones affecisse injuria, insuper addunt ludibria. Id ipsum nomine facit Scaniaë Lætus in Epithalamio Friderici II. Danorum Regis:

Quo Danos Svecia lucro

*Moverit? an cæca rerum spe ducta futurum
Id putat, ut Gotthis accedat Scaniaë limes
Regnorum medio sit fixus in æquore, &c.
Hæc equidem veteris sunt mundi somnia. Sed nec
Numina justa sinunt convelli limina regnis,
Nec sua jura levi concedet Scania Gottho.*

At causam Suecorum æquiori ponderans deinceps trutina idem Poëta, & pecuniis provinciisque illos spoliare summæ iniquitatis locosentens ducendum, simulque Danos hujus subinde pœnas injustitiæ, armis nostrorum impetitos, luere non ignorans, in descriptione belli quod Albertus contra Margaretham ratione movebat Scaniaë, multò cecinit sobrius:

*Scania materies semper fuit una, manebit
Materies semper, bellicue & cadis, ab isto
Posteritas rapiet tristes sibi fomite pugas,
Hæc direpta ferent Scanensia prædia Dani,
Suecia nec fuso quod partum est sanguine linquet.
Hinc igitur populis suaderem fœdera. Quid si
Scania Margretæ cedat, tibi pondere magno
Venerit, ac justa depensa pecunia lance?*

Sed ad propositum, vel potius Hatniente symposium redeat oratio, ubi Magnus Scaniam Valdemaro illa pollicitus est conditione, quod ipsam Erico armis subduceret, se interea connivente, ac subsidium plus æquo differente. Itaque Danus provinciam invadens, Erico non præmonito, arcem subigit Solsburgensem, & quasdam alias in Scania & Liffria, suisque firmavit præsidis munitiones. Verum regis Erici subolfaciens adventum, lectissimis stipati copiis, inde maturavit quantocius arbitum, prænobilem virum Petrum Daa, Magni capitaneum, castrum forte tergiversantem prodere, secum in Sielandiam abducendo captivum.

Historia verò Danorum duo hic comminiscitur, inprimis quidem non metu adventantis Erici, aut victualium penuria compulsum signa reduxisse Valdemarum, quasi pecorum ditissima, & frugum regio feracissima, hosti tantillo tempore moranti commeatum nequiverit subministrare? Alterum quod Valdemarus ereptas affini ditiones & arces, in obsequium regis Magni compulerit, & tamen suo illas firmat præsidio, Magnique servitorem fidelissimum rigidæ traditum custodiæ in Sielandiam absportat, quæ ut cohæreant viderint Dani. Verissimum nihilominus Danum illo in Magnum officii prætextu, regionibus & munitionibus magis quam armis potitum, quas Ericus suorum adjutus industria mox Danis eripuit, in quos gravissimè desæviit, nè confugientibus quidem ad Ecclesias parcendo: velut etiam illos Scanorum pro meritis perjurii pœnis multaverat, qui contra fidem toties Sueonibus jurejurando & literis promissam, cum hoste colluderent. Hinc nullo Dani jure crimen sævitæ, sacrilegii & impietatis Erico impingunt, legitimè parata defendenti, & Valdemari aliena per nefas invadentis commendant perfidiam.

Igitur hac Ericus potitus victoria, cum parentibus de regionum prodicione graviter exoptulat, quos, Valdemaro etiam suboffensos propter captum perfidè Petrum Daa/ eò tandem pertraxit, ut pactis de Scania & matrimonio sancitis, renunciarent, & in connubium Haquini cum Elizabetha Henrici Ferrei Holsatorum comitis sorore, adeundum consentirent. Quocirca literis & nunciis aliquandiu negotium est actum, & tandem illa peractum cautela, ut si Magnus, cujus in dubium vocaretur constantia, illi poneret obstaculum matrimonio, thronum cederet Henrico, Sueonibus à sacramento fidelitatis ipsi præstito liberatis, & XII. regni Proceribus sponsione obligatis, quorum potissimi, S. Nicolaus Lincopenis, Henricus Wexionensis, ecclesiarum præsules, Nicolaus Turonis Dapifer, Carolus Ulphonis Marschalcus, Boëtius Jonæ, Carolus Antra, Ericus Caroli & Benedictus Philippi, Equites torquati; Sinverò Henrici culpa conjugium non procederet, LX. millibus argenti libris, & insuper arcis sibi oppignoratæ Calmarnensis amissione multarentur. Nam quod Crantzius LX. millibus auri talentis multam æstimet, hallucinatur, cum illa fuisset nimia, & hujusmodi nostris pondus extiterit inusitatum. Fuit etiam Haquino Elizabetha sanguine juncta, sed gradu remotiore, quàm ut cognatio nexum matrimonii posset dissolvere. Ut pariter Henricus illi affinitate propinquus, Haquini conjugem habens, filiam Alberti & Euphemie, & proneptem Magni II. Gothorum regis.

Quamobrem Ericus de rescisso cum Danis fœdere, & novo cum Holsatis percusso sibi & patriæ gratulans, indies majora in regni ornamentum & firmamentum moliebatur facinora, non citra parentum indignationem, gloria & successu filii prosperiori maligne offensorum. Ea propter necem ipsi machinantes, prætextu ardui cujusdam negotii co-

ram peragendi ad se vocato venenum propinant, quo XX. dierum transacta intercapedine, animam efflavit, in agone parentibus fatum imputans præmaturum. Chronicon Daniæ uxorem & liberos eodem sublato haustu pestifero attestatur, scelus Magni & Blancae magis execrabile reddens, quod infontem filium, nurumque & nepotes innocuos, de medio tollere non sibi duxerint religioni.

Magnopere deinceps Regni Ordines, Erixi cognito interitu, Magno succensuerunt, usque eo ut diademate spoliatum, non folio duntaxat, sed etiam solo expellere Sueciæ, Gothiæque decreverint. Verum horrendis se denuò juramentis obligans, & vitæ promittens emendationem, obtinuit pristinam obedientiam & potentiam. Atqui Benedictum Algothi, velat conscium facinoris, & fortè complicem Optimates aggressi, Erengisione comite Orchadensium, & Carolo Ulphonis Marschalco, antesignanis, quæ hujus ergò criminis, quæ etiam repudiatae gratia uxoris, trucidarunt, in cœnobio tumultatum forsitan Sorensi, cum insignia nomenque illius hodiè in pariete ibidem delineata visantur. Illa verò leonis effigie conspicua, Benedictum de profapia genus derivare Folchunorum, non obicurè insinuant.

Neque tamen Magnus, & consors piaculi administra nefarii, scelus impune tulerunt; siquidem Latus Antistes illo permotus, ut etiam regiæ vitæ abominatione, Hemmingi Finlandorum Episcopi hoc circiter tempus captivatione, & denarii Petrini usurpatione instigatus, ipsum anathemate feriebat, atque sacrorum toto regno mandabat intermissionem, per sequens lustrum continuatam, quod Rex sceleri contumaciam Jungeret, & pœnitundinem contemptu mutaret.

Valdemarus autem Rex Danorum æmulo liberatus, & tacita cum Magno invitatus molitione, anno MCCCLX. Helsingburgum obsedit, Suecorum Rege auxilium deferre obsessis procrastinante, tandemque illuc cum mediocri exercitu advolante, non tam pugnandi, quam castrum Danocupidus prodendi. Siquidem mox collocuti, amicitiam renovant, fœdus instaurant, & conjugium restaurant liberorum, Valdemaro fraternum amorem, subsidium in quoslibet hostes, & montes aureos dolosè pollicente; at Magno vicissim Helsingburgum, totamque Scaniam resignante. Sed quàm steterit Danus promissis, cum summo suo Magnus deinceps expertus infortunio, prout actutum constabit. Is tamen fatuo similis, hac subnixus amicitia, adversum regni sui Proceres, qui hujus ipsum perfidiæ accusabant, vel filio Erico prius adhærebant, insurgit, non paucos illorum bonis exutos patria exturbans. Qui bruma ingruente in Gotlandiam delati, ad primordia veris illic morantur, quando Albertum Megapoliæ Ducem accedentes, Regis perjurium & suum queruntur infortunium. Quos ipse consilio & auxilio recreatos, in sua detinet aula, sapius affinem pro ipsis frustra sollicitans, & à patriæ dehortans prodicione.

Atque hæc Optimatum prima proscriptione, quam nostri confundunt Historici cum ultranea sponforum ad Henricum comitem, anno MCCCLXIII. profectio, licet Dani & Holsati distinguant Scriptores. Hinc connubium illud cum Alberto deliberatum, & irritum ab ipso vindicatum falso memorant nostrates, ut copiosius infra dicturus, modo remeans ad Scaniæ prodicionem. Quam propter, & animi sui turpissimam inconstantiam, Magnus à posteris ignominioso notatus cognomine, Smechius nuncupatur, hoc est blanditiis deceptus, & dolosa Valdemari persuasione seductus, ad resignationem tot provinciarum, tanto pretio comparatarum, & tanto literarum robore Sueonibus obsignatarum. Quanquam

quam illa Regis perfidia jus nostratibus in memoratas non præripiat ditiones, quod justitia etiam ad modernos illibatum transmisit regni nostri monarchas.

Quod verò Huitfeldius referat Magnum, anno MCCCLX. sponte documenta Scanicæ emptionis Valdemaro assignasse, veritati facit injuriam historicæ. quam Lindenbruchius, & ipse Danus, in chronico prodit Danorum, affirmans dolo literas Magni à Valdemaro crematas; idque proinde commissum dubio procul dedecus à Dano Hafniæ, anno MCCCLIX. in caro nimium Sueonibus epulo, ubi fortassis Magnus ex animi quodam candore, illas demonstrandi juris gratia produxerat. En Dani, quâ possideris Scaniam jurisdictione & religione!

Sunt tandem nonnulli Scriptorum, qui Danos jure dotis per Magnum & Haquinum Margaretæ propter nuptias assignatæ, Scaniam & Hallandiam possidere fabulantur, ignari legum Sueticarum, quibus sponsa dotem sponso adportat, non vice versa: multò etiam minorem, quam XLIX. millia librarum argenti, quæ tamen cum Ordinum assignanda suffragio. Sin verò anaphernalium loco Scaniam cessisse olim Margaretæ contendant, obsistet quoque legum tenor, protestans inconsultis tanta anapherna Statibus deputata, & contestans mortuâ Margaretâ provincias ad dominium devolutas Suecorum.

1361.

Sed in re frivola plus æquo versati, ad Magni & Valdemari regrediamur amicitiam, quæ siquidem illa præ reliquis coaluit conditione, ut Magni rebelles domaret & ad pristinam revocaret Valdemarus obedientiam subditos. Idcirco pactis & Magni votis Danus satisfactus, Olandiam, non satis aliquandiu morigeram ingressus, Borcholmi-um expugnavit, illoque novis firmato præsiidiis, insulam crudelissime populatur, & DC. incolarum datis internecioni, residuos præfectorum tyrannidi suorum commisit, & proram Gotlandiæ infestam obvertit, quod Erico hætenus magis etiam fuerit addicta, quam Magno, licet huic sorte obvenerit. Sed indigenæ cognito tyranni adventu, ipsum non imparati excipiunt in terram descendentem, anno MCCCLXI, XI. Calend. Augusti, & bis ab ipso profligati, tertio pugnam restaurant, eodem tamen successu; Siquidem militari frequentia & experientia longè inferiores, in fugam avertuntur, amissis MDCCC. & Danus victor non incruentus, castra sub Visburgum promovit, mandans Regis nomine Suetici civibus deditioem. Proinde amicum rati, portas urbis pandunt, sed insidias veritus, prostrata mœniorum parte, civitatem plenis ingreditur signis, quam mox immensis spoliat bonis, neque sacris neque prophanis parcendo. Atque cum illic potissimum maris balthici floreret illa tempestate emporium, suas ibidem merces permagni sanè valoris reconditas habuerunt, urbium mercatores Vandalicarum, quas una diripuit.

His itaque ditissimis ex Visby manubiis, & prægrandibus quoque à plebe rustica spoliis & contributionibus navi impositis, velut etiam imperio suorum rigidissimo tota insula commendata, victrices reducit in Daniam harpias; Verum Deus injustitiæ acerrimus vindex, navim pauperum exuviis onustam, in medio demersit cursu, omni utraque insula thesauro per iniquitatem cumulado, intereunte. Atqui secundum Dani ex Olandia discessum, Sueones insulam protinus armis recuperarunt, Danis inde fugatis. Similiter Gotlandi Regis post modicum temporis aggressi præfectos avarissimos, in Daniam illos compulerunt. Quanquam Valdemarus incolas sibi redditurus obnoxios & propensos,

penfos, antequam inde remearet, IV. Nonas Augusti, quibusdam ornasset eos prærogativis : quas indigenæ tanto bonorum dispendio, & suorum oppressione, sanguisque nimia profusione, ac quotidiana tyrannide, diutius usurpare nolentes, se Domino submiserunt consueto. Etenim falsò asserunt Dani, Gotlandos hac fraude subactos, sibi jugiter auscultasse; siquidem auxilio Sueonum & Vandalicorum civium, anno sequenti Daniam populati, & biennio post Alberto illuc inprimis perducto sponderint obedientiam, quam & ipse pro XX. millibus Nobulorum deinceps ordini Crucigerorum oppignoravit, sicut operis manifestabit procurfus.

Neque minus hallucinantur Dani, prætexendo, contempto filiarum matrimonio provocatum Valdemarum, Gotlandos & Oelandos subjungasse, quandoquidem superiori restauratum anno, hætenus permanferit illibatum ex parte Regum, licet proceres regni Suetici & Holfati interim vehementer tumultuati.

Fallitur denique noster in sua Ericus conjectura, opinans consensu Magni Oelandiam & Gotlandiam non vastatas solum, ast etiam à Dano submissas. Enimverò audita Oelandiæ subactione, Magnus extemplo armatis eò destinatis, non ipsam recuperasset, ut neque Gotlandiam repetiturus, mox cum Holfatis & Vandalicis conspirasset civitatibus. Solum præfatos ad obediendum Magno populos, non sibi subdendum, habuit Valdemarus commissum, quo ille abusus perfide, pecus non torondit, sed avidissime deglubebat.

Clarissimus Gothiæ scriptor Olaus Magnus libro X. capite XVI. sui operis, memorat Visby propter unius rupturam fenestræ, de tanto fortunarum culmine dejectum, tragœdiæ seriem subitescens. Ast primordia & incrementa hujus celeberrimi quondam emporii, insulæque conditio, principio hujus libri, & aliis à me publicatis codicibus, describuntur, velut quoque à Davide Chytræo, & Huitfeldio passim in suis opusculis; Verum hic falsa veris admiscet, ad elevandam Suecorum, & Danorum in Gotlandiam augendam jurisdictionem, & præsertim in historia Valdemari IV. Nam inter alia illic perperam recenset, Magno II. cognomine Ladulas, Suecorum Regi, primum se Gotlandos subdidisse, et si vetustissima hominum memoria & historia reclamant, affirmantes ab exitu Gothorum de Scandinavia, Gotlandiam Sueonibus obtemperasse; Atqui de hac alibi oportunitus.

Nunc alterum Huitfeldii commentum consideremus, asseverantis Visbyenses dignitate ornatos emporii, exigua Suecorum monarchis detulisse obsequia, ipsum falsitatis arguente non solum Gothica, sed etiam Danica historia. Hæc siquidem Gotlandos majoribus solito tributis vexatos, traducit rebelles, Reipublicæ tamen Sueticæ continuo sequaces, neque jugum ullibi locorum memorat ipsos Sueticum vel attentasse projicere, interim legitimos annuatim debita cum obedientia census numerando. Viden igitur Huitfeldi & Rosfontane, quam iniquo teneant jure vestrates hodie Gotlandiam, & tamen non erubescitis ad hanc Valdemari perfidam sapius provocare subactionem!

Ordines verò, Scanorum amissione, & Gotlandorum Oelandorumque populatione, merito in Magnum exacerbati, Haquinum scepro regni donatum inducunt ad captivandum festo D. Martini in Ecclesia Calmarnensium parentem, velut prædonem, non regem patriæ, & castro incarcerandum, quod Sueones numerata Henrico Holfatorum comiti pecunia nuper receperant. Verum plurimis denuò Magnus se obstrin-

gens conditionibus, & præsertim quod Holfatis & Vandalicis principibus civibusque confederatus, Scaniam repetiturus foret, & damna Gotlandiæ ac Oelandiæ inflictæ vindicaturus, simulque pacta quælibet deseraturus Danicæ, dignitati & libertati restituitur.

1362.

Enimverò urbes Ansaticæ mercibus in Gotlandia exutæ, & emporio negotiandi commodissimo destitutæ, anno MCCCLXI. ad finem vergente, ad sumendam de Valdemaro prædone vindictam, conspirant, classicum sequenti anno succenturi. Cum illis proinde Magnus Sueonum, & Haquinus Noricorum reges, Henricus Dux Megapolensis, Claudius & Henricus comites Holfatiæ, foedus & arma in hostem jungentes communem, anno MCCCLXII. ductore copiarum Henrico Fereeo, Selandiam infesta petunt classe. Atque post dierum aliquot oppugnationem, Hafniensi urbe & arce potiti, quibus ferro & flamma vastatis, Helsingburgum obsident. Sed Danus interea classem præsidio destitutam dolose in freto aggressus, senis captis, reliquas in fugam avertit onerarias & actuarias, illoque confederati detrimento mulctati, deserunt Helsingburgum. Deinde cognoscens Valdemarus majori bellum apparatu instaurari, generum Megapolensium Ducem, dote per fraudem hæctenus detenta, integrè numerata, inprimis à foedere abduxit. Deinde cum Vandalicis Lubecæ colloquio habito negotiatoribus, annuas die Mercurii secundum S. Martini festivitatem, obtinuit inducias, quibus etiam Magnus, Haquinus & Holfatiæ comites, simul comprehensi essent, modo suum intra sesqui hebdomadam panderent consensum. Id verò nostri propè Halmstadium adversariis manifestaturi, & sequentibus Maji Calendis, Nycopiæ in Falstria, omnis utrinque controversia per idoneos ventilanda decidendaque foret sequestres.

Liquet autem ex rerum eventu nostrates induciarum amplexos esse conditionem, qui Axvaldiæ Vestrogothiæ arcem, MCCCXXVII. dirutam, hoc etiam tempore instaurarunt. Neque hic silentio prætereundum, quod plerique Sueonum chronographi præfatam in Danos prælium, ab Alberto Megapolensium principe, propter Elizabethæ Haquino desponsatæ, sociorumque illic captivationem sentiant commotum. Sed veritatis naufragium patiuntur, quemadmodum ex Crantzio, & Danorum, Holfatorumque certissime constat historia, qua insuper recte perspicuum evadit, non emissis catacopsiis à Valdemaro, ut nostri perhibent, virginem interceptam, aut tempestate illuc delatam cum sociis detentam, ut sequens luculentius etiam monstrabit narratio.

Nam MCCCLXII. mense Octobri, suavis Consiliarioꝝ Magni inconstantiam subverentium, quidam Procerum, quos inter fuit Hermannus von Witzzen, Eques, in Holfatiam destinantur à Regibus, Haquini & Elizabethæ consummaturi matrimonium. Illuc verò perlati, sollennia connubii in castro Plœnensi, virginè Claudium fratrem inter & Alphium de Schouenborg comitem sanguine junctum, consistente, peraguntur, illique cognomentum Reginae atque ornamentum induntur. His autem ingenti festivitate peractis, cum sponsa instructissimis vecta navigiis Sueciam versus mense Novembri velificarunt, quos adverso in Daniæ pulsos vento, Valdemarus negotii haud inscius, malitiose demoratur; Atque hyemis præterens sævitiam, cœli inclementiam & itinerum malitiam, interea crebro literarum internuncio evocatis Magno & Haquino ad colloquium, suadet repudio Elizabethæ dato, suam capessendam filiam, & persuadet, indignantibus Suecis & Holfatis.

Veritus deinceps ne prolixa denuo poneret obstaculum mora, cele-

bri-

britatem nuptiarum sensuit maturandam, quam anho MCCGLXIII. 1563.
 Dominica venerando Paschæ festo pone sequenti Hafniæ transegit. Ubi
 genero & filia vacuum quoque Sueciæ thronum redditurus, & de quibus-
 dam suorum hostium vindictam capturus, ipsis & Magno, Blancaque
 liberaliter propinat venenum, quo non pauci expirarunt, & hos inter
 Blanca, mercedem promoti connubii, proditæ Scaniæ, ac filii achonito
 perempti dignam reportans, quam arbitror in Ecclesia Sorensi per-
 charum juxta Benedictum Algothi sepultam. Verum Magnus alexiphar-
 maco protinus accepto, mortem abunde promeritam evasit, medico,
 industria cujus liberatur, præter alia maximi pretii soltra, Ceciliam S.
 Birgittæ filiam connubio despondens; Siquidem hujus ibidem sponsus
 vir nobilissimus memorato etiam pestifero succubuit haustu. Non ta-
 men Valdemarus tam execrabile facinus tulit impunitum, quandoqui-
 dem Christophorus regni unicus hæres & filius, idem fortuito libans
 poculum, phrenesi actutum corripere, & paucos intra dies de vivis
 abriperetur.

Denique nuptiis peractis, Haquinus cum Margareta præperat in
 Norvegiam, & Elizabetha cum sociis de custodia evadens, in patriam
 ob repudium remeare sibi duxerat ignominiosum, quod non ab Haqui-
 no solum, ast etiam à Magno, teste Crantzio in sua Dania, sustinuit,
 qui mortua conjuge ipsam sibi desponsat, & bello à Megapolensibus im-
 petitus, quoque repudiat; Quocirca in Ostrogothiam profecta, ordinem D.
 Birgittæ nuper Vastænis institutum amplexatur, in quo & vitæ clauserat pe-
 riodum supremam. Atqui Henricus frater creberrimis sponsores hortatur
 literis ad servandam pactis fidem, alias præclaram nominis sui existimatio-
 nem scirent pro certo infamiæ labecula notandam. Hinc Procères va-
 dimonio constricti, cum aliquandiu Reges frustra promissionis & spon-
 sionis admonuissent, Comitem accedunt, diadema jure pacti deferentes:
 Quorum ipse multis collaudata verbis fide, & regio propter gravatam
 senio morbisque ætatatem honore recusato, jus suum uni levirorum,
 filio Alberti Megapoliæ Ducis permisit, ipsius suadens inaugurationem,
 quod de regia Suecorum genus derivaret prosapia, & Magno avuncu-
 lo, Haquinoque amitino, propter facinora throno indigna axiomate
 spoliatis, esset proximus regni hæres. His merito auscultantes, non in
 Sueciam regressi, deliberatum cum Ordinibus, velut somniat Huitfel-
 dius, sed inde Suerinum profecti, negotio cum reliquis illic exulanti-
 bus Gothorum summatibus, sicut etiam in Sueonia remanentibus per
 literas communicato, & communibus suffragiis approbato, secundo-ge-
 nitum Alberti in Suecorum & Gothorum monarcham auctorarunt.

Idcirco pater filii per Oceanum in Sueciam deductionem, instructam
 requirere viris & armis classem pro sua considerans prudentia, ipsam
 brevi admodum tempore apparat, & una cum novo Rege, Sueonumque
 optimatibus Scandiæ præram obvertit. Atqui nonnihil in altum provectis,
 occurrit Sueonum classis auxiliaris, Regem inprimis confirmandum Got-
 landis præsentans, & postea Smalandis Calmarniæ congregatis, tandem-
 que Uplandis solenni B. Andreae festo Stocholmiæ convocatis anno
 MCCCLXIII. sistens approbandum. Huc etiam Statuum literis citatus
 Magnus, querelas indigenarum auditurus, & se defensurus, non compa-
 ruit, in Norvegia, vel Hallandia delitescens. Quando in Asylensi agens cœ-
 nobio, privilegia Lundensium roborat, non ut Dominus Scaniæ, quam
 Danus ante biennium ipsi subduxerat, ast Hallandiæ moderator.

Huic verò mutationi nostratibus intentis, Valdemarus postridiè

Michaëlis Archangeli Lubecæ inchoatam pacis actionem cum Vandalicis consummaverat inſitoribus, quando ſuis titulum Gothorum Dano primi tribuerunt literis, quem tamen ipſemet neque antea neque poſtmodum ſuo uſurpavit diplomate. Demulcebant autem mercatores illo Valdemarum vocabulo propter Gotlandiæ doſoſam occupationem & dominium, anno MCCCLXI. arrogatum, & non diutius quam Protoplaſtes in paradifo mora prorogatum.

Sed hæc alibi, nunc ſuggerendum Ordines regni Suetici etiam hoc tempore, Iſraeli S. Birgittæ ſtratri, regias etiam detuliſſe habenas, quod regali Gothorum oriundus foret progenie, inſigni prudentia, authoritate atque ſapientia reliquis patriæ optimatibus antecelleret. Siquidem Magno vel Haquino filio, nullam amplius præſtare obedientiam decreviſſent, & principibus externis, licet hinc propagatis, ſceptrum tradere minus reipubl. conſultum arbitrarentur, quod à primordio throni Suetici nemo peregrinorum in hunc uſque annum uſurpavit. Verum Iſrael, quantis regia purpura diſcriminibus obnoxia eſſet ſedulo perpendens, ſimulque quanto famæ diſpendio Hoſſatis pactum violaretur, ponderans, declinandi gratia honoris tantisper Rigam ſeceſſit, donec Albertus illo potiretur, ubi ex terreno ad cœleſte vocatus regnum, in patriam refertur, & Upſaliæ tumulo paterno mandatur.

1364.

Itaque Albertus Procerum & parentis auxilio magis quotidie confirmatus in imperio, de conſilio eorundem, anno MCCCLXIV. hyeme decedente regni capeſſere diadema conſtituit. Hinc confluentibus Upſaliam Ordinibus ad ſolennia coronationis, denuo Magnus libellis citatur, ſuam acturus ibidem cauſam. Sed ille ſecum Nicolao Lincopenſium Epifcopo, aliisque ſibi adhærentium quibusdam acceptis, divertit in Norvegiam, & Sueones Gothique in prato Morenſi, Regum electioni dicato, conſtituti, Magnum & filium ſceleris complicem ſolio deſtituerunt, his
 „ contra Magnum de codice promulgatis articulis: Nimirum quod abomi-
 „ nandum libidinis eſſet mancipium; Ablato B. Petri denario ſacrilegium
 „ commiſiſſet; Hemingum Abogenſis Eccleſiæ ſanctiſſimum Antiftitem ca-
 „ ptivafſet; Scaniam, Hallandiam & Blechingiam, non recuperato ære nu-
 „ merato, conjurato Sueonum hoſti conſignafſet; Ipi Gotlandiæ & Oelan-
 „ diæ commiſiſſet depopulationem; Hujus filiam Haquino procurafſet
 „ uxorem, contempta Elizabetha, quam ſub throni amiſſione ducendam
 „ ſponſiſſet; In patriæ excidium & Optimatum exterminium ſœdus cum
 „ Dano pepigiſſet; Latam ea propter à Præſule Romano execrationem con-
 „ temneret, illa quinquennio incredibili omnium ſcandalo implicatus, hinc-
 „ que pellicator, fornicator, perjurus, ſœdiſragus, ſacrilegus & hæreticus
 „ cenſeretur.

Igitur Magno tam enormia propter facinora, diademate privato, eodem regreſſi Upſaliam, caput Alberti redimiverunt, qui deinceps avunculi ſectatores bonis exiit, quorum numero Lincopenſium Præſul, quem prædiis Eccleſiæ nudavit, à Gotſchalco recuperatis ſucceſſore. Nihilominus tamen Magno fideles perſiſtunt, caſtra ſibi commiſſa ſtrenue propugnantes, & potiffimum Abogenſis Præſes munitioſis, qui ſuppetiis ad-juſtus Epifcopi, à Magno licet nuper compediti, arcem nulla ratione Alberto dedere volebat.

Quamquam verò Datus jure pacti à Magno imploratus, tamen ille ſecum perpendens Alberti filium unam ut Magni alteram, habere matrimonio filiam, amico non ſuccurrit, & quidem tanto, quod propter mirum erga Valdemarum amorem, in illas rebellantium ſubditorum turbas
 ſe

se non dubitatio præcipitare. Undè Sundii opera Bernimi, Pomeranorum Ducis, die Veneris festum Baptistæ præcedente, Vandalicis, denuo ipsi offensis reconciliandus Urbibus, Magnum Haquinum & Albertum cum filiis paci voluit simul includendos. Quod ipsum Anfaticæ factitarunt, Magno & Haquino cis XVII. Septembris consensum, vel discensum præbere obligatis. In hoc tamen utrique Waldemarum gratificatus, quod Alphium Johannis comitis filium Magno & Haquino propter Elizabethæ repudium vehementer infensum, feudo noluerit prius Femerensium donare quam se arbitro in gratiam, cum utroque redire polliceretur. Etsi potius generi, quam Magni Waldemarum illud respectu fecisse videretur, obsequium, quod præsentis anno, Dominica ut loquuntur Oculi, exhibebat. Quamobrem Albertus Dani non formidans domi insidias, in autumnum copias duxerat in Finlandos, ipsos ad obedientiam quoque perducturus, inprimis Arcem oppugnans Abogensem, ubi præter alios cecidit magnificus vir, Nicolaus Turonis Suecorum Archidapifer.

Interea temporis Magnus ex Alberti captans oportunitatem absentia Sueciam recuperandi, prægrandi de Norvegia, Hallandia, & Vestrogothia comparato exercitu, anno MCCCLXV. illucite, cum filio properat versus Stockholmiam. Sed Uplandi residuis juncti Germanis, longe tamen potentia & frequentia inferiores, Regibus occurrere non formidarunt. Quos illi nihil minus quam prætolantes dissoluto incedunt agmine, quibusdam Arosiæ ad pocula residentibus, aliis Arbogiæ quiescentibus, & nonnullis vicinos oberrantibus pagos. Proinde hostis in omnem intentus partem, Reges, VI. Calenda Martii, festo D. Mathiæ solennes, ad pontem Ostani in parochia Tillingensi, animosè invadit, & ipsis strenuè obnitentibus, multum sanguinis utrinque profusum, à filioque patris vel fratris, & vice mutata à patre filii visceribus immergeretur. Sed tandem prospiciens Haquinus, victoriam adversariis inclinatam, patre & commilitonibus desertis, ex acie profugit Norvegiam versus, vulnere accepto, & ponte, ad prohibendam hosti insecutionem, ejecto. Ideoque visa Regis fuga, & reliqui certatim in hanc aversi, palmam Uplandis permiserunt Magno ab ipsis compedito, & Stockholmiam perducto in custodiam, anno regiminis XLVI. gloriose quidem inchoati, & aliquandiu continuati, ast infeliciter nimium terminati.

Præ cæteris vero conspicuus, occubuit hoc conflictu, illustris vir Magnus Roo, in Ecclesia sepultus Alvastrensium, cujus epitaphio annus MCCCLXIII. & V. Nonarum Martii dies perperam huic deputatur pugnae; Quandoquidem MCCCLXV. annus, & XXIV. Februarii dies, quorumlibet historicum calculo stragi assignentur memoratae, eaque propter error inscriptionis corrigendus est. Haquini autem domum reversi, ob rem infauste gestam & parentis infortunium mœrorem leniverat aliquantulum, natus ipsi de Margaretha filius hoc anno Olaus, & utrumque vindicare constituens, toto captivati patris septennio Albertum amittinum variis multavit detrimentis.

Sed neque interim Albertus suis indormivit rebus, qui duplici uno anno elatus victoria de Finnonibus & Norvegis reportata, sequenti Scaniam & Hallandiam à Waldemaro repetiturus, victoriam illuc signa convertit, à patre, & fratribus, Henrico atque Magno, plurimum roborata. Quippe Haquinum ob superioris anni cladem socero nequaquam succurrere posse sibi persuadens, oportunitatem recuperandæ ditio-

1366. nis advenisse tempus arbitratur. Atqui contigit ipsi, quod cani Escopico qui flumen tranans dolo umbræ majus repræsentantis, quod ore gestabat amisit etiam carnis frustum, grandiori faucibus inhiando. Etenim conflictu in Scania cum hoste celebrato illius fraude circumventus, non tantum provinciam non recuperat, sed testimonio historiæ Dacianæ, plures amiserat, Gotlandiam, Verendiam, Kindiam, Marchiam, mediam Hisingiam, & castrum Elsburgense, ditionemque subiectam Waldemaro, sub Aléholm anno MCCCLXVI. die Martis post D. Jacobi sollemnitatem jugiter possidenda tribuens.

1367. Harum verò regionum vice, Albertus residuum regni Suetici possessurus, & pater germanique Ducatum Megapolensem, comitatum Suerinensem, & Toparchiam Rostochensem pro se & hæredibus Dani jurisdictione penitus exclusa, in perpetuum usurpaturi. Atque cum Dux Albertus, sine ordinum regni consensu, unaque Albertus, Henricus & Magnus, his duntaxat subscripsissent decretis suffragium quoque statutum, colloquio prope limites ad Calendas Februarii anno MCCCLXVII. instituto, impetrandum fuit, quo Regi cum Proceribus utrique, & Ducibus Megapolensium, stato tempore comparendum. Neque Magnus carcere dimittendus esset, vel Haquinus à socero aut amitinis auxilio vel induciis fovendus, nisi suis hæc litteris comprobassent, quod ipsum die conventus Equites & nobiles L. simulque X. regni urbes primariæ à Principibus ad simul decreto subscribendum, invitati, essent facturi.

Hæc in suo Huitfeldius chronico, non ausus ipsum producere diploma, ex quo alibi Danos solum hodie apographum, sigillo urbis Vandalicæ legitimatum habere confitetur. Cujus etiam exemplar anno MDLXV. per Carolum Danicæm Fridericus Danorum rex, suæ in Gotlandiam & præfatas ditiones probandæ jurisdictionis gratia, Erico Sueonum regi transmisit; Quod tamen neque ille, vel prædecessorum ullus, momenti alicujus censuit, cum inprimis autographo Principum non extante, nullam mereretur fidem; Deinde licet genuinum deprehenderetur, nihilominus siquidem in præjudicium jurisjurandi ab Alberto Sueonibus præstiti, legum Sueticarum & suffragii ab Ordinibus non impetrati, esset concinnatum coram legitimis causarum æstimatoribus, nullum obtineret momentum; Cujus Dani pro sua prudentiâ non ignari, nullo veteris ævi cum nostratibus habito colloquio, illud ausi sunt producere, quod nostra Huitfeldius memoria neque integrum suo inseruit operi, neque incerta fideliter lectoribus proponit, ipsa in obsequium causæ Danicæ torquens & malitiosè pervertens.

Quippe Huitfeldio in suo admodum familiari Chronico, documenta suis patrocinantia integro & prolixo inducere contextu, adversantia verò aut penitus excludere, vel mutila inserere, aut scholiopiam pervertere, ut rerum imperitos in errorem pertraheret. Ideoque nullius usque perniciosam nostratibus existimò historiam, atque Haraldî Huitfeldii, nisi cum singulari legatur judicio & discretione; Tunc etenim propriis ipsum verbis frequenter jugulare licebit, velut etiam hoc fragmento, ubi mediam Hisingensium insulam Waldemaro per Albertum, memorat assignatam, & ipsam dominio tribuens Waldemari, Magno ipsius benevolentia binas duntaxat parochias cessisse. Et hujusmodi quidem toto ipsius opere passim obviant antilogiæ, quibus omissis ad conventum inter Reges, anno MCCCLXVII. Calendis Februarii celebrandum relabimur.

Quò tantum abest, ut nostrates congregati decreto subscripserint Aleholmensi, ut de tam indigna regionum prodicione certiores facti, advocato in auxilium Haquino hujus nomine, aliorumque ergo gravaminum, apertam moverent Alberto rebellionem anno sequenti. Et potissimum Uplandi, alias causæ Regiæ addictissimi, ea propter Alberto & parenti succensent, ut liquet ex litteris ipsorum ad Gothos perscriptis, quibus ad tuendam patriæ libertatem illos instigant, prodiciones, perjuriam & perfidiam Megapolensium, in ipsam graviter exaggerando, hasque non Olaus solum Neritius, sed etiam Huitfeldius suo produxit chronico litteras.

Proinde Haquinus quâ liberandi parentis, quâ etiam patriæ de manibus prædonum vindicandæ gratia, monentibus obtemperans, Gothiam multis succinctus copiis ingreditur, eventu tamen sperato frustratus remeavit. Immo ipsimet Megapolenses, tantum in Sueciam facinus agnoscentes & detestantes, ab ordinibus serio hujus commoniti, pacto stare sibi dedecori judicant. Quamobrem anno MCCCLXVIII. 1368. comitibus Holsatiæ, civitatibus Vandalicis & Optimatibus Juthiæ in belli societatem Wismariæ, festo conversionis Paulinæ, contractis, proxima æstate Daniam terra, marique oppugnarunt, iniquitatis pactum rescissuri, & Scaniam, vel potius totam Waldemaro Daniam subducturi. Hinc Vandalicæ Selandiam, Holsati Juthim ac Fioniam, & Sueones auxilio Megapolensium, Scaniam & Hallandiam, occuparunt. Quando etiam Albertus rex spe jam tenens imperium Danorum, Falsterbogiæ festo D. Jacobi die, Ansatice amplissima concessit privilegia negotiatus, in Dania perpetim usurpanda.

Horum verò diploma, trium coronarum insignibus, Albertus roboravit, quæ juxta Huitfeldium illam ob causam sibi desumpsit, quod etiam Daniæ & Norvegiæ thronum sibi polliceretur, neminemque Regum in Sueonia priorum, hoc usum antea stemmate. Atqui falsam esse Huitfeldii assertionem multis possem documentis probare, tria diademata Suecorum à remotissimis fuisse temporibus peculiaria insignia, ut Leo Gothorum, firmissime adstruentibus, nisi alio commodius loco facere decrevissem.

Ideoque bellum denuò contemplerur, quod in sequentem quoque annum prorogatum, maxima Danorum clade, ac Waldemari periculo, usque eo ut ipsius declinandi gratia, quando Dania præcipue Martis flagrabat incendio, ille sub specie peregrinationis votivæ, Romam se conrulerit. Interea Procures regni præsidio sui Regis destituti, & patriæ subversionem pertimescentes, Sundii colloquium cum adversariis impetrarunt, ubi pax ipsos & mercatores inter hæc præ cæteris sancita fuit conditione, ut in compensationem detrimenti, anno MCCCLXI. in Gotlandia per Waldemarum illati, reditus de Scania levarent annuos per trilustre spacium, datis hæc super re litteris postridie ascensionis Dominicæ.

Qua proinde Dani astutia, non cives modo sed etiam Albertum nonnihil mitigarunt, qui licet dominium Scaniæ propemodum apprehendisset, noluit tamen belli fociis ipsam subducere, vel hujus causæ novis se tumultibus implicare; Atqui temporis illo ad finem prope-rante intervallo, arma denuò parat in Scanos prout MCCCLXXXI. est commemorandum. Interim verò satis negotii Haquinus ipsi faceffit, quos inter litem composituri, Procures regni utriusque anno MCCCLXX. 1370. mense Augusto colloquuntur, octo quidem Suecorum ex parte, &

1371. & totidem Noricorum, instructio quorum Bohusiæ, proximo Veneris die à festo Canuti Regis, fuerat obsignata. Verum re infecta, separantur, & Haquinus anno MCCCLXXI. armis patrem liberaturus, totis moveret viribus Norvegiæ Daniæ & Hemingii Abogensium Præfulis in Albertum, Stockholmiam undequaque oppugnant, prævalidamque ex diametro ad plagam urbis borealem erigens munitionem Kungzbergium appellatam.

1374. Quocirca diffusus suis Albertus viribus, XIX. Calendas Septembris in liberationem Avunculi his consensit pactis, quod omnem in Sueciam, & Scaniam quam haberet jurisdictionem Alberto consignaret, & castra hæctenus Sueonum possessa dederet; velut etiam nomine lytri, XII. millia librarum argenti penderet, datis LX. sponsoribus, qui præfixo tempore pecunia non soluta, Stockholmiam ingressuri essent, nec nisi plenè numerata egressuri, solaque viveret contentus Vestrogothia Magnus. Ac his promptè acceptatis & confirmatis, acceptum miro parentem gaudio secum Haquinus in Norvegiam perduxit, ubi miseram clauserat vitæ periodum, anno MCCCLXXIV. in lacu prope insulam Kungzholmensem, Bolmefjord nuncupato, fluctibus submersus. Funus verò Regium ex sententia quorundam annalium, Cœnobio conditur apud Vestrogothos Gudhemensi, quod ipsemet vivens in Wastenensi ordinasset tumulandum, teste monasterii hujus chronico, propediem divulgando. Sed proximo Waldemarum Danorum rex, VIII. Calend. Novembris, morte abreptus anno, Soræ mandatur sepulchro.

Itaque metu tantorum liberatus hostium Albertus, per summam in Sueones cæpit dominari tyrannidem, nulli horum justitiam administrans; regnum crebris exhauriens tributis; Sueciæ Optimatibus contemptis, & subsannatis, sola utens quovis reipublicæ officio Megapolensium suorum opera, his feuda impertiens, nobilissimo Sueticarum virginum connubio hos decorans, quamquam plerique tonsoribus & fitoribus prognati forent, & dolo Regii censerentur cognati agnatique. Neque illos duntaxat variis quotidie donis affecit, ast etiam Heroinis & concubinis in Megapolia remanentibus, permagni precii annuatim destinaverat apophoreta, quo insuper hac profectus tempestate, immensos Suecorum thesauros imprudenter profudit. Nam Wismaria cum potissimis Germaniæ inferioris magnatibus consultatione peracta, ipsos splendidissimo, sumptuosissimoque in plurimos dies excepit convivio, multiformi tripudio, præcelebri hastiludio, varioque demulsit dramate.

His autem gloriose finitis, vacua domum retulit scrinia, secum præterea insatiabilem Garptiarum suarum inde gregem huc traducens, qui Sueonum quoslibet crudeliter dilaniavit, velut actutum constabit. Neque horum ingluvie satianda indigenæ solum ad paupertatem reducti, verum & ipsemet Albertus, adeo ut suasu earundem voraginum helluonum, ardelionum, lenonum, parasitorum, mimorum & scurrarum, tertium quodque ab Ecclesiasticis & Politicis extortum prædium, suo deputarunt luxui, & reliquorum fastui Megapolensium explendo.

1377. Interea Dani Regem designaturi, votis aliquandiu certabant, quibusdam Ingeburgis, reliquis Margarethæ, filiis diadema contendentibus porrigendum esse. Illa & Henrico Megapoliæ domino natus Albertus, hac & Haquino fatus Olaus, qui matre plurimum adminiculante, prævalens tandem suffragiis, anno MCCCLXXVII. festo repertæ cru-

crucis salutiferæ, Danorum Rex designatur. Hic mortuo parente, Norvegiæ sceptro etiam potitus, se Danorum, Noricorum, Slavorum Regem, & Suecorum scribebat hæredem. Sed Haquinus superstes, licet Albertus rerum potiretur, Sueciæ & Norvegiæ Rex compellari volebat, quod MCCCLXI, thronus ipsi Gothorum collatus foret; ex quo mox per suam excidit imprudentiam. Quibus & Margareta titulis, ab utriusque obitu, antequam Sueciæ dominium sortita esset, titillatur, præbens bellis amplissimam occasionem, per Megapolenfès ipsi deinceps illatis, cum Suecorum nimio detrimento & Danorum emolumento.

Itaque annum MCCCLXXVII, noster attigit calamus, quo Richardis, quam alii Rechissam, seu Rixam nuncupant; consors Alberti regis, de quorundam opinione fati sublata est, parente genita Ottone, Suerinenium vel Rùpinensium comite. Deinde filiam Magni Torquati Brunsvicensium Principis, Helenam, sibi Albertus sociavit, his suscipiens uxoris Ericum, Albertum & Richardem; quorum matrimoniam postmodum referemus, & nunc Avi expeditionem in Danos hoc factam anno consideremus. Enimvero Albertus inauguratione Olai, & sui de filio Henrico nepotis nimium offensus exclusione, ingenti bellum sumptu parat in Olavum, rege Suecorum Alberto in societatem pertracto. Atqui classem Oceani procella obruens, ad pacis Albertum commovit tractationem, & huic intento avum & nepotem mors surripiens, pacatas Olao liquit habenas. Cujus etiam tyrannide anno MCCCLXXX. Calendis Majis, patre Haquino orbatus, fasces Norvegiæ consequitur; Neque anno MCCCLXXII. ut quidam somniarunt, in fata concessit Haquinus.

Idem similiter annus quibusdam regni Suetici erat exitialis civitatibus, videlicet Scarensium, Jenecopensium, Oerebrogensium & Arosiensium, quas fortuita flammæ absumpsit sævitia. Verum Stocholmia non ædificiorum, sed animorum flagrabat hoc tempore incendio; Siquidem & ipsam Albertus peregrinis repleverat negotiatoribus, qui fortunis & indigenarum invidentes lucris, inhiantesque, sæpius Regem confictis criminibus in perniciem illorum sollicitarunt. At ille totius inde regni formidans rebellionem, illis pro tempore non auscultavit, sceleratum animi votum octennio differentibus. Deinde quandoquidem terminus Scaniae præfixus recuperationi MCCCLXIX. effluxisset, Scheningiæ Albertus, indictis ordinum frequentissimis comitiis, causam denuò legatis Scansium proponit, & post mutam utrinque disceptationem, tandem anno MCCCLXXXI. Dominica passionis annuas & trimestres paciscuntur inducias, quibus Sueonum nomine, Boëtius Jonæ, regni Dapifer, Steno Benedicti, Marschalcus, Ericus Caroli, Porsé Geet, Equites, & totidem nobiles Germani, subscripserunt. Et horum Huitfeldius producit literas Scanis traditas, sed quas vicissim nostris ipsi porrexerunt, tacitus omnino pertransit, non alienum à sua faciens consuetudine. Quippe sponderant illi tempore præfinito, aut pecuniam à Magno rege olim expositam cum fœnore numerandam Alberto, vel Scaniam, Hallandiam & Blekingiam, ipsius cessuras potestati. Quæ profecto malitia, in probæ fidei non cadit historicum, quorum numero locum ille non meretur, qui nulla veritatis habita ratione, ea solum literis mandat, quæ causam suæ nationis suffulciant, & vicinorum prosternant.

Sed Huitfeldio cum suis dimisso fraudibus, ad Boëtium Jonæ redeat oratio, qui odio flagrans Caroli Nicolai, nobilissima orti progenie, ipsum anno MCCCLXXXII. Stocholmiæ ad necem quæsit, & velut ad asy-

lum in Ecclesiam Franciscanorum profugientem insecutus, coram summo trucidavit altari. Contentionis verò causam nostra non memorat ullibi locorum historia, solum cædis annum designans, MCCCLXXXII. vel sequentem.

1383. Quando etiam Albertus de Scanis pactorum transgressoribus, vindictam sumpturus, Scaniam prævalido invadit exercitu, MCCCLXXXIII. & Lageholmensi expugnata munitione, à Marschalco Danorum copiis etiam succincto, ad inducias iterum permovetur, non fugam, ut Huitfeldius comminiscitur. Neque Albertus solum Scaniam ambiebat, sed & Norvegiæ thronum, quod, ut Olaus Haquini Noricorum regis abnepos, sic Albertus pronepos, gradu diademati uno esset propinquior capeffendo. Etsi non tam hujus regni offenderetur dispendio, quam quod Olaus & Margareta Sueciæ titulos & insignia usurparent, contendens Haquinum amittinum, propter violationem pacti cum Henrico Holfatorum comite sanciti, aliaque in patriam minus approbanda facinora, suo in Sueciam jure, filiumque Olaum merito spoliatos esse. Albertus verò ex Scania in Sueoniam reversus, die Veneris festum exaltatæ ab Heraclio crucis præcedente, in castro Gripsholmenti, facta quarumlibet simultatum, injuriarum, excessuum, amnestia, in gratiam cum Proceribus regni, & potissimum Boëtio Jonæ, rediit, Statuum privilegia suo diplomate confirmans, & ingenue confitens quod Sueonum consilio feliciter regni gubernaculo assideret.

Hinc fallitur Jacobus Gislonis, in sua designans Chronologia Boëtio hunc annum fatalem. Ut illi veritatis amplexi sententiam Chronographi, qui licentia regis Alberti aream fori Upsalensis, hoc anno vicinis dirutis ædificiis, plurimum dilatatam fatentur.

1385. Deinceps querentibus Ecclesiasticis & Politicis, quod sui per regnum coloni pristina non gauderent immunitate, à veteribus Sueciæ monarchis olim concessa, nuperque roborata, suo ipsam diplomate confirmat, anno MCCCLXXXV. die septem Fratibus dicato. Quod ipsum hoc tempore beneficium, confert Olaus Scanensibus, qui, Vandalicarum in ipsos dominio civitatum nunc expirante, Dominica sanctissimæ Triadis, Lundia homagium Olao & Margareta præstiterunt, obliti promissionis Alberto factæ, & freti potentia Olai duorum regnorum moderatoris, vel potius Margareta seducti astutia, quæ filii loco minorennis, utrumque tenebat gubernaculum.

1386. Anno salutis humanæ MCCCLXXXVI. non MCCCLXXX. vel MCCCLXXXIII. aut MCCCLXXXIV. quemadmodum vitiati quorundam supputant calculi, XIV. Calendas Septembris, præpotens ille Boëtius Jonæ, Suecorum Archidapifer, mortem oppetens, in asceterio Wastensium sepelitur. Hic tantum signati & defecati mutuo dederat Alberto argenti, ut Nycopensem, Calmarnensem, Abogenssem, Wiburgensem, Rasburgensem, Kryseburgensem, Forsholmenssem, cum Tavastaburgo, Oeresteno & Opensteno, provinciisque subjectis, pignoris vice obtineret munitiones. Has verò testamenti executores anno MCCCLXXXVII. Margareta consignantes, ipsi per commodam Sueciæ occupandæ præbuerunt oportunitatem. Prius tamen Olao privata filio, qui anno MCCCLXXXVII. immaturæ admodum, & ignotæ, testimonio Lindenbruchii, succubuit morti, & Soræ Augusto mense, humatur, extis Lundia coram ara Deiparæ tumulatis. Prondè Olao vivis exempto, regia Sueciæ, Dania, & Norvegiæ progenies, remansit apud Megapolenses, inde postmodum huc denuo propagata, sceptris Erico, Christophoro, Christierno, Johanni, Christierno II, Gustavo, Erico, Jo-

Johanni, Sigismundo, Carolo & Gustavo II. Scandiæ porrectis. Hinc Suecorum optimates regno pulsi, in Megapolia plerumque refugium habuerunt & præsidium, illius Duces in Sueoniam traducere machinantes. Quos inter superiori fuerunt ævo Gustavus Trolle, Johannes Brafschius, & Magnus, Sueonum Antistites, prout historia Gustavi I. liquido manifestabit.

Atqui nunc ex diverticulo sermonis ad Olaum properemus, quem progressu temporis mentitus factione & oratione filius nutricis, à Margareta Falsterbogiæ, concrematur, non modicum suspectam reddens mortis, filio dominandi libidine procuratæ. Is namque rogo imponendus protestatur se legitimum Margaretæ atque Haquini sobolem, & quorundam auxilio sicam evasisse intentatam. Unde Margareta de hoc perplexa negotio, ad quendam in corpore filii refugit nævum, & ipso hic non deprehensò, supposititii maturat supplicium, & Daniæ, Norvegiæque sibi diademata ambitiosè procurat. Enimverò Dani ab ipsa persuasi, XVI. Calendas Septembris, anno MCCCLXXXVII. Ringstadii sceptrum ipsi porrexerunt; Albertum Ingeburgis filium, denuo prætereuntes.

Deinde MCCCLXXXVIII. in Norvegiam profecta, indigenas in suam quoque permovit electionem, Dominica prima jejunii Paschalis celebratam, à legitimis throni Norvegici hæredibus seductos. Nam Albertus Sueonum Rex, Henricus & Magnus, Megapolensium principes, folio fuerant proximi, utpotè Haquini, Norvegiæ regis penultimi ex filia Ingeburge pronepotes, quos successioneis spoliavit prærogativa, coram Ordinibus axaggerando bella in maritum & filium, Noricosque, ab illis multo tempore propagata. Atqui exacerbatos ea propter Megapolenses mitigatura, & suæ pariter familiæ consultura, Henrici sororii nepotem ex filia Maria, Vartislai VII Pomeranorum ducis uxore, Henricum, adoptavit protinus in successorem, simul à Norvegiæ Proceribus confirmatum. Quibus tamen nequaquam satisfacit, velut sequentes ostendent pagina. Quidam etiam indigenarum erat, regio Noricorum oriundus sanguine, Haquinus Johannis appellatus, opibus & favoribus præpollens in Suecia & Norvegia, quem proindè affectati suspectum habens diadematis, in castro Achershufeni custodiæ mandavit, non indè prius expeditum, quam suæ renunciaret jurisdictioni.

Denique gemino Margareta throno non contenta, & tertium scandere machinatur, quibusdam Sueciæ Procerum Alberti tyrannide vexatis, clam suadens defectionem, quorum primarius, vir nobilissimus Dns. Birgerus Ulphonis, S. Birgittæ filius extitit, cujus germana gynæcæi apud Margaretam fuerat antistita. Reliqui verò Margaretæ sectatores & fautores erant, Steno Benedicti, Erengislo Nicolai, Ulpho Jonæ, Steno Stenonis, Turo Benedicti, Arvidus Benedicti, Equites, Canutus Boëtii, archiphonascus Ecclesiæ Lincopensis, & inde præsul, Carolus Magni, Tordo Bonde, & Gregorius Benedicti, generis excellentia & contribulium frequentia, potentiaque insignes.

Hos etiam testamenti sui constituit executores, Boëtius Jonæ, qui non solum Margaretæ, sed etiam Haquini plurimum favit partibus, idoque Boëtium & Albertum inter diuturna viguit similtas; primus tamen se literis obstrinxit Margaretæ, Algothus Magni, quem idcirco habuit deinceps percharum, & suum consiliarium, prædia in utroque regno non pauca ipsi conferens. Etenim Algothus anno MCCCLXXXVIII. pridie trium Regum, deposito fidelitatis juramento, Oerestenum & Openstenum prævalida Kindiæ & Marchiæ apud Westrogothos castra Margaretæ submisit imperio. Ipse autem sub feudo illa moderaturus foret, & post Margareta

retæ obitum, non Sueciæ, ast Daniæ Optimatibus, nempe Roschildensi, Ripensi, Arhusensi, Præsulibus assignaturus. Indeque luce clarius liquet meridiana, jam tum suis in Sueonia dominium ipsum Danis decrevisse. Nihilominus quamquam plerique Sueonum ista probè animadverterent, tamen Margaretam de subsidio invifere compelluntur, non deferendo illi diadema inprimis, sed auxilium pòscendo in tyrannum.

Neque ad hanc rerum studio novandarum, vel animi quapiam moti levitate, ut ipsis Crantzius falso exprobrat, verum perfidia, & tyrannide Alberti, reliquorumque crudelitate Megapoleñsum, quam totis XXV. annis, mira sustinuisent constantia & patientia, descenderunt rebellionem; siquidem tantæ pertæsi jam tyrannidis, & servitutis, præsertim spe nulla emendationis affulgente, obedientiam illi omnem Proceres renunciant, bellum denunciant, prædia muris & vallis militeque firmant; & opera XII. præfatorum Optimatum, suppetias in comunem poscunt hostem à Margareta. Nam & ipsos inter discordia in pugnam quotidie propendebat, cum Albertus ægerrimo ferret animo, quod Margareta non Scania & Norvegia duntaxat, se suosque per summum nefas exuisset, sed insuper Suecorum fastigio ipsum deturbare clanculum niteretur; velut etiam quod castrum è regione fundasset Axevaldensi, quo commoda præriperet Regi, subditisque, de hac inprimis injuria Præfectis arcium corrixantibus, & inde Principibus verborum primò contumeliis, & tandem armorum exercitiis decertantibus.

Quippè his provocatus sexum throno minus idoneum, & scortationem Sorensi cum Abbate, frequenter inter pocula Margaretae exprobrabat, addens juramentum de non gestando, pro consuetudine hujus ævi, cucullo, priusquam Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ subdidisset. Hinc etiam titulos pròtinus sibi arrogabat, se Suecorum, Gothorum, Danorum & Noricorum inscribens Monarcham, quod ipsum Margareta factitabat.

Verum quod Huitfeldius memoret, ea propter consueta regni Suetici Albertum immutasse insignia, tribus, in signum jurisdictionis in tria Scandiæ imperia, acceptis diadematibus, illud dissonum veritati, ut alias demonstrandum est. Neque tantis contentus Albertus convitiis ipsam onerasse, addit insignem sarcasum, prægrandem Margaretae destinans cotem, jubendo retusam acuere gladiatorum aciem, quæ in sempiternum rei documentum Roschildiæ suspensa, hodie visitur, ulnas aliquot longa, & quaternos lata digitos, prout Erasmus Danorum cecinit Poëta:

*Utque minus dubites limatis bella sarissis
Aggredier, rigidam mittit tibi Suecia cotem,
Albertusque monet gladiis adhiberier istam
Posse tuis, bebeti nè quid mucrone sequare
Eventus, bellis obtusaque præliâ verses.*

Idem deinde Vates, libro secundo sui poematis hoc de prælio conscripti, votum cuculli non gestandi haud invenustè recenset:

*En quod nostra tenet patrium manus amula cornu
Testor, in alta levans, magnorum tecta Deorum,
Et juro, capiti nunquam me deinde cucullo
Usurum, devicta prius quam legibus addam
Danica regna meis.*

Sed his prodit Albertus suam imprudentiam, quandoquidem nemo sapientum hostem, quamvis in specie abjectum, contemnit, multo minus tantæ potentæ fœminam. Huc etiam descenderant contemptus Alberti Megapolenses, qui bello contra Sueones & Danos se accingentes, suis pollicentur computatoribus, tres, quatuorvè hostium victos funibus, reducidos, quos non incommodè militi apud comicum glorioso compararem.

Verum plus æquo digressus, redeat sermo ad Procere Suecorum, qui tantam deponendi occasionem tyranni non prætereundam rati, petunt & deferunt Margaretæ in hostem auxilium. Illa verò callidè utrumque abnuit, nisi sub spe & promisso sceptri obtinendi, quod tandem præfati Suecorum XII. Legati, blanditiis seducti, pollicentur, confectis hac de re literis, anno MCCCLXXXVIII. Dominica Palmarum. Enimverò harum tenore Ordinum Sueticorum nomine Margaretam pro Domina acceptant, & quem ipsa vellet successorem, comprobaturi. munitiones & ditiones regni, Boëtio Jonæ datas pignori, Margaretæ subdentes potestati, nimirum Abogiam, Tavastahusium, Raseburgum, Kastelholmium, & Kryseburgum, cum Finlandia meridionali, Nylandia, Alandia, Helsingia, Wesmannia, Ostrogothia, Dalecarlia, Cuprimontania, ferrique montania. Simul etiam omne Boëtii jus in Ringstaholmium, Stegeholmium, Ramleburgum, Forsholmium, Oerstenum, Openstenum, Nycopiam & Wiburgum tradiderunt, ab illa, velut Boëtius ab Alberto, hypothecæ acceptantes dictas provincias iterum nomine, atque conservantes.

Denique arbitrio Margaretæ permittunt confirmationem privilegiorum, propolis Vandalicis in Suecia attinentium, & ratificationem annuorum redituum, quos hætenus de cuprifodinis Principes Holfatiæ perceperunt, ob navatam in bellis contra hostes regni sæpius operam, & præsertim adversus Moschum, anno MCCCXLVIII. Ideoque Margareta his aucta prærogativis, Holfatos & Vandalicos in suas pertraxit partes negotiatores, Alberto alias propensos. Quamobrem legati domum regressi, die sequenti Erico Katilli, Marschalco Dalaborgensis castri vasallo, & inde cæteris Sueonum consiliariis, & sectariis, decretum præsentant subscribendum. Atqui porrò cum Regina negotium deliberaturi, ad ipsam mox relegant Birgerum Ulphonis, & Stephonem Benedicti, quibus cum responso redeuntibus, Optimates Nicopiæ congregati, quarto Pentecostes die illud approbarunt.

Hujus verò non ignarus conspirationis Albertus, bellum omnino conatu apparat, inopiaque laborans pecuniæ in tantam necessariæ expeditionem, acceptis à Conrado von Jungingen, ordinis Crucigeri Magistro, XX. millibus nobulorum Anglicorum, pignori Gotlandiam ipsi assignavit. Magno etiam præmio proposito, ad hanc pertraxit militiam Bugislaum, Stargardiæ Ducem; Gerhardum, Holfatorum, & Ottonem Rupinensium, comites, præter alios Baronum & Equitum prælustres autoritate. Neque interim Margareta suis indormiit rebus, ex Dania & Norvegia unum, ductore Jvaro Lycke, & aliorum de Suecia, moderatore Dno. Erico Katilli, Marschalco, producens exercitus instructissimos, quibus hostis, XI. Calendas Octobris in Falonia Westrogothorum animosius, quam fortunatius occurrebat. Siquidem disposita stabat utrinque acies, intermedia palude, illaque invia à congressu prohibita, quam Regii temere insipientes, victoriam adversariis concesserunt. Nam tenaci voragine depressi, submerguntur, cæduntur, capiuntur, & hos inter Rex Albertus, filius Ericus, Dux & Comites memora-

ti, Rodolphusque Scarenfium Antistes; Quibus Johannem Megapolitæ Ducem, fratre Alberti regis Magno natum, adnumerat Crantzius, & Albertum Regis parentem, addit Erpoldus Lindenbruchius, minus veritati conformiter, cum mundo Albertus dudum valedixerit. Cæforum verò numerus multo fuit utrinque prolixior, ex heroibus ordinis Equestris in acie Regia IX. & Reginæ castris VIII. desideratis, præter innumeram propemodum inferioris conditionis frequentiam militarem.

Præcipua tamen contigit Suecorum clades, qui utrobique antesignanos agentes, ferventissimis in mutuam ruebant cædem pectoribus, turma commilitonum spectante, quibus ea propter merito victoria refertur accepta. Etenim refert Ericus Upsalensis, unicum duntaxat cecidisse Danorum, ipsumque Reginæ servitorem, quem Huitfeldius Henricum Parou nuncupat, Margaretæ in delitiis habitum.

Interea belli demoratur Margareta catastrophæ, in castro Vordingborgensi, quo cognito læta Bohusium advolat, ubi protinus sistuntur captivi conspectibus Reginæ, illuc per Ludosiam deducti. Ac primo quidem Albertus congressu, binas cogitur Margaretæ pandere regni Suetici munitiones, Axevadium & Elsburgum, & dein cum filio in Lindholmensi Scanorum traditur custodiendus arce, reliquis Calenburgum, & aliò destinatis. Sed prius ex sententia Danicorum scriptorum, præsertim Christierni Petri, Margareta voti Regem factura compotem, togam ingenti sirmate, cucullo terram simul verrente, instructam, illi per ludibrium superinduit, addens, eodem & Læto testibus:

*Gratulor accessus tantos, mihi nata levabis
Pignora baptismo, qua tu suscepta parente
Sorensi, Proceres interque & poela solebas
Hactenus effreni mendacia spargere dicto.*

Neque tantis fortunæ ludibriis expositus fuisset Albertus, si respectu tanti à Sueonibus collati beneficii habito, ipsos legibus & consuetudinibus patriæ frui permisisset; siquidem juxta Poëtam memoratum:

*Suecia Principibus fida est tantisper avitis
Imperitent dum legibus, & sine fraude potentum,
Jura domosque sinunt patrio consistere ritu;
Ulterius gens ista pati, nil sueta, furores spirat.*

Ideoque meritas tyrannidis & perjurii luit Albertus pœnas, imò & crudelitatis in Magnum commissæ avunculum, quem ut septem clauderet annis carcere, ita totidem clauditur; utque ipsum throno resignare Suecorum compulit, sic ipsemet compellitur, quæ justissime à DEO infligitur pœna talionis. Sed neque Sueones impunè tulerunt, quod denuò peregrinæ tradiderint potestati regnorum scepra, auctis multimodè ipsorum sub Margareta calamitatibus. Quippe toto capti Alberti tempore, triplex continuo regnum oberrans exercitus, Suecorum, Danorum & Germanorum incolas quotidiana laniavit tribulatione. Siquidem Stocholmia, velut nido, sectatores Alberti crebro erumpentes, Suecos potissimum invadunt, Danorum spectantibus turmis, & utriusque interitum suam reputantibus victoriam. Quandoquidem Margareta diuturnum in Suecia imperium sibi non polliceretur, nisi potioribus patriæ libertatis assertoribus primo sublatis, neque compendiosius, quam Megapolensium opera voto nefario potitura foret, Has

Has in sinu domi Sueones fovabant pestes, foras rei augendæ progressi, bonis & vita spoliatur in Oceano. Nam Johannes Megapolentium Dux carcere liberatus, patrum Albertum quoque decrevit liberandum, ingenti primò classe, Vandalicarum subsidio urbium comparata, meditans Scandiam invadere. Verum illa tempestatibus hausta, Rostochensium & Wisuariensium consilio, innumeram piratarum evocat colluviem ex mari occiduo, prædandi potestate, & morandi securitate Rostochii & Wisuariæ impertitis, sub mandato, solos Sueones, Danos & Norvegos infestandi, & comæatum Holmenibus apportandi. Unde Fetalianos, quasi victualium provisos, se vocitabant, illaque Stocholmiam deferendo, maris accolæ frequenti vexabant excursione, & Suecos ultro citroque comæantes, præcipuè affligebant. His denique miseris accessit Margaretae perfidia, quæ nullis pactis vel literis, fidem servabat promissam, velut sequens ipsius docebit veraciter historia, quam regressi à diverticulo, nunc ex ordine subtexemus.

Anno MCCCLXXXIX, pergit Margareta Suecorum auxilio subnixæ, regiones & munitiones pedetentim Alberto subducere, præsidis & quibuslibet Regis servitoribus Stocholmiam profugientibus. Hinc cives Germani magno popularium suorum concursu, concivibus Suecis potentiores effecti, suo perveteri in ipsos odio satisfaciendi oportunitatem advenisse censuerunt. Neque rem expeditius conficiendam, quam Sueones in suspicionem conspirationis cum regni Proceribus, & prodendæ civitatis vocando & propalam ipsis exprobrando, ad seditionem provocare, cujus occasione cædi, proscribi, & sub quæstiones possent abduci. Quocirca CLXX. in caput nostratum conjurant, se fratres appellando cucullatos, quod contumeliam Regi per carceres & cucillum à Danis Suecisque inflictam, essent devoti vindicare. Nec dolus nostros lacebat, ideoque hujusmodi sæpius convitio laceffiti, furda illud excipiunt aure, donec senatus in domo S. Gertrudis, rei cujusdam deliberandæ gratia, cum plebecula esset congregatus. Tunc etenim Germanis potentia æquales, contumeliam proponunt, Germanis subdolè offensos placantibus, & nova amicitia, concordiaque fœdera pangentibus.

Non multo autem post tempore, Proceres regni Telgæ comitia celebraturi, oblato Stocholmensibus salvo conductu, ipsos eò invitarunt, de concordia adminiculis consultatum. Itaque unus Sueonum, & tres Teutonum illuc profecti, cognoscunt Margaretae non Alberti Ordines favore negotio, indeque offensi, Statibus & socio insciis, clam redeunt Germani. Quos ille mox insecutus, in via per ipsos letaliter vulneratur, unusque famulorum, & alter trucidatur, quod fortassis in partes optimatum Telgæ visus fuerit propendere, dictus Petrus Alandus. Interim quoque domi, bini Suecicorum civium primarii, Albertus Caroli, & Bartholdus Brun, graviter faucii abripiuntur in vincula, & claves uxoribus auferuntur. Igitur gemina Sueones injuria provocati, concurrunt frequentes in foro armati sabbatho Dominicæ Trinitatis, per suos in prætorium destinatos cum senatu illic congregato vehementer injustitiæ hujus nomine exoptulantes. Sed iterum os ipsis sublinunt Germani, & dolo mitigant, discordia in tertium diem quiescente.

Interim Teutones de Sueonibus consultant perimendis, secundam in foro noctem ducentes insomnem, arcis præsidiarios animando, & cuculligeros in necem Sueonum armando, qui millenarium jam complebant numerum. Die autem tertio illucescente, sæpius acciti veniunt in

torium Sueci senatores, & mox de charta publicantur proditionis suspecti, cohortes mandato castellani, velut lymphatæ discurrunt per urbem, ipsos in castrum pertrahentes, nec sacris, neque profanis parcendo locis. Illic protinus tres quæstionibus subjiciuntur, ferris cruciati ligneis diutissime gravissimeque, & tamen in confessione persistunt innocentia, quorum nomina, Gregorius Rhode, Ioannes Kabbamag & Laurentius ab Hoegen.

Hanc Germani constantiam obstinaciæ, non innocentia tribuentes, die ipsos sequenti flammis consumpserunt. Deinde II. Idus Junii, nocte reliquos intempesta de castro in Keplingen propinquam insulam perductos, jubent sacerdoti conscientiam denudare, & crimina expiare, qui confessione singulorum percepta, licet religiosissimo testaretur jurejurando ipsos omnino insontes, tamen ædibus, in quibus ibidem vincti tenebantur, igne subjecto, concremarunt. Perierunt autem hoc miserabili incendio non pauci Sueonum, quorum divitias Teutones partiti, modicum conjugibus reliquerunt. Et multo quidem tempore, istud nostratibus machinati infortunium, siquidem uno cum istis catalogo, quorundam recitabantur nomina, inde quinquennio defunctorum. Quamquam verò quibuslibet Stocholmiæ Germanis, Sueones illam imputarint tyrannidem, tamen præcipuè cuidam ipsorum nebuloni sceleratissimo, Alphio Grefverad, tribuerunt. Itaque in sceleris tanti detestationem, & apud posteros contestationem sempiternam, sequenti ævo cives Germani Senatus Regii consulto atque diplomate, non Stocholmiæ modo, sed qualibet per regnum civitate, publicis excludebantur functionibus, hodieque removentur. Sed quorumlibet vindex scelerum DEUS, ipsa supplicii hora, insontium sibi displicere cladem, crebris fulgetris, coruscationibus, horrendo cœlitus tonitru, & largissimo imbrium lapsu manifestavit, adeò ut plerique urbis subvererentur everfionem.

Quidam scriptorum hanc confundunt cladem cum illa, quam Crantzius MCDVII. Stocholmiæ inflictam memorat, sed inscitè, prout anno monstrandum est præfato. Neque solum Germani sub Alberto Stocholmiæ tenebant imperium, verum & aliis per regnum emporiis, & potissimum Calmarniæ, ut testantur literæ, quibus incolæ hoc Margaretam anno designarunt sibi Principem, civitate illi patefacta.

Atqui cicatricem obductam pluribus refricare nolumus, jam Margaretæ successus prosecuturi, quibus ipsa confidens, Ericum Wartislai VII. Pomeranorum Ducis filium, & sororis ex filia nepotem, à Norvegis hoc procurat anno sibi designandum successorem, & regiminis adiutorem; votique facta compos, ipsum pravis ingenii sui moribus imbutum & educatum transtulit in Daniam. Præcipuè verò de uberibus Margaretæ, plenis suxerat buccis odium in Sueones, & tamen favorem regnorum candidato apud ipsos conciliatura, probè sciens Erici nomenclatura delectari, Ericum nuncupavit, prius de materno vocatus avo Henricus. Nec etenim verax illorum narratio, qui Bugislaum contendunt antea vocitatum, patruelem cum ipso commiscentes, quem operis procurfus errorem pluribus revelabit.

1390.

Anno MCCCXC. Stocholmia erumpunt Megapolitani, & Nygopiam Margaretæ fidam incendio absumunt, & mox pari clade Arosiam cumularunt, quos prædis onustos Stocholmiam redeunt, turma frequens rusticorum propè Tilingensem aggressa Ecclesiam, ingenti clade accepta profligatur; cum perito destituta fuerit moderatore. Undè Margaretæ

gareta tandem Sueonum miserta, decrevit eruptiones Stocholmensium prohibere, illuc cum mediocri Abrahamo Broderi, & Magno Algothi destinatis exercitu, qui binis loco oportuno propugnaculis fundatis, arctissima premunt urbem obsidione. Quo ad Johannem Megapolizæ Ducem nuncio perlato, Stocholmensibus auxilium laturus, classem subsidio Rostochensium & Vismariensium denuò apparatus conscendit, prædaque de Boreholmensibus & Gotlandis cumulata, Stocholmiæ appropinquat. Sed accessu prohibitus, descensione facta, de statione adversarios profugat, munitionem occupans, & civitatem pro arbitrio ingrediens. Alterum deinde hostis propugnaculum expugnaturus, majorem comperit difficultatem, quod ædita situm rupe non facilem præberet ascensum, ideoque fame præfidiarios ad deditonem censuit compellendos. Quam ipsi subverentes, annuas acceptant inducias, & civitatem obsidione solvunt.

Demum exeunte anno, decessit illustris Orchardensium Comes infularum de vivis, Erensislo Sunonis, in cœnobio sepultus Vastensium, festo S. Stephani protomartyris. Atqui MCCCCLXXX. Orchardibus fuit orbatus, siquidem illo contulerit Haquinus Noricorum rex insulas, Henrico de S. Claro, fortassis Erensislo patrocians Alberto, feudo exciderit.

MCCCXCI. gravissimis Scandiæ inhabitatores mactantur à coluvie piratarum detrimentis, instigata suafu Megapolensium, quod Regis prorogaretur liberatio, qua instante, Britannicum invadunt Oceanum nonnulli, reliqui Gotlandiam occuparunt. Immo Fetaliani eo tandem præsumptionis descenderent, ut ne quidem mercibus parcerent confœderatorum, nullo respectu habito quibuslibet manus injiciendo rapaces & furaces. Quocirca & Vandalicæ multis affectæ detrimentis civitates, solamque Alberti libertatem his remedium incommodis allaturam probè scientes, deliberatione inita, suos Helsingburgum expediunt ad Margaretam legatos, Regis solutionem promoturos, anno MCCCXCIV. Verum ante principium actionis, cæso per tumultum Danos & Germanos inter loco publico subortum, oratorum primario, Sundensium proconsule, reliqui protinus negotio intacto remearunt.

In Sueonia interim termino induciarum circumactò, Stocholmia denuò vexatur obsidione, permixta victualium laborans inopia, exitu undequaque præcluso. Hinc Fetaliani fociis quantocius subventuri, octo stipatas commeatu naves de portu Rostochensi & Vismariensi, bruma ingruente prodixerunt; sed in fauces delatis Stocholmenses, glacies intenso densata frigore, nec aditum nec reditum permisit, ibidem hyberna tenere compellens.

Id verò miles sub Stocholmia cognoscens, prædis illectus advolat, quem adversarii cæsa in circuitu navium glacie, ita exceperunt adventantem, ut infrequentior rediret, & impostèrùm ipsi ab incurfionibus immunes, in vernum usque tempus persistèrunt; quando etiam obsessis solatium attulere, & damno levi accepto evasere. Tandem verò cladium & direptionum utrinque pertæsum, & oratores X. Vandalicarum civitatum anno MCCCXCV. iterum Reginam convenientes, responsum benignius obtinuerunt. Inprimis enim Falsterbogiz ipsam hoc super negotio compellarunt, dein Septembri exeunte, Helsingburgi, & denique Novembri ineunte in castro Lindholmensi, ubi Calendis Novembris Albertus & Ericus illa conditione restituntur libertati, quod triennio peractò, Stocholmiam & jus in Sueciam omne affi-

gharent Margaretæ, vel LX. librarum millia argenti puri numerarent, aut certè pristinam ingrederentur captivitatem. Atque harum unam amplexuros conditionem, spondent Lubecenses, Sundenses, Torunenses, Dantiscani, Elbingenses, Gripsvoldenses, Wismarienses, Revalienses, Rostochenses, & Stocholmenses. Nam alias ipsi argentum soluturi, vel Stocholmiam Reginae tradituri essent, quos Albertus indemnes redditurus, urbem illis consignavit, post trieteridem Margaretæ depurandam, si nullam priorum acceptaret conditionum. Ideò Ansfaticæ Stocholmiam suo mox firmarunt præsidio, Hermanni von Hae commissam protectioni. Sed reliqui captivorum prioribus annis soluto lytro, tunc etiam vinculis eximuntur.

1396.

Sequenti anno qui fuit MCCCXCVI. circiter corporis Christi solennia, Johannes Megapolensium Dux, liberati conditiones patru, suo confirmavit diplomate, ita tamen, ut quidquid ante IX. Maji Calendas, ipse vel filius in Gotlandia occuparent, durantibus induciis liberè possiderent; Si quid verò cis diem cæpissent memoratum, illud Reginae permissurus, qua cum finito quadriennio de insulæ disceptandum esset possessione. Igitur cum Gotlandiam Crucigeri pignoris nomine adhuc sibi vendicarent, demiror quo Albertus jure, filiusque ipsam invaserint.

Cæterum Albertus carcere solutus, novis, teste Crantzio, nuptiis indulgit, & filio Erico Bugislai V. Pomeranorum Principis natam obtinet uxorem. Alberto autem secundo genito, Margaretam Johannis Norenbergensium Burgrabii sobolem desponderat. Ast filiam Alberti Richardem, duxerat consortem Johannes Moraviæ Marchio, & Gorlicensium Dominus. Margareta verò pacatiorem sub induciis nacta Sueciam, illic Ordinum comitiis indictis, revocat Proceribus in memoriam promissum, anno MCCCLXXXVIII. de acceptando ex sua Rege sententia, suadens ut Ericum perverusto Sueticorum sanguine Regum propagatum designent. Ac paulisper tergiversantibus indignata, contendit ideò Ericum pati repulsam, quod sua etiam de profapia descenderet.

His proindè, aliisque multis, quæ minis, quæ blanditiis Ordines compulsi, Ericum consueto inaugurationis spacio, anno MCCCXCVI. X. Calendas Augusti, Regem proclamarunt, & sequenti Calmarniæ coronarunt. Falluntur idcirco quidam annales, qui MCCCXCVI. diadmate perhibent insignitum fuisse, designationem coronationi commiscendo. Priusquam verò Ericus & Margareta Daniam repeterent, XII. Calendas Octobris Nycopiæ cum Primatibus regni colloquuntur, ubi prædiorum sub Alberto Coronæ subductorum decreta restitutio; novarum arcium demolitio; Cuprifodinæ ad Regem devolutio; & Margaretæ sustentationi ac provisioni Ostrogothia, Westrogothia, Wermelandia, Wesmannia, Kindia, Marchia, Dalia, Moringia, Dalecarlia & Montania, cum arcibus & urbibus deputatæ fuerunt, aliæque minoris momenti ibidem constituta, Chronico Huitfeldii promulgata.

1397.

Deindè cum suo remeat Erico Margareta in Daniam, & coronationis solennitati quantocius paratis necessariis, anno MCCCXCVII. Proceres Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ Calmarniam convocat, quorum consensu & applausu, Ericus Dominica sacratissimæ Trinitatis, illic diadmate redimitur, CXXXIII. suorum Nobiles regnorum cingulo decorans Equestri. Capiti autem regio coronam, Jacobus Lundensium & Torstanus Scarensium, Antistites, solenni imposuerunt apparatus, mox die

die Veneris post D. Canuti festivitatem, cum cæteris Scandiæ Præsulibus & Proceribus acta literis roborantes, quas Huitfeldius suo more producit mutilatas, quod nonnulla causæ Danorum adversantia continerent. Quod crimen etiam falsi admisit in producendo sequenti pagina unionis diplomate, quantum suis conduceret ex ipso posteris suggerendo. Quandoquidem finita inaugurationis solennitate, Margareta dolis Ordines aggressa, suadet perpetuam trium regnorum faciendam unionem, sub unius per ordinem Regis moderamine, ac tandem persuadet. Ideoque XIII. Calendas Augusti, Sueones & Norvegi omine & nomine infaussto illud cervicibus vinculum imposuerunt, quod hodiernæ utriusque nationis calamitati præbuit etiam occasionem, exindè continuo velut rivo huc propagatam, ut sequens patefaciet operis decursus.

Mancas verò conditiones fœderis quas Huitfeldius allegat, apud ipsum lector requirat, ipsisque paulisper ponderatis, haud difficile comprehendet discursu, qua fide recitentur articuli, quo Danorum commodo, reliquorum incommodo fœdus inritum, & quis ipsius censendus sit prævaricator. Producerem ego sanè legitimas unionis literas, si unquam vel apographum illarum nostratibus obvenisset.

Nam licet cuique regnorum bina hujus fœderis diplomata in membranis exarata fuerint Calmarniæ promissa, & sæpius ævo postulata sequenti, tamen Sueonibus non conspectus ipsorum & minus multo contigit possessio. Verum de his abundè, Sueciæ nequaquam jucundis, qui plura desiderat, Retorsionis adversus Petrum Rosfontanum consulat opusculum.

Eodem labente anno, Ericus Alberti filius in Klinta Gotlandiæ, castroque Lanscrona vocato, perque ipsum fundato, morte sublatus, nec multo ante uxor, & soboles vivis ibidem excefferunt. Enimverò cum pacta soluti Alberti & Erici, nullam Gotlandiæ mentionem vel cautionem facerent, teste Crantzio, mox ipsam Ericus invadit, Wysbycensibus binas eripiens in urbe turrets seu vallorum propugnacula, quorum unum patrueli suo Duci Johanni, alterum Suenoni Sture commisit defendenda, & moriens civibus mandavit restituenda. Huc autem reliquæ piratarum ad Ericum confluerant, quorum forsitan opera in Suecia postmodum recuperanda uti decreverat, & hi denuò mare infestum reddebant, plurima negotiatoribus Vandalicis damna inferendo, præsertim ab Erici obitu, quando etiam partem insulæ invaserunt.

Itaque Conradus von Jungingen, Præses Ordinis in Prussia Theutonici, suorum quærelis subditorum permotus, in Gotlandiam quatuor peditum millia, & nonnullam equitum cohortem expedit, quibus insulam subactam firmavit suo præsidio, & captos piratarum plerosque gladio multavit. Albertus verò Gotlandiæ cognita subactione, secum peritos juris nautici accepit consules Rostochensium & Wismariensium, proficiscens Dantiscum, & subactæ ditionis nomine cum Magistro ordinis expostulans. Sed ipso restitutionem abnuente, quod desertam ab Alberto & ab hostibus occupatam, armis subdidisset, consilium vendendæ cæpit Gotlandiæ, ut refert Chronicon Prussorum, ipsam Conrado deferens emendam. Qui proindè consentiens emptioni, testimonio Crantzii, anno sequenti Wismariæ precium deposuit, & plenam insulæ adipiscitur jurisdictionem.

Quamobrem triplex scriptorum hoc de negotio deprehenditur opinio, cum nostrates Gotlandiam memorent ab Alberto bellum Margarietæ illaturo, pro XX. millibus nobulorum oppignoratam,

& à Sueonibus contributione facta, deinceps redemptam fuisse. Chronicon autem Danorum oppignorationi & redemptioni quidem consentit, sed iterum à Crucigeris pro IX millibus Anglicorum duplonum in expulsionem inde piratarum impensis, Wenceslao Imperatore Helsingburgi sequestro recuperatam esse. Non tamen meminit Danorum historia, quando & quo pacto aurum prius fuerit solutum. Prussicus etiam historicus, primæ meminit redemptionis, & alteræ occupationis, non autem secundæ restitutionis, in hoc secutus Crantzius, in isto Chronicon Johannis Magni. Denique Albertus Crantzius in sua Suecia & Vandalia, posteriorem duntaxat Gotlandiæ alienationem infert, nulla redemptionis facta mentione, admirans quò jure postea Ericus Pomeranus ipsam inhabitavit.

1398.

Ex his autem omnibus veram ego sententiam elicio, nimirum quod non MCCCLXXXVIII. sed MCCCXCVIII. Albertus insulam piratis subductam vendiderit, non oppignoraverit, & refuso deinceps precio & expensis, receptam fuisse. Nam ex literis Margarete datis in castro Lindholmensi anno MCCCXCVI. à Johanne Megapolensium Principe, ut etiam Gotlandiæ per Ericum occupatione, manifestum est Crucigeris ipsam ante MCCCXCVII. non obedivisse. Præsertim cum aliàs durante Alberti captivitate, redemptam fatendum esset Gotlandiam, quod tamen neque memoria, neque historia uspiam testatur. Et venditam, non oppignoratam Conrado testis locupletissimus est Crantzius, fidelis Megapolitani scrutator archivi. Igitur cognoscens Margareta Gotlandiam ab Alberto, qui nihil juris in ipsam obtineret divenditam, misso illuc MCCCXCVIII. exercitu, nequicquam recuperare tentavit. Undè consensu partium lis Wenceslao Cæsari decemda submittitur, & conventus Helsingburgi indicitur, ubi fœdus inprimis Ericum & Crucigeros inter Calendis Septembris restauratur, & postmodum actio inchoatur Gotlandica, quæ tandem XXI. exinde finitur die, videlicet XXII. Septembris. Festo namque D. Mauritii opera commissariorum imperialium illic decretum fuit, ut perceptis IX. millibus duplonum, Conradus insulam resignaret; quorum solutio in decimum prorogatur annum, non auri penuria, ut narrat Huitfeldius, aut Margarete fallacia, quæ interim ferro, non auro statuens redemptam, successu frustratur.

Atque his in Dania transactis, alia celebratur in Suecia Procerum congregatio; Albertus enim trieteridis præfixæ termino instante, considerat vel pristinos sibi carceres subeundos, vel argentum solvendum, vel denique Stocholmiam Margarete pandendam esse, & hanc velut faciliorem arripiens conditionem, Lubecensibus & Gedanensibus mandat resignandam. Illi namque binis illic constitutis capitaneis, civitatem susceperant defendendam, quam & sibi juramento fidelitatis obstrinxerunt. Itaque Regis voluntate percepta, Oratores urbium convolant hac super re deliberatum, & primo placuit congressu, solutis LX. millibus librarum argenti Margarete, ut sentit Chronicon Borusforum, Stocholmiam retinendam, quod illo pacto residuum Sueciæ posset sensim potestati etiam Vandalicæ subjugari. Quandoquidem non pauci Sueonum Danicæ jam pertæsi servitutis, dominium non abnuerent Vandalicum. Sed ancipitem martis aleam, cum Danis certò certius subeundam, tandem formidantes, approbant Stocholmiæ potius resignationem, quæ MCCCXCVIII. solenni D. Michaëli Archangelo die instituta fuit.

Atqui cum tectatores Alberti adhuc nomine ipsius Helsingiam, Medelpadiam, Angermanniam, & Bothniam cum munitionibus obtinerent, ideò post XI. hinc diem, in septimam Idus Octobris cadentem, in castro Almerstehensi cum ipsis ita transactum est, quod cis XI. Calendas Novembris, Faxholmensem cum Helsingia & Medelpadia, Strysholmensem cum Angermannia, principio Quadragesimæ, & Krytzbergensem cum Bothnia, tribus à Paschate septimanis, forent arces ditiosaque Margaretæ tradituri. Cujus pro parte hic aderant, Steno Benedicti, fraterque Turo, Nicolaus Suartefkaning, Philippus Caroli, Stigo Arvidi & Joannes Laurentii, Equites. Verum ex adversa stabant regione Suevo Sture, Henricus Thun, Arnoldus Stycke & Otto Setzommerus; qui modo præfato in gratiam cum Regina concesserunt, nunc consummatum Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ, primo imperium usurpante, & loco Erici adhuc tenerioris, gubernante.

Idcirco perpetuum sibi & Erico in Sueones dominium persuadens, perfidia, avaritia, invidia, tyrannide & qualibet occæpit ipsos premere, opprimereque sævitia; Siquidem novas quotidie imposuit exactiones, & quidquid his, consuetisque regni tributis cumulatam esset, in Daniam transmisit; Officia & beneficia Reipublicæ non indigenis, sed alienigenis, Danis, Germanis, Anglis & Italis, demandavit. Exaggerantibus verò nostratibus ipsam secus literis spondisse, respondit: *Diplomata quidem nostra hac de re habetis, illaque fideliter conservetis, nos pari diligentia regni munitiones custodiemus.* Neque solum ab ipsa deludebantur, verum etiam ipsius in regno vicariis & officialibus, quos habuit versutissimos, rapacissimos & nequissimos. Neque tamen his contenta, illuc porro impudentiæ processit, ut monetam turpitudinis insignia muliebris præferentem, etiam nationi usurpandam Sueticæ consignaret. Quam Huitfeldius ab ipsa conatur quidem derivare culpam, sed minus veritati competenter, quemque Retorsionis confutat libellus.

Sequitur jam postremus seculi currentis annus, MCCCXCIX. 1399. quo Nycopiæ in Falstria, sequestribus Crucigeris, potissimum Rostochenses & Wisuarienses, hæctenus in Margaretæ constituti indignatione, ob piratas annis superioribus illic receptos & protectos, ipsi reconciliantur. Et quoniam deinde in mentionem istorum incidimus nebulonum, ut posteris constet, quam crudeliter interceptos in mari multarint homines, majus ab ipsis lytrum & celerius extorturi, sciendum illos carcere Tonna vocato, usos, præacutis de ferro clavis obsita, quæ nec cubandi, vel sedendi præbuit capto occasionem. Quam immanissimam per hos excogitatum custodiam, & ævo sequenti à tyrannis solum usurpatam, suasu crudelissimi mortalium Georgii Petri, Ericus Suecorum rex, circiter annum MDLXIV. vinculorum etiam agmine collocavit.

Secularis jam illuxit annus MCD. qui subductis cæli catharactis, 1400. II. Nonas Julii tantum Ostrogothis imbrium subministravit, ut pontes & molendinæ aquis innatarent, incolæque alterum pertimescentes diluvium, in montes confugerent præcellis. Tertius verò novi annus seculi est 1403. MCDII. sub quo Prutenus quidam nutrice Olai Noricorum regis propagatus, pro ipso se vendit, quem veruca scapulas inter non deprehensa, qua tamen Olaus fuerat notatus, Falsterbogix IV. Calendas Octobris Vulcano Margareta consecravit.

Deindè Regina nummorum oppidò tenax, perpendit multo nimium auro Gotlandiam à Crucigeris redimendam, eaque propter deferens 1403. pactum Helsingburgense, anno MCDIII. armis censuit recuperandam, il-

1404. luc mediocri expedito exercitu, sub Abrahamo Broderi & Magno Algothi antesignanis. Qui proinde Octobri mense insulam ingressi, quin passim arcibus extractis, ipsam contra hostium irruptionem obfirmarunt, & urbem obsidione per brumam vexarunt. De his interim Crucigeri certiores facti, vere anni MCDIV. appetente, numerosa illuc classe appulerunt, & mox nostrates aggressi, viris & viribus longè inferiores, arcibus & insula exuerunt. Unde Margareta successu hoc tramite non potita, pactum restaurat, grandem Sueonibus contributionem, sesqui marcam de camino per regnum quolibet pensuris, imponit, qua deinceps pecunia redemit Gotlandiam. Hoc etiam anno Margareta commorans in Suecia, die Mercurii conventu Statuum Nycopiæ celebrato, literas illorum obtinet, quod Ringstadholmium à Canuto Jonæ per ipsam legitime comparatum, sit jam peculium coronæ censendum.

1405. Festo autem crucis repertæ literis fatetur aliis Margareta Dufve, Boëtii Jonæ vidua, suo & filii consensu, Gripsholmium Regina venundatum. Sed MCDV. die Jovis post S. virginis lustratæ in templo solennia, in feudum nacti Axvaldium ditionemque adjunctam Hennichius, Bechmannus & Nicolaus Guttormi, chirographo pollicentur, non nisi Margareta & Erico illud se resignaturos, ac iis vita functis, Catharinæ sorori Erici, eaque mortua, Regi trium regnorum deputato consignandum. Quibus liquet qua Dani & Pomerani Sueonibus dominarentur intentione, scilicet ut Margareta & Erico sublatis, Pomeraniæ similiter mulierculis submitterentur tribulandi. Deinde Flensburgi in Dania colloquens Albertus rex cum Erico & Margareta, perpetem cum ipsis & Holfatis amicitiam inivit, festo D. Catharinæ, omnem penitus condonat offensam Suecis, Danis & Norvegis, sanctè spondens suo & hæredum nomine, quod nunquam ipsos bello molestaturus foret, servansque promissum ut canis jejunia, quemadmodum infra constabit.

1406. Igitur firmata cum indigenis & alienigenis amicitia, uxorem Erico cœpit Margareta circumspicere, tandemque Henrici IV. Anglorum regis, non Portugallorum, ut perperam quidam sentiunt, filia promissa, illuc sponsam Philippam per Oceanum adducendam Thuronem Benedicti, Sueciæ Marschalcum, splendore natalium, animi corporisque præstantia & facundia visendum, anno MCDVI. destinavit. Atque perexiguo à tenacissima viatico Regina percepto, tot nomina contraxit hanc propter expeditionem, quot ipsemet, hæredesque multo tempore solve-re nequiverunt. Virgine verò in regnum traducta, XXV. Octobris die solennia nuptiarum Lundia peraguntur, qua cum Ericus unicum auri nummum dotis loco percepit, plurimis florenorum millibus æstimatum. Neque præfata connubii festivitas, MCDVIII. frequentata, quod tamen falso Jacobus Gisonis suæ inseruit Chronologiæ.

Is autem vera de incendio Stocholmiæ memoravit, quod XVI. secundum Pascha contigit die, cujus hic meminit Crantzius: *Erat septimus post mille quadringentos à Christo annus, cum Stocholm insigne Sueciæ emporium insigni afficeretur clade de celo; Nam fulmine tactum oppidum penè totum conflagravit, perieruntque incendio ad MDC. homines. At miserabilis est quod sequitur: femina plures & sine numero puella, navibus res suas indexerunt, cum parvulis, aderant & viri non pauci, ac priusquam solverent, ingruerat promiscuum vulgus, incendia declinans, & oppleta tanta multitudine naves subsederunt, merferuntque omnem illam multitudinem, res calamitosa sine exemplo. Sed notratium historia. CD. duntaxat hominum refert conflagrationem, quæ clades pro dolor nimium magna, & magis multo MDC. mortalium miserabilis interitus.*

Exeunte demum anno circiter XVII. Novembris diem, vitam clauserat nobilissimus juxta ac clarissimus vir, Carolus Ulphonis de Tofta, juris Suetici, artiumque liberalium peritissimus, quarum etiam Lutetiae Parisiorum supremam consecutus fuit laurum, ipsam non sibi dedecori, velut moderni quidam faciunt nobiles, aut maximo ducens honori. Hujus quievit in Uplandia funus ad MCDX annum, quando cum Helenæ uxoris in monasterio conditur Vastnenfi.

Interea temporis aurum ex Suecia congestit Margareta, quo Gotlandiæ maturanda restitutio, & anno MCDVIII. Calmarniæ, festo D. Mauricii, non Briccii, ut fallitur Huitfeldius, nempe XXII. Septembris, integre numeratur, extemplo insulæ comitante resignatione. Quod verò Huitfeldius scholio quodam in historia Friderici primi, asseveret auro Danorum Gotlandiam fuisse restitutam, volens & lubens pro consuetudine illud comminiscitur, nullius pro se scriptoris testimonium adducere valens. Immò In vita Margaretæ contrarium tuetur, affirmans Chronicon Danorum & Prussorum, Sueonibus tribuere Gotlandiæ redemptionem. Sed ipso misso Margaretam repetamus, quæ hoc anno regni Suetici Erico socio ingressa tabularium, inde vetustissima veterum diplomata Regum producta in Daniam perfidè ablegavit. Idque non alia perpetravit facinus intentione, quam ut Sueones priscis nudatos privilegiis, novis pro arbitrio premeret statutis.

Anno MCDIX. bellum infert Cymbris Ericus, quo cum præter alios Scandiæ Optimates proficiscitur Abrahamus Broderi, Eques illustris, quem minùs honestæ cum Margareta conversationis suspectum habens, ipsum de medio tollendi captat identidem occasionem. Quam tandem in obsidione nactus Sunderburgensi, accusatum inprimis variæ scortationis, violentiæ ac tyrannidis in Hallandia perpetratæ, ubi & natus esset, illic Nonis Septembris supplicio capitis mulctavit, ignorante indignanteque Margareta. Incolæ regnorum borealium hujus non ignari libidinis, ipsam posteris eo tempore sub fabulæ involucro commendaverunt, asserendo Thetidi Abrahamum commisceri, talique prolem congressu fuisse satam, in cœnobio educatam Vastnenfi. Hinc contulit vivo Margareta plurimum in Hallandia & Suecia feudum, & mortuo in Ecclesia Lundensium præbendam de nomine vocatam Abrahami fundavit. Sed ipsemet superstes, Roschildiæ alteram venerationi X. millibus militum dicavit.

Hoc denique anno festum prope S. Francisci diem, primas lucis hauserat auras Carolus Canuti, qui Suecorum postea sceptro fuit potitus. Verum MCDX. XVIII. Calendas Septembris, Catharinam Eri germanam sibi junxerat connubio Johannes Roberti Cæsaris filius, Palatinus Rheni & Dux Baviariæ superioris, ex ipsa Christophorum progenerans, qui etiam Sueciæ dominium assecutus est.

Hoc pariter ævi spacio cœpit Ericus Wisburgum in Gotlandia moliri, Sueonum præcipuè auxilio fundatum & continuatum, inque propriam ipsorum perniciem consummatum. Siquidem loci oportunitate celebritateque oppido delectatus, quas Alberti filius occupavit antea urbis tures, in castri ædificium commutavit. Tunc etiam bina lectissimorum hominum millia, tribus Scandiæ regnis conflata, Flensburgum Juthiæ australis destinavit expugnatum, quæ Adolphus Schovenburgensium Comes, XVIII. Augusti improvisus aggrediens, profligavit.

Et quoniam imposterum crebram belli hujus faciemus mentionem, causas paulò altius repetitas Lectori suggeremus; Gerhardus Hol-

fatia Comes, ab Olao Margaretæ filio Ducatum sub feudo sortitus erat Slesvicensem, quo vita functo, sine nova feudi confirmatione uxor & filii eundem sibi arrogantes, Ericum ad arma provocarunt. Atque orphanorum causam Henrico Brunsvicensium Duce avunculo, & Holfatiæ indigenis vehementer propugnantibus, atrox multo tempore bellum utrinque flagravit, & præsertim sub Flensburgo atque Gottorpio, non tam Danis, quam Sueonibus summè onerosum, ut sequens testabitur historia.

1411.

MCDXI. cladem Ericus priõri acceptam anno vindicaturus, totis Suecorum, Danorum & Noricorum viribus movit in Holfatos, expugnans Flensburgum, hosti non multo ante proditum, & tandem Koldingi XIX. Calendas Septembris, induciæ per sequens lustrum sanciuntur, illa præ aliis conditione, ut MCDXII. Flensburgi, mense Octobris arbitris submissa, porrò ventilaretur & determinaretur. Proinde Margareta, dicto illic comparens tempore, pacis negotium feliciter consummavit, & reditura navem conscendit, in qua XXVII. Octobris antequam de portu solveret Flensburgensi, de vita migravit. Funus autem Soram perlatum ibidem tumulatur, unde Roschildiam deinceps fuerat translatum. Obiit Margareta peste, quæ Sueonibus gravissima exitit pestis, testimonio etiam scriptorum Danicorum, quos inter Lætus:

1412.

*Unum equidem non laudo, quod haud æquisima regnis
Omnibus extiterit, Sueones pressisse videri
Possit, & immensam variasse ad culmina lancem.
Non odia extendi, superatis hostibus ulla
Fura sinunt, vicit qui se quoque vicerit, & non
Asperius victa cumularit vincula genti.*

Neque benignior Ericus in nostrates postmodum evaserat, sed peste pestilentior, sic edoctus à Margareta, & quodam Henrico Koningz-marcher, consiliariorum Danicorum uno, homine sceleratissimo, testibus Lindenbruchio & Erico Upsalensi. Illo namque suatore, certam Ericus de provinciis & urbibus Sueciæ censuum imposuit summam annuatim in pecuniis solvendam, hoc pacto tantum proventuum infructiferis, quantum fructiferis percepturus annis, & commodius quaslibet exactiones in Daniam ablegaturus. Hinc Sueones pro veteri & laudabili consuetudine non permitti tributa pendere, & tantis destituti pecuniis, suas Danis vilissimo divendere precio, & oppignorare compelluntur facultates. Sic Dani ditantur, Sueones eviscerantur, illic copia, hic inopia, ipsi domini, nos famuli. Quibus præterea & Germanis arcium, ditiorumque commisit moderationem, Suecis quolibet officio & beneficio destitutis. Attamen propriis continuo impensis terra marique, pro Danis citra ullam remunerationis spem præliari tenebantur. In captivitatem vero abducti, non victus & amictus, multò minus lytri subsidia numerandi vel minima consequuntur. Immò domi interea ipsos regii exactores bonis exuunt, & in mari piratæ precio in subsidium transmissis, despoliant. His accessit Sueonum detrimentis, quod crebrius frequentare in Dania conventus obligarentur, illic multo tempore propriis vivendo sumptibus, & Danorum famulando incrementis, emolumentisque.

1413.

Verum pluribus infra hanc memoraturi calamitatem, nunc ea paupersis seposita, ad MCDXIII. labentis seculi annum properemus, quo IV. Nonas Julii de Sorensium monachorum Ecclesia, funus Margaretæ, opera Pe-

Petri Lundensis Archiepiscopi, Roschildiam translatum fuerat citra consensum Abbatis. Sed XXVI. Julii, in comitiis Nyburgensibus Danis adjudicatur Ducatus Slesvicensium, quam suo approbat diplomate sententiam Constantiæ XIV. Junii anno MCDXV, Sigismundus Imperator. Ideoque pax Margaretæ auspicio procurata in prælium denuo commutatur, Erico magis huic, quam illi propenso, & martis per fas, nefasque captante occasione. Etenim Holfatorum non contentus in Scandiotas provocasse mucrones, in eisdem MCDXV. etiam 1415. Vandalicarum potentiam civitatum instigavit; Quæ Holfatis confœderatæ, permulta Scandiæ cultoribus intulerunt detrimenta, historiæ progressu contemplanda. Non tamen ante MCDXXVI. classicum cecedere Regi negotiatōres, interim Holfatis undequaque auxilio contracto ipsum animosè oppugnantibus. Quorum itaque compressurus furorem, MCDXV Ducatum invadit multa potentia, & hostis in ipsum prohibiturus incursiones, limitaneas IV. construxit munitiones, & Daniam repetivit.

MCDXVI. reversus obsidet Slesvicum & Gottorpium, sed rege 1416. Alberto ex Megapolia, nonnullisque Germaniæ aliis Principibus in auxilium accurrentibus, aliquot suorum millia desideravit, & insuper Imbriæ illa tempestate Danis obnoxia, amisit dominium, & suos Danos revisit, Sueonesque & Nørvegos residuos domum remisit.

MCDXVII terrestribus & navalibus apprimè stipatus copiis, ad 1417. centum millia computatis iterum regressus, & Slesvicum Gottorpiumque aggressus, illud XV. Julii deditum capiens, & in ipso Albertum regem, à quo nova de non impugnandis amplius Scandiæ regnis, vel Slesvicensi Ducatu percepta obligatione, ipsum dimisit, commilitonesque. Unde captat Ericus Upsalensis suspicandi occasionem, quod Rex Pomeranus non tam vincendi cupidus, quam subditos exterminandi populos studiosus belligeravit.

Deindè integro impugnans exercitu Gottorpium, inaudivit Dythmarfos & Hamburgenses auxilio venire obsessis, & obsidionem solvit, domum repetendo. MCDXIX. insigni apparatu bellico Fimbriam seu 1419. Cimbriam appulit insulam, & bis à Fimberlingis repulsus, tertio prævaluit, in victos tantam exercens tyrannidem, quantam vix Nero, vel Caligula in subactos statuerunt; prout Albertus Crantzius, Ericus Upsalensis, Laurentius Arosiensis & Huitfeldius, testatum reliquerunt.

Sed cum in procinctu ad hanc esset profectionem, Hafniæ IX. Calendas Julii, fœdus nomine trium regnorum cum Uladislao Polonorum rege, & Alexandro Lithuanorum Principe, pepigit, de subsidio in hostes quæ Christianos, quæ Ethnicos ferendo. Huic verò Sueonum ex parte subscripserunt, Canutus Lincopenfis, Brynolphus Scarenfis, Episcopi, Algothus Magni de Refnes, Boëtius Diure, Præfes Stocholmiæ Telgæque, Nicolaus Gustavi de Roswyck, Turo Stenonis de Kracherum, Nicolaus Erengislonis de Saxholm, Benedictus Suenonis de Boxholm, Johannes Suartefkoning, & Gustavus Algothi de Enxiö, Equites torquati.

Hoc denique anno conflagravit Stocholmia, quo simul perierunt incendio quælibet urbis documenta, ut nulla prorsus superiorum monumenta temporum in Reipublicæ extent hodie tabulario. Quæ flamma plurimum nostris obfuit scriptoribus, & mihi potissimum, qui civitatis decreveram contexere historiam.

Tandem Ericus spe masculi hæredis de Philippa suscipiendi, omni-

1420.

omnino deposita, ut tamen throno Scandiæ contribules post suum fruerentur obitum, Bugislaum patrualem anno MCDXX. designat successorem, cui etiam Philippa suum spondebat auxilium. Hinc error nostris obrepfit chronicis, Ericum Bugislai prius nomine appellatum falso affirmantibus, & patruelium vocabula confundentibus. Quando autem Bugislao diadema promissum, fuerat Ericus in procinctu ad invadendam Juthiam, ubi minus felieiter pugnans conflictu Immervadensi superatur. Unde proximo anno classe instructissima hosticum repetit, descensu prohibitus, & Archithalasso amisso, tribusque per Hamburgenses navibus captis, pari remeavit successu.

Ad hujusmodi classis Suetica quotannis evocata irruptiones, tam diu in freto subinde moratur, nullo penitus commeatu à Rege subministrato, ut miles nostras arma vestesque & naves ipsas pro victu cogereur divendere. Et tandem hyemis tempestatumque sævitia imminente, veniam redeundi serò admodum impetrantes, naufragiis plerumque, vel frigore aut fame perierunt. De quibus tamen malis sæpenumero clementissima & Sueonibus addictissima Philippa liberavit, victualia nostris, inscio marito, affatim destinando.

1422.

MCDXXII. recrudit denuo bellum, Holfatis quoque victoribus, quam crebram ipsis peperit victoriam Regis ignavia, & hoc conflictu CD. amissis, ovans quasi negotio probè administrato canit receptui. Ac quoties suorum passus cladem, de Suecis & Norvegis longe plures quam ex Danis corruerunt, quod isti primipilos agere, primum invadere, magis ardua subire munia tenerentur. Attamen raram in suis Dani historiis mentionem Sueonum & Noricorum faciunt, suis hostium profligationem, ditionum vastationem & arcium superationem acceptas referendo.

Itaque animadvertens Ericus Holfatorum contumaciam suis vix domandam frenandamque viribus, Hafniæ XVII. Calendas Julii, in belli societatem Lubecenses, Rostochenses, Wisnarienses, Sundenses & Griphisvaldenses adscivit negotiatores. Hujus articulos fœderis profert Huitfeldius, & ipsis præter alios regnorum Proceres subscripserant ex nostratibus, Johannes Haquini Upsalensis, Canutus Lincopenis, Brynolphus Scarensis, Arnoldus Stregnensis, Antistites. Atqui XVII. Martii splendidum illud de marmore cænotaphium, quod hodie visitur Roschildiæ, imposuit Ericus tumulo Margaretae, gratum beneficiis animum demonstraturus posteritati.

1424.

Hac etiam, vel juxta sententiam quorundam annalium, sequenti hyeme, tantum frigoris extitit, ut per mare constratum glacie, Dantisco Lubecum recta liceret proficisci. Demum MCDXXIII. exeunte, revisit Ericus solum natale Pomeraniam, regnis in plurima relictis tribulatione, & MCDXXIV. illuc, hinc profectus in Poloniam, Cracoviæ XII. Februarii inaugurationi Sophiæ Uladislao Jagelloni Polonorum regi copulatae adfuerat. Illic Imperatori Sigismundo hac quoque solennitate comparenti injuriam questus ab Holfatis illatam, & cum Polono de Hedvige filia Bugislao consultavit desponsanda.

1425.

Unde falluntur historicorum quidam, qui Cæsarem ab Erico in Ungaria, vel Bizantii testantur conventum. Ex Polonia verò Jerosolymam, voti solvendi gratia properat Ericus, & in reditu proditus sua effigie, quod trium esset Monarcha tantus regnorum, de nuptiis destinata Polonicis, ingenti ære numerato periculum evasit. MCDXXV. In Scandiam reversus, monetam immutavit, pro argentea cupream man-

mandans signandam. Ast prudentissima Regis confors Philippa, in marito hoc cedere contumeliam, & incolarum inopiam vergere consilium perpendens, clam mandat cudere meliorem. Verum Ericus interea sententiam Cæsaris super Ducatu latam Slesvicensium executioni mandaturus, immensum conflavit exercitum, quo MCDXXXVI. Slesvicum & Gottorpium, denuò sibi ablata, impugnavit. 1426.

Quocirca Holsati tantæ vires suas potentiaë impares probè considerantes, opera Hamburgensium Vandalicas in subsidium contraxerunt civitates: Nam à piratis Erici mercibus frequenter spoliatae, querelam sine ulla damnorum compensatione, vel excursionis intermissione, aliquoties deposuerunt, ideoque nunc arma corripuerunt. Hostium conspiratione appropinquationeque cognitis, liquerat Ericus oppugnationem, qui abeuntem insecuti, strage militum cumularunt. Sed 1427.

MCDXXVII. classi Vandalicæ Scandica congregiens, illam multiplici 1428. fœnore cladem compensavit, à Lubecensibus & Hamburgensibus, XXX. navibus sublatis. His exasperati mercatores detrimentis, MCDXXVIII.

classe cum Holsatis conjuncta, Hafniam obsederunt, Erico timore percusso Soræ delitescente. Verum Philippa marito animosior, copiis undequaque contractis, hostem cum ignominia compulit abscedere, dein festo sacratissimæ Pentecostes, splendido victoriae antesignanos in arce symposio excipiens. Interim varia pacis media Pontifex & Cæsar, alii- que orbis Christiani Principes nequicquam tentarunt, illo causæ Holsatorum, & hoc Scandianorum, studiosis. Regina verò successu elata sub Hafnia obtento, MCDXXIX. classem LXXV. navium, & in ipsa 1429. MCD. armatos, inconsulto Rege Sundium expugnatum destinavit.

Atqui cives tempestive horum de adventu facti certiores, adventantes non imparati excipiunt, victoriaeque potiti, CCC. hostium in custodiam abducunt, illorumque XL. capitis mulctant supplicio, residuos in ipso conflictu trucidantes, vel submergentes. Hinc consorti Rex indignatus, ipsam adeo graviter excepit verberibus, ut primi fœtus pateretur abortum. Cujus gratia, velut etiam quod causam tot hominum præbuisset internecioni, Wastenum in Sueciam concessit, illic apud cœnobitas quoad viveret pœnitentiam actura. Illuc pariter Ericus proficiscitur, & immensum belli continuandi nervum de Sueonia corrasum, navi CD. munitæ classariis imponit, quam piratæ Vandalici Hafniam properantem occupant, & Rostochii, Wismariæque prægrandem MCDXXXIX. partiuntur thesaurum.

Sed alii historicorum asseverant, belligerante Philippa cum Sundensibus, Ericum præfatæ in Suecia æruscationi, & incolarum eviscerationi, fuisse intentum, indeque reversum, & tam pecuniarum, quam hominum atque navium sub Sundio amissione offensum, in conjugem ita desævisse, idque verisimilius est. His autem verberibus obiit Philippa, MCDXXX. Nonis Januarii, & circiter XV. Februarii, Wastenis in choro D. Annæ honorificè tumulata est, præsentem marito, & in solatium uxoris defunctæ, Canonicorum in Ecclesia parochiali collegium fundante, dotanteque. Ancillam deinde conjugis, Ceciliam nomine, qua etiam viva abusus fuerit uxore, sibi concubinam delegit. Atqui encomium Philippæ Danus Poëta ita est complexus. 1430.

*Cui si non Anglia clara dedisset
Uxorem, quæ consiliis sapientibus omnem
In se regnorum curam transferret, & aqua*

Conditione viros tractare ac munere posset,
 Haud diuturna forent expulso sceptrā tyranno.
 Illa regit populos virtutibus, atque mariti
 Aspera facta domat; monitis subnixā beatis,
 Consiliisque bonis.

Hinc reversus in Daniam Ericus bellum redintegrat, legitimis concordiae adminiculis crebro propositis conventu penitus exclusis, & novis subditos impositionibus frequenter & vehementer exhaurit. Et praesertim Sueones pressit exactionibus, testante Crantzio, quem lubet paulisper auscultare: Quapropter crebras, inquit, in populum ponebat collectas, emunxitque argento tria regna, praecipue Sueciam, quae aliis opulentior videbatur, quod etiam longius posita excursionibus maritimis, non ita ut Dania, pateret. Hanc crebram exactionem novorum semper censuum & impositionum primum dissimulare, si forte finis esset, inde graviter tulere regni Proceres, indolentes suis visceribus alienam ali sevitiam, primum murmure, deinde aperta indignatione suam testati sunt impatientiam, aliquando literis, quandoque etiam nuncius missis eam apud Regem causam egerunt, miseraretur pauperum laborem, quos de Suecia plus aliis evisceraret. Dein se per patientiam tulisse, regnum aere exhauriri, sed ubi ad sanguinem usque emungeretur, tempus fore expurgandi; Alleviaret manum suam & onera minueret, alioqui se non videre quibus verbis placarent insurgentem multitudinem. Ast omnia summis accepta auribus, nec ad cor penetravere.

Hæc Crantzius, alias causae plus æquo Erici addictus, quibus accedit quod in Dania plerumque residens, nullam Sueonibus justitiam administraret, ipsos per homines gubernaret avarissimos sceleratissimosque. Hi etiam Regis praetextentes mandatum, & commodum propriae frequenter replendae crumenae regnum divexarunt contributionibus. Quarum nomine, aliarumque per plurimum apud Regem delati iniquitatum, mendacio quam apposite ad veritatis imaginem confictio culpam declinarunt, velut pluribus mox indicandum est.

Quod vero perhibeat Olaus Neritius hoc anno Dalecarlos hujus ergo tyrannidis primam Erico movisse rebellionem, illud veritati deprehenditur alienum, cum MCDXXXIII. in primis sint oblectati.

1431.

MCDXXXI. classem de Suecia numerosam Ericus produxit in hostes, moderatoribus Brodero Suenonis & Gregorio Magni, natalium splendore, martirisque amore conspicuis heroibus, primoque in quaternas Lubecensium naves, Riga venientes cum mercibus amplissimis facto impetu, ternas earum comprehendunt, quarta in ostium Thraevae praeceleri cursu evadente. Sed anno proximo Lubecenses in freto Cymbrico aggressi, cum CCXL. commilitonibus abducuntur Lubecum captivi.

1432.

Nam mercatores damno superioris anni cautiores effecti, MCDXXXII. suas onerarias quibusdam instructissimis actuariis curant per mare deducendas. Quod nostri rescientes, classe Danis unita, quorum Praeses Ericus Krumedichius fuerat, hostilem invadunt; Verum pugna oppido fervente, Sueones a fociis refugium in litore Danico captantibus deserti, manus hosti praebere compelluntur. Etsi autem pro liberandis Suecorum Admiralibus saepius utrinque colloquia sint celebrata, tamen in septimum captivitas prorogatur annum, quando proprio semet aere laxarunt. De quibus consulat lector Ericum Upsalensem, libro V. suae historiae pagina 294. & Laurentium Arosiensem, qui tamen falso decennium captivitati deputavit. Proinde quotidianis Scandio-

diotarum adactus querelis, MGDXXXII. XVIII. Calendas Septembris, cum civibus Hanſaticis quinquennes paciſcitur inducias, & minimè obſervat. Interim nova circumſpiciens, ambiensque ſubſidia, Kalunburgi, XXVIII. Octobris cum Henrico Anglorum Rege confœderatur, illic præter alios opera Thomæ Stregneſium uſus Antiftitis.

Veruntamen his belli feriis à contributionibus nullæ prorsus Suecorum feriæ, quibus præter inauditas tyrannides alias, maxime Dalecarlos cruciabat, quidam officialium regionum, Joannes Erici de Asdal Juthiæ nuncupatus & procreatus. Quippè indigenas hujus provinciæ & conterminæ, nullo pietatis, æquitatis, commiſerationis & conditionis habito reſpectu, infandis afflixerat calamitatibus, & ut plurimas interperſtringam gravius, viros quinque nullius ſcleris convictos, fumo ſuffocaverat, & uxores partui propinquas aratro jungens trahendo, eò uſque jumentorum uſurpat vice, donec ſub jugo paterentur abortum. Cætera tyrannidis genera me taçente, & horrente, clariffimus Germaniæ vates Henricus Mollerus recenſet, Erici Pomerani ſclera in Suecos commemorans, in Historia Caroli VIII. Suecorum regis:

*Praefectos nulla ſtatuit virtute decoros,
Expertes omnis qui pietatis erant.
Hic populum ſævo truculentius hoſte gravabat,
Discernens inter fasque nefasque nihil.
Ille mala tristes ſpoliabat fraude colonos,
Ut proprii quicquam nullus haberet ager.
Alter conſeſſo ſibi jure licere putabat
Stupro ſubjecti commaculare torum:
Sivè repugnantis florem violare puella,
Intactum liquit tam furor iſte nihil!
Quin huc proceſſit veſana licentia, natum
Auſa ſit ante oculos ut jugilare patris;
Anteque plangentis tantum ſcelus ora mariti,
Uxorem vetito ſuſtinuiſſe ſinu:
Et ſine judiciis, ſolitarumque ordine legum
Cives immani cade necare bonos.
Hæc licet in toto fureret violentia regno,
Extremam populo, ceu poſitura diem:
Juto tamen quidam reliquos ſæviſſimus inter
In Dalecarliacis frena tenebat agris,
Illic cum cives rabioſo quoslibet aſtu
Exagitat, ſpoliat, ſupprimat atque necat:
Exuritque caſas miſeris, ipſosque furenter
Indigenas ferro mactat, & igne cremat.*

Tantis ſuorum popularium ærumnis quidam indigenarum, Engelbertus nomine, libero natus illic parente, in aulis principum educatus, corpore quidem puſillus, ſed animo magnus & imperterritus, merito provocatus fuit, in Daniamque proſectus, de ipſis Regem informat; Atque literis ad Conſiliarios Sueciæ inquisitionem ſine executione in ſcelus mandantibus, ægrè obtentis, remeat. Deinde latam

sententiam Erico præsentans, implorat executionem, & incolarum à tanto tyranno flagitat liberationem. Atqui Rex perperam à reo interea informatus, cum indignatione supplicem repulit Ingelbertum, qui ventante reversionem Erico, se denuò reversurum tacite submurmurat, & domum properat sine Iberorum consolatione.

1433. Itaque anno MCDXXXIII. tempore autumnii, Dalecarli vindictam ipsimet de scelesto sumpturi præfecto, Arosiam, ubi moraretur, Engelberto ductore, obsident. Sed quorundam regni Procerum placati oratione, promittentium officio tyrannum certo exuendum, nec diutius illis metuendum, inde redeunt, sanctè jurando se impòsterum regia Cimbro non persoluturos tributa. Is autem consilio magnatum & periculo nupero mox contemptis, MCDXXXIV. ineunte anno, per suos il-

1434. luc destinatos servitores census longe inclementius extorquet. Ideoque plebecula magis exasperata, multò prope medium Quadragesimæ tempus potentior Arosiam descendit, castrum everfionem & præfidis habens propositam internecionem. At denuò Consiliariorum Sueticorum, & Johannis de Oeffversten Comitum, regii pro tempore quarundam munitionum vasalli, furens populus sedatur intervertu, Joanne officium resignante comitis potestati, qui Melchiorum Goertze mansuetioris hominem ingenii clementiorisque Regis nomine subrogat.

Ita populus ferocia posita in principium ætatis quiescit, & interim cognoscens sceleratiorem à Rege tyrannum propediem suffectum iri, quantocius censuit obviandum, & non à suis modo cervicibus, verum etiam reliquorum Sueonum intolerabile Danorum tempestive jugum excutiendum esse. Igitur prope sollennia Præcursoris Dominici, plebs montana longe numerosior Engelberti auspicio prorupit, & regni munitiones peregrinis ereptas gubernatoribus partim incendio Engelbertus consumpsit, partim servatas indigenis moderandas commendavit. Nam primo Borganesense, & inde castrum Kopungense apud Westmannos expugnata solo adæquavit, hujus præside Johanne Wale Stegeburgum profugiente. Atque à Westmannis auxilio in tyrannorum expulsionem postulato & prompte impetrato, primarios nobilium Arosiam suis convocat Engelbertus literis, & illuc simul properat, obvium habens præfectum postero die arcis deditonem promittentem. Nobiles autem vicinarum ditionum mandato Engelberti percepto, certatim Arosiam convolant, zelum ipsius patriæ in libertatem asserendæ plurimum collaudantes, & suppetias ultrò deferentes, alias vita & bonis privandi. Proinde tam felici rerum primordio animosior Engelbertus evadens, Arosiâ nobilissimo viro Nicolao Gustavi, quo satus patre D. Ericus Puche, commissâ, Upsaliam festinavit.

Hic etiam mandato Engelberti confluerant Uplandi, Helsingi, Medelpadi, & Angermanni, quibus patriæ vindicationi libentissime consentientibus, & subsidium spondentibus, ex consilio Procerum sequacissimo viro Erico Puke, Kofsholmensis castrum & Bothnensium orientalium præfidi, provinciarum borealium committens gubernationem & protectionem, ipsum hortatur ad subducendas peregrinis illas regiones. Is protinus æqua monenti auscultans, triplicem cogit exercitum, & inde Helsingis & populis congregato finitimis præficit strenuum & ingenuum Elaum Dieckne, qui Faxholmium in Helsingia occupatum, flammis abolevit. Alteri verò præponit cohorti prænobilem & magnanimum Johannem Folchonis, à quo Castelholmium Alandiæ Ottoni Po-

deviſk potenter eripitur. Aſt tertium ductabat Ericus agmen, illo expugnans Styriſholmium Angermanniæ, & Krytzbergum Bothniæ ſeptentrionalis, ac incinerans; hiſque præclare geſtis ad Engelbertum ſe conferens. Sudermannorum quidam Recharbodenses nuncupati, præfatorum exemplo provocantur, ad extirbandum Comitis Johannis præfectum, diu ipſos cruciantem, caſtello Gripſholmienſi. Verum ille, Hartvicus Flögh appellatus, furentis cōgnitō multitudinis adventu, terrore percuſus nimio, ſupellectilem navibus imponit, ignem tectis injicit, & fugam accelerat Stocholmiam.

Atqui Engelbertum ex prolixiori reviſamus intervallo, qui temporis intereā profectus Upſaliā Stocholmiam, ex monte Brunconis urbem cinxit obſidione; & tandem caſtellano Johanni Kröpelin Prutenno ad colloquium evocato, aliquot hebdomadum conceſſit inducias, & ſub Orebrogiam caſtra promovit; Illic cum Ketilbergo, & hinc abiens Nycopiam, cum Alberto Styke, præſidibus arcium ita convenerat, ut niſi ſeptem ſpacio ſeptimanarum à Rege nancifcerentur ſuppeticas, Engelberto dederent munitiones. Poſt Ringſtadholmium aggreſſus, poſcenti Henrico Styke in diem quintum deliberandi ſpaciū annuit, & parte copiarum ibidem relicta, interim cum reliqua Waſtenum contendit, quò potiffimi Conſiliariorum nuper ex Dania reverſi, confluerant, & illos inter Canutus Lincopenſis, Siggo Scarenſis & Thomas Stregnenſis, Epifcōpi. Nam menſe Auguſto, Rex Vordingborgi comitiſ trium regnorum celebratis, pacem cum hoſtibus firmandam, ut aliàs, fruſtra tentavit, illucque citati, Proceres noſtri comparuerunt, & nunc reverterunt. Hōs Engelbertus Waſteni compellans, ad patriæ libertatem unā aſſerendam, hominū externorum tyrannide vindicandam, & Regem perfidum, perjurum, atque tyrannum crudeliſſimum hortatur exterminandum. Sed multis utrinque verborum habitis aliquandiu velitationibus, animadvertens Optimates ſuis contrarios molitionibus, Regi ſe adhæſuros ingeminantes, vita, bonis que minatur actutum ſpoliandos, niſi eveſtigio patriæ conſentirent liberationi, & datis ad Ericum literis, exemplari conformibus præſentato, omnem ipſi renunciarent obedientiam. Hiſ itaque Proceres compulſi terroribus, Engelberti obediunt voluntati, diplomati ſubſcribunt clarigationis, conſilium & auxilium ſpondent. Hiſ autem literis per ſervitorem Engelberti oblatis, Pomeranus vehementer percuſus, adverſarium, teſte Crantziō, multumodè conatur à propoſitō revocare contumacem.

Quandoquidem Waſtenō remeans Ringſtadholmium, illud mox recuperat, & paucis poſt diebus deditōne quoque capit Stegeburgum. Dein bino de Oſtrogōthis conſcriptō exercitu, uno Stegeholmium Tiutiæ oppugnat, & Novembri menſe expugnat, Lagōni Roed extortum. Altero ſub directione Hermanni Berman deſtinato, eripit Ottoni Snaſtio Romblaburgum, Hemingo von Lenchen Trulleburgum & Pigsburgum. Verum Engelbertus ſua ſtipatus phalange, Oerebrogiam maturat accessum, quod numeratis Ketilbergo M. denariorum marcis, percipit, Axevaldiumque Weſtrogōthiæ acceſſit. Quod Andrea Nicolai, Equite Dano pandere tergiverſante, commiſit Erico Puke Weſtrogōthorum auxilio expugnandum, & induſtriō virō Petro Ulphōnis, opera Wermelandorum, Edſholmii, Dalaburgi & Agneholmii demandat obſidionem. Interim Engelbertus ſuorum virtute commilitonum Martino Grabo Oppenſtenium, & Joanni Laurentiō ſubduxerat Oereſtenum.

Atque hac ratione munitionibus exterorum pōtentia quibuſlibet

regni Suetici brevi admodum tempore subtractis, Hallandiam infestavit. Borealis quidem mox spondet subjectionem, sed australis reluctatur, patrocinio Wardbergenfis subnixa præsidis Axelii Petri. Quare Warbergum Engelbertus intrepidè profectus, cum Axelio in gratiam ea rediit lege, ut castro & bessè redituum annuorum contentus, provinciam Engelberto consignaret, à Sueco defendendam moderatore. His Warbergi Engelberto intento, Hermannus Berman, cum suo impugnat manipulo Falchenbergum, deditioemque arcis Axelio Achatii abnuente, subsidio properat Engelbertus. Undè rebus suis Axelius diffusus, clanculum opes liburnis imponit, ignem mœnibus subjicit, & Daniam repetit. Arce flammis collucente, nostri Halmstadium versus festinant, illoque protinus deditioem occupato, Lagaholmiùm contendunt, Scanos armis infestos illic profligaturi. Sed fluvio intermeante à congressu retardati, pacem cum hoste ineunt, quam pars deinceps neutra foret prævaricatura, nisi XII. prius septimanis adversæ denunciasset.

Hoc pacto cum finitimis populis concordia sancita, & tota patria in libertatem vindicata, domum victricia retulit Engelbertus signa. Quanquam verò, teste Gotho nostro, centum millia virorum sub vexillis habuisset, tamen nè quidem gallinæ dispendio indigenas mulctasse perhibetur.

1434. Tumultuante autem Engelberto in Suecia, destinatur Nicolaus Ragvaldi, Wexionensium antistes clarissimus ad concilium Basileæ, anno prioris inchoatum, à Rege legatus. Illic paucis secundum Archangeli festivitatem diebus, anno MGDXXXIV. in Ecclesia urbis primaria, & totius confessu coronaque concilii, eam pronuntiavit, de Gothorum ex Scandia progressu, rebusque præclarè gestis orationem, quam Johannes Magnus, libro XVI. capite XXVIII. suæ producit historiæ. Quod illo quidem Præsul aggressus proposito, ut Regi Suecorum, supremum in congressu & confessu quorumlibet Regum Principumque gradum jure meritissimo competere demonstraret. Siquidem Hispaniæ & Angliæ Legatos audiens ibidem, de sedium eminentia disceptare, dicto peroravit tenore, non absque singulari auscultantium admiratione. Quippe illo conticescente, assurgit Conchensium in Hispania Episcopus, palam contestans in istum hujusmodi sibi diem fuisse ignota, & respondendi spacium apographumque poscens orationis. Sed hoc residente prodiit Alphonsus Carthægena, Compostellensium tum temporis Decanus, & deinceps Burgenfium antistes, ut ipsemet in anacephaleosi Regum fatetur Hispanicorum, sententiæ adstipulans Nicolai, & insuper Gothis statum Hispaniæ gloriosum referens acceptum. Neque hujus controversiæ amplius injecta Basileæ memoria, quod Nicolaus pro spectabili rerum peritia gerendarum, solertiaque, cum Archiepiscopo Nicolsiensium in Cypro, paululum post ad decidendam Franciæ regem ac Burgundiæ Ducem inter exortam simultatem, à concilio fuerit expeditus universo.

Interim rex Ericus ad obedientiam rebelles perducturus subditos, frequentissimis militum cohortibus classi impositis, Octobri mense, Sueciam versus dirigit curriculum. Verum gravissima jactatus tempestate, binis navigiis & plurimis strategorum amissis, Novembri Stocholmiam appellit.

Proindè adventum Regis infestum Arosiæ Engelbertus cognoscens, Ordines regni denuò ad arma convocat, & Stocholmiam ternis obsidet castris, Sudermannis ex meridionali, Uplandis boreali, West-

mannis & Nericiis occidentali urbis plaga impugnationem urgentibus. Hinc Ericus populi occursum impressioni, D. armatis Monachorum, & totidem ferme S. Spiritus firmavit insulas, reliquum copiarum defensionem civitatis & acropolis assignans. Roslagii verò Stocholmensium audita obsidione, Osthammarenses decreverunt arcem expugnare. Idque subolfaciens præfectus, ignem subdit, & cum divitiis navigat Stocholmiam. Subverens deinde Rex nè munitio pariter Stechensis in manus deveniret hostium, mandat incendio vastandam, nocte D. Martini consummato.

Demum se imparem hostibus videns Ericus, ad inducias convertitur, & Ordinum impetrat colloquium, in nosocomio S. Spiritus. Illic sciscitanti quamobrem Sueones ipsum throno molirentur exturbare? responsum est hujusmodi rebellionem non tam illius intendere exterminium, quam æquitatis dudum intermissæ, consuetudinum & privilegiorum recuperationem, assertionemque. Immò paratos coram iudicibus competentibus, de controversiæ disceptare articulis cum Rege, fœdatoribusque, atque nè quidem ad latum declinare unguiculum justitiæ rigorem. Interim & hoc sciret, nemini Danorum Sueones imposterum in regno beneficium, vel officium permissuros, quod tota ipsorum molitio hominum, in regnicolarum cederet detrimentum. Et hanc nostratium protestationem, anno MCDXXXIX Danis Ericus in Gotlandia extorris, literarum internuncio exprobravit.

Verum æquissimis Suecorum votis, Rex consensum noluit præbere, suorum conscius facinorum, juris processum exhorret, & legum immunitatumque denegat usurpationem consuetam, ac in coronationis solemnitate sacramentis promissam. Idcirco solas Rex obtinuit inducias ad festum Nativitatis Parthenicæ, illa conditione duraturas, ut regii interim officiales nullos omnino de provinciis levarent census, idque festo D. Martini deliberatum & confirmatum. Non tamen Ericus sat fidens pactis, Stocholmiæ DC. præsidariis relictis, mutato, ut refert Crantzius, habitu, clam in Daniam recessit. Sueones verò litem armis decernendam probè animadvertentes, antequam Stocholmiâ dilaberentur, in conventum Arbogiæ, Idibus Januarii frequentandum, pro rerum deliberatione consentiunt. Interea temporis illuxit annus MCDXXXV. 1435. statoque die Ordines Sueciæ Gothiæque Arbogiam convolantes, præter alia patriæ negotia, illic ponderata & determinata, Engelberto gubernaculum regni consignarunt, uno ipsi qualibet ditone in subsidium adjuncto commilitone, qui subitis hostium obviaret quantocius incursum.

Proinde Johannes Kroepelinus martem arte averfurus, Sigtoniæ Procerum colloquio, ad Februarii Calendas postulato & impetrato, illic Stocholmia, socio Crucigerorum militum quodam proficiscitur. Atque cum tranquillitatis & æquitatis esset magnoperè studiosus, quietis admonet nostrates, & semet, sociumque concordia præbet sequestrum, in Daniam, obtento à Sueonibus salvo conductu, actutum ad Regem properaturus. Neque consilium Optimatibus displicuit, à quibus fide publica & gravaminum punctis acceptis, Kroepelinus cum Pruteno Crucigero Ericum accessit. Is cognita Suecorum petitione, Proceres consulit Danicos, & suasu illorum Halmstadii indicit conventum, V. No-narum Maji celebrandum.

Sed quando Sigtoniæ utrinque consultatur, à trienni rediit exilio Upsaliam Olaus Archiepiscopus, in quod regia ipsum tyrannis im-

merito conjecisset. Nihilominus tamen Olaus Halmstadium statuto tempore, sociis Canuto Lincopenfi, Siggone Scarensi, Præsulibus, Nicolao Erengislonis Sudermannia, & Canuto Jonæ Westrogothia, Legiferis, Magnoque Gren, ingressus, potissimam Erico impendit operam conferendo. Illic siquidem Ericus in throno Suecia confirmatus, de quo legitime fuerat profligatus, usu legum Sueticarum, privilegiorum, consuetudinumque veterum nostratibus sanctè promisso, velut etiam prædiorum in Dania vel Norvegia subductorum restitutione, libera utrobique negotiatione, atque conversatione, addictis concessisque. Insuper spondens festo D. Olai regis, omnem XII. arbitris Stocholmiæ controversiam subjiciendam, & decidendam, præter suam in præfectos nomine repetundarum querelam, & causam Gregorii Magni, commilitonumque in freto à Lubecensibus Cimbrico captivatorum. Denique pollicitus Rex, censuum intolerabilium abrogationem, Engelberto in feudum Oerebrogiam cum regione subordinata, & Erico Pukio ditionem Ratzherensem, comitiisque præfatis regno Archidapiferum & Marschalcum provisorus. Vicissim nostri promissere, Regem his consummatis, urbes & arces Suecia Gothiaque cum jurisdictione pristina recuperaturum, & interim regio in quibusdam præsidio victualia subministranda esse. Ipsi præterea & trium unioni regnorum adhæsuros, cujus diploma genuinum, vel certe apographum inde legitimum dicto Stocholmiæ confesso producendum & publicandum foret. Atqui Hallandiam cum munitionibus Erico protinus ibidem resignarunt, & remearunt.

Durante autem Halmstadii colloquio, fossæ infudat Engelbertus inter Melerum & mare Balticum tam profundæ Telgis ducendæ, ut navigia possent commeari, in maximum viarum & rerum augendarum compendium. Verum occurrentibus passim largissimis petris, à præclaro in patriam beneficio revocare operas compellitur.

Ex actis verò Halmstadianis Ericus prospiciens difficilem fore transactionem cum Sueonibus, præsertim flagrante bello Holfatico, Vandalicoque, quod animosiores ipsos redderet, ad propugnanda jura libertatemque patriæ hætenus proculcata. Immò subverendum esse perpendens, nè penitus jugo Danorum projecto, unà Daniam impugnarent, indeque Holfati & civitates Vandalicæ difficilioribus multo pacem admitterent conditionibus. Ideoque tantis præveniendum periculis ratus, Wordingzburgi, Idibus Julii, cum Holfatis, & circiter XX. cum Anfatiscis in gratiam rediit, postquam istos XXX, & has IX. impugnasset annis, paucis rerum suarum emolumento.

Interim ad IV. Calendas Augusti, prout Halmstadii conditum fuerat, Stocholmiæ conveniunt Ordines regni Suetici, & non comparente Rege plurimum indignantes, tandem blandis Danorum illic verbis mitigantur, & terminum ad VI. idus prorogant Septembris, non citra XVI. millium marcarum damnum, ut libello supplici postmodum protestati sunt. Quocirca tribus a priori evolutis termino septimanis, Rex una navium tempestate sub Calmarnia desiderata, cum reliquis & multis armatis Stocholmiam appellit. Nostri autem in faucibus congregati vicinis, & portu de virgine nuncupato, XVIII. suo ex numero designant Proceres, quibus plenam cum Rege injuriarum nomine expoſtulan-
 landi, consultandi & transigendi impertiunt potestatem, erantque sequentes: Thomas Stregneſium Præful, Nicolaus Erengislonis, Benedictus & Boëtius Stenonis, Equites, Boëtius Piick, Ecclesiæ Lincopenſis Archidiaconus, Philippus Bonde, Benedictus Ulphonis, Benedictus Joannis,
 Ca-

Carolus Canuti, Canutus Caroli, Birgerus Trolle, Olaus Ragvaldi junior, Laurentius Snekenborg, Olaus Joannis, Haraldus Stenonis, Martinus Suan, Ericus Joannis, & Faderus Ulphonis. Hi primum Regi & regiis in cœnobio S. Claræ, & deinceps xenodochio S. Spiritus, congressi, subsannatione & cavillatione pro consolatione excipiuntur; Quamquam aliud non poscerent, quàm ut Rex juramentis & literis præstaret executionem observationemque, Sueones juxta legum & libertatum vigorem per indigenas, non alienigenas gubernando. Tota siquidem Erici & Danorum fuerat intentio Sueciam redigere in provinciam, regni titulo, juribus, insignibus, & proprio Senatu orbatam. Quæ ipsorum machinatio prosperiorem cum Norvegis deinceps exitum fortiebatur.

Denique cum ultra mensem adversariis Sueones colluctati fuissent, & Rex non minis vel blanditiis litem perpenderet confectum iri, ad dolos versus est consuetos, æquissimis nostratium subscribit postulatis, pridie idus Octobris, & cum ipso XLVI Germani, Dani & Norvegi, ut hac fraude regni dominio potitus, ex arbitrio tamen illud moderaretur. Nam ex tenore legum, immunitatum & consuetudinum, pollicetur se Suecos per indigenas, omni prorsus offensione condonata, gubernaturum, solumque Stocholmiæ, Nycopiæ & Calmarniæ de Suecis, Danis aut Norvegis, non aliis, quos sibi placeret, daturum præfides; Archidapiferum, Marschalcum, Legiferos, cæterosque provinciarum iudices, ex præscripto juris deputaturum; ut etiam hujus diplomatis & unionis exemplar Sueciæ archivo relicturum; atque residua Ordinum gravamina per XII. arbitros de tribus mox deputandos regnis, decisurum promisit, & modicum servavit. Etenim castra & feuda peregrinis illico commisit; juris & libertatis nullam rationem habuit; offensam plectit; unionis diploma non tradidit, causasque sub XII. illos palæmones devolutas, elusit. Qui Sueonum designati, nempe Siggo Scarenensis, Magnus Abogensis, Episcopi, Christiernus Nicolai Eques, & Johannes Kroepelin, suis quidem justitiam lubentes administrassent, sed molitione assessorum & suasionem, pleraque Statuum maximi momenti gravamina, censura Regis stolidè submitunt.

Et hæc inter fuerat Procerum justissima querela, de Gotlandiæ amissione, quam Erico & Senatui Norico enucleandam porrexerunt, comitiis Ludolæ festo Præcursoris, anno MCDXXXVI. super his, aliisque negotiis, celebrandis. Ità Huitfeldius, qui tamen Halmstadii sententiam à XII. latam arbitris pronuncians, fallitur, cum mense Octobri, Stocholmiæ fuerit publicata. Cætera verò producit veraciter hujus anni documenta; Siquidem non minus Danorum, quam Suecorum adversus Ericum causam manifestant, alias mutila produxisset.

His ex voto peractis, & regni possessione recuperata, nè mox perfidia nostratibus proderetur, mandat tres Archidapiferi idoneos officio nominare candidatos, unum illorum designaturus. Verum Carolum & Boëtium Canuti, atque Nicolaum Stenonis præsentantibus respondet, provectioris viros ætatis huic muneri præficiendos, Christiernum Nicolai, Benedictum Stenonis, & Nicolaum Erengislonis ipsis vicissim proponens, quorum illi Dapiferum jussi nominant, Christiernum Nicolai, & Rex de prioribus Carolum salutatur Marschalcum. Hos quæ par erat solemnitate deinceps confirmaturus, propalam gladiolo porrecto, Christiernum velut per jocum designat præregem. Deinde cognoscens responso Erici Krumedichii, Marschalcum argentato & aureo annulo decorato scipione tradendo inaugurandum esse, album duntaxat

pari contemptu tradidit bacillum. Atque his novo subsidia officio possidentibus, istud per ludibrium occinit carmen:

Ultra mensuram lodicis non dirige suram.

Quamobrem hinc Sueones, qua fide alias pactorum conditiones exequuturus esset Rex, non obscure colligentes, inprimis aliquot Optimatum Danicorum ipsi destinatis, admonent ipsum promissionis efflagitando consuetum Dapifero & Marschalco subsidium. Sed minus fideliter Danis legatione functis, X. suorum denuò missis in arcem Stocholmensis, non Hafnensem, ut somniat Huitfeldius, ingeminant postulata. Qui non repulsam modò passi, verum & regiam experti summam indignationem, exprobrantis rebellionem Engelberti, & his expensam referentis. Igitur mœsti ad socios regrediuntur, & relatione facta, certatim Ordines domum inde dilabuntur. Ericus verò Johanni Kroepelin, quod Sueonum, & æquitatis esset patronus, Erico Nicolai Cimbro, famoso nebulone, in custodienda Stocholmensium acropoli cum D. armatis subrogato, ineunte Novembri, velificat versus Daniam, passim amotis Sueonibus, arcium gubernationem committens alienigenis, homicidio, stupro, sacrilegio, perjurio, & piratica infamibus, faucium accolas maritimarum rapinis & incendiis populans, urbemque Wastenenfium per cohortes incendens emissarias.

Undè creberrimis ad Engelbertum, aliosque patriæ patres actutum querelis super tanta perlatis injuria, comitia Ordinum Arbogiæ, festo DD. Fabiani & Sebastiani frequentanda publicantur.

Interea temporis æquissimus scelerum vindex DEus, tantam non liquit perfidiam impunitam, ex scelerata classe in pelagus de faucium angustiis provecta, non paucas fluctibus obruens naves, multis Procerum Danicorum intereuntibus. Immò quotiescunque aditum sive abiturum ex Suecia tyrannus ageret, toties icelus spirantem, aut de commisso triumphantem, naufragio DEus multavit.

Sed ex Oceano Arbogiam vela orationis dirigamus, ubi anno MCDXXXVI. XIII. Calendas Februarii, Status Sueciæ Gothiæque concilio habito, perfidiam Regis examinant, & literis ipsi transmissis, omnem renunciant obedientiam, nisi cis Martias Calendas, promissa nuper Stocholmiæ mandaret executioni, & detrimenta interim Sueonibus irrogata, compensaret, simul etiam directis in quaslibet regni provincias mandatis, hortantur Consiliarii indigenas, nè finerent regios ex arcibus præfides direptionibus regiones infestare, aut hostem peregrè forsitan imminentem admitterent.

Deindè rumores ex Dania illic increbescentes, denunciant primo vere Regem in Sueciam rediturum, & Bugislaò Stocholmiam renique consignaturum gubernationem. Atque Stocholmia ab incolis Suecicis clam missi pariter advenientes Arbogiam oratores, ad subducendam quantocius Danis urbem seriò Ingelbertum, reliquosque Optimatum sollicitant, quòd non minus quam sub Alberto suis impenderet capitibus periculum. Quamobrem his in frequenti Ordinum corona propositis discriminibus, decernitur unanimis omnium Stockholmiam profectio, exploratum quid à Danis illic Sueonibus expectandum foret.

Appropinquantibus verò sibi portas urbis ocludi conspicientes, ad ipsas indicio pacis erecto, Marschalcus, Ingelbertus, Gotscalcus Benedicti & Johannes Caroli, heroës conspicui progressi, ab evocatis consulum Germanicorum binis, causam sciscitantur exclusionis? Qui negotio cum præside communicato, respondent Johanne Kroepelino ad-

veniente, in civitatem & ad colloquium Ordines Sueciæ permittendos esse. Atqui nostris aliud responsum urgentibus, tertio consules progressi, jam sublato clanculum pacis symbolo, referunt mandato Regis ab ingressu prohibendos. Ideo mox unum Marschalcus, & alterum ipsorum Engelbertus apprehensos, abducunt captivos, inspectante civitatis Castellano, & fremente. Qui propterea rem ad bellum prospiciens inclinatam, portas obserrat, propugnacula emporii firmat, armatis, & com meatu ab indigenis quantocius cumulo, acropolin instruit, inde machinas undequaque in nostrates obvertens.

Verum Suetici generis municipes, memores petitionis Proceribus exhibitæ, & indignum rati indigenas ab alienigenis ex proprio regni municipio excludi, velut quoque ob negotiationis intermissione, rerum inopiam, famem, & vitæ discrimen pertimescentes, facto in portas impetu, seras frangunt, repagula subducunt, & popularibus pandunt accurrentibus. Igitur Marschalcus urbe potitus, Danos de propugnaculis ejicit, militem à prædis coërcet, cives sacramentis obligat, castrum à Danis minas spirantibus frustra flagitat, & Kroepelino in cœnobio refugium captanti insulano, suum mandat prædium securè accedere. Hæc inter hostis ex arce prorupit, hortum ea intentione succendens vicinum, ut inde flammis conceptis tota conflagraret civitas. Ast voto divina opitulante gratia frustratus, & Marschalcus hujusmodi periculis obviaturus, arcemque oppugnaturus acrius, sibi borealem, Puchio australem, civibus orientalem Stocholmiæ plagas, & Nicolao Benedictoque Joannis fratribus insulam S. Spiritus attribuit conservanda, & castrum infestandum. Archiepiscopus etiam Olaus cum CCC. ingressus equitibus, strenuam defensionem & impugnationem operam navabat, interim Christierno Nicolai Dapifero in Finlandia, quò superiori abiit anno, commorante.

His Stocholmiæ ordinatis, consilio Procerum, Engelberto arcium in regno cæterum demandatur expugnatio, qui profectus Nycopiam, Sudermannis congregatis obsidionem castrum, sub directione Hermanni Berman commisit, & Stocholmiam revisit. Etenim inaudivit hostem Calendis Februarii eruptione in civium stationem facta, incautis grandem intulisse cladem, & macelli ædificiis flammam subjectas, damno incolas affecisse. Itaque denuò Consiliariis illic constitutis, reliqui Statutum de polymarcha ordinando supplicat, à quo damnorum satisfactionem repetant quorumlibet. Consensu obtento XXX. nominant, quorum suffragiis gubernator designandus est. Quæ Archipræsul fideliter colligens, XXV. Marschalco, III. Engelberto, & II. Puchio deprehendit attributa. Sed Marschalco clavum regni traditum hi competitores indignati, fœdere inito, & plebecula sibi conciliata, turbas meditantur atque minantur. Quod tamen civile deseruit incendium, Engelberto in partem regiminis admisso, & impugnatum alias regni munitiones emisso, Stocholmiam Marschalco administrante. Verum prius insinuat Kroepelinus Optimatibus, sibi protectionem in Daniam propositam, suam ipsis operam in reconciliando, si placeret, Rege. Oblatum Suedones non despicientes obsequium, per Johannem Erico adhuc deserunt subjectionem, dummodo pactis velit adhærere.

Dum verò Stocholmiæ moratur Engelbertus, Hermannus improvidè Nycopiam oppugnans, vulnere accepto, & clade commilitonum mediocri abcessit. Hinc Engelbertus eò regressus, circumspectiorem subrogat ductorem, Sudercopiamque inde festinat. Illic confluentibus

Ostrogothis imponit Stegeburgi expugnationem, duce quodam Eren-
gislone. Sed Tiustiae inhabitatoribus Stegeholmium Olao Finne deman-
dat eripiendum, Boëtio Canuti sub moderatore. Atqui Westrogothis
sibi actutum Scaniam ingressuro, ad limites regnorum jubet praesto esse,
& cum Smalandis, Calmariam adproperat. Hæc inter servitores Erici
Puchii, Grimshufium dolo invadentes, Danis præripiunt, patriæque re-
stituunt. Calmarnenses autem Engelberto urbis deditioem flagitanti,
obluctantur, & castris ea propter in Klachenbergenfi firmatis jugo,
impugnantur, Nicolao Stenonis, Gotskalco Benedicti, & Gustavo Lau-
rentii, antesignanis. Post Engelbertus secum Nicolao Stenonis accepto,
Blechingiam intravit, cui trans pontem indigenæ Sillensem occurrunt
infestis signis. Verum ipsius cognita potentia, subversionem pontis
fugamque meditantur, & ab utroque retardantur. Undè clementiam ho-
stis experti, obedientiam spondent, & Engelberto Rotnebygium de-
dunt, quo fidei assignato Claudii Lang, in Scaniam accelerat, obvios
habens Westrogotos, quibus cum Lagaholmium obsedit.

Inde reliquum Scaniæ subacturus, pontem transiit Rynensem,
quem Scani repulsuri, ad arma frequentissimi sub ductu Petri Oxe
convolant. Ast Engelbertus prodroma cohorte in fugam acta, & re-
latione Canuti Saxtorp captivi frequentia & potentia hostis explorata
subrepentis, regressus pontem subvertit. Dein subolfaciens Scanos va-
di transitum petere Tranarpensis, ipsos viarum compendio quæsito an-
tevertit, & positis castris, pervadendi adversariis præscidit occasionem.
Igitur Scani necessitate compulsi, renovant pacem ante biennium utrin-
que institutam, & nisi Engelbertus cis Paschæ solennia Lagaholmio po-
tiretur, illud obsidione liberaret. Sed dum literæ concinnantur, En-
gelbertus triduo ante festivitatem dictam Lagaholmium remeat, ejus-
que reditu irruptionem minitantis Henningus, odiaque præses terri-
tus, vitæ & bonorum pactus immunitatem, milleque aureorum, ca-
strum pandit Engelberto. Quod industriæ Arvidi Suan tradidit ser-
vandam, & festinat ad transactionis locum, ubi pacis mox literis per-
ceptis, moverat sub Halmstadium. Id quoque, divinitus uno consilium
Tychone Jort rebelle multato, receptum munivit, Vardbergam con-
versus, illius oppugnationem Boëtio Stenonis, Brodero Suenonis &
Hermanno Berman assignavit. Hinc Elsburgo infestus appropinquat,
ea pacem lege præfecto Mathiæ von Kalen occurrenti annuens, ut ca-
stro contentus, nullos de subjecta perciperet census regione. Tandem
in obsidione Axevaldii subita correptus ægritudine Engelbertus, hexa-
phoro Oerebrogiam reportatur.

His autem facinoribus Engelberto foris insudante, Marschalcus
suo Stocholmiæ non indormivit officio, qui victualium pressus inopia,
Puchium destinat frumentatum & lignatum. Is juramenti & negotii
oblitus sibi demandati, cœpit populo defectionem à Marschalco & Con-
filiariis suadere, propriam inculcando electionem. Nec finit perfidiam
DEus inultam, cum interim Stocholmiæ hostis in castra proruperit
Erici, plurimos servitorum vinctos abducens, armamentarium cum
supellectili bellica flammis consumens, & nisi Marschalcus subsidio ve-
nisset, graviori fuisset plexus incommodo, urbsque tota periisset in-
cendio. Et istud tribus ante Paschæ solennitatem accidit septimanis
infortunium, quando etiam Johannes Caroli, dux nostræ sub Nycopia
militiæ Stocholmiam veniens, suggerit proceribus nullam deditioem
spem, nisi Marschalcus illuc accederet ipsemet, quod cognovisset ho-
stem

item potius extrema passurum, quam Engelberto arcem permitturum esse. Igitur communi de consilio Nycopiam Marschalcus contendens, illic cum adversariis ita convenit, ut nisi suppetias à Rege sequenti obtinerent bimestri, traderent Suecis munitionem.

Quæ peragitur transactio XIV. cis Pascha die, illaque consummata, Marschalcus Stocholmiam revertens, percharam tori consortem morti proximam deprehendit, quæ in mariti amplexibus mox expiravit, unica superstite filia quadrienni, tunc sub cognatorum in Norvegia existente cura. Hinc ansam capio suspicandi, præfatam Caroli uxorem ibidem prognatam fuisse, non Stenonæ Turonis, ut quidam opinantur, fatam parente. Siquidem vitricus, non socer fuerit ille Caroli, & Birgitta soror uterina, quæ inprimis Gustavo Sture sociata, Stenonem Sture regni deinceps gubernatorem progignit, & demum Gustavo Caroli, leviro Marschalci desponsatur, hincque in genealogiam Bielchorum is propagatus fuit error. Neque profectò Schinnerus in Epithalamio reginæ Gunilæ, tantum Bielchiadum filuisset encomium, si horum Carolus contribulem habuisset uxorem. Tumulatur verò conjux illa Marschalci Stocholmiæ in Ecclesia monachorum insulana, ubi etiam maritus vita functus, corporis requiem consecutus est. Neque Laurentio suffragor Arosiensi, Wastenum ipsam postea translata falsò asseveranti, & sepulturam prioris cum tumulo posterioris confundenti.

Hoc autem gliscente & flagrante in Suecia tumultu, Ericus Wordingzborgi comitiis indictis, flagitat à Daniæ Ordinibus, ut Bugislaunt patrualem sibi liceret senio, morbis & laboribus fatigato, consortem facere regiminis, quemadmodum Margaréta se prius sublimasset. Verum consensu denegato, & rebellionem Sueonum percepta, thronis valedicit, & regnorum ornamentis & documentis secum abductis, Dantiscum navigavit. Illic precibus Danorum assiduis, regnorum alias formidantium divaricationem, ad reditum inclinatus, pro sui roboratione, nova cum Ducibus Pomeraniæ & civibus fœdera inivit Vandalicis, ab his simul impetrans in Sueciam legatos, indigenas ad armorum hortaturos cessationem. Sed ipsemet conflato ibidem exercitu Daniam repetit, & antequam pertingeret Hafniam, XII. fœda desiderat naves tempestate.

Nunc Engelbertum invisens ægrotum, comperio Benedictum Stenonis Equitem, quo cum partibus Danorum plus æquo favente, vationianam aliquandiu gessit inimicitiam Engelbertus, Oerebrogiæ infirmum super illa compellasse, eaque iudicio Senatus submissa, & binis utrinque datis sponsoribus, partes interim super vitæ atque honorum assecurantibus immunitate, dexteras copulasse. Ideoque Engelbertum æmulo in arcem honorificè invitato, & nomine filii etiam reconciliato, splendidum exhibuisse convivium. Deindè Marschalcus literis Kroepelinæ de Legatorum adventu Vandalicorum & conventu Wasteni tempore Pentecostes cum ipsis frequentando, redditus certior, Engelbertum hoc de negotio una consultaturum vocat Stocholmiam. Is cognoscens maturato opus, nec ægritudini quicquam temporis concedendum recuperandæ, in cymbam delatus, paucisque stipatus famulorum, quod induciis cum hoste pactis non diffideret, Stocholmiam versus remis velisque festinat. Sed noctis ingruentibus tenebris, ad insulam prædio inimici propinquam divertit pernoctatum. Cujus adventu explorato, Magnus Benedicti filius, ipsum furibundus invasit, immanissimè anno MCDXXXVI. die Veneris ante festivitatem inventæ Crucis Dominicæ trucidavit, supellectile spoliavit, uxorem, familiamque captivavit.

Homicida verò nefarius scelere patrato, Oerebrogiam eadem pro-
perat nocte, dolo castrum prædiis Engelberti subducere machinans, per
Albertum Peccatella in fraudis obsequium compulsus tentando. Atqui
Magnus spe frustratus, divitias Engelberti sectatorumque in civitate diri-
pit, & Gicexholmium prædiis onustus rediit, conjugem famulosque vin-
culis expediens, & abire permittens. Ast Engelberti funus accollæ mul-
to lachrymarum profluvio tollentes, in Ecclesia sepeliunt proxima Me-
delosensium, & commilitones populusque Uplandiæ, tam scelerata sui
charissimi defensoris cæde publicata, turmatim Gicexholmium solo adæ-
quaturi, advolant. Neque hujus ignari tumultus Benedictus & Magnus,
fugiendo Ringstaholmium, velut locum multo tutiorem, hostium præve-
niunt adventum. Itaque sicariis non deprehensis, flammæ adibus sub-
jiciunt, & funus Engelberti, sepulchro elevatum, Orebrogiam fletu
madentes transferunt, inque parochiali condunt decenter & reverenter
Ecclesia.

Marschalcus mortem Engelberti, atque populi eam propter tu-
multum inaudiens, mandato protinus divulgato, parricidæ inhibet per-
sequationem, & plebeculæ comprimit seditionem. Undè necis compli-
cem se prodidit cum Benedicto machinatæ, cujus etiam frater Nicola-
us Stenonis Magaretam Caroli sororem possederat conjugem. Johan-
nes Gothus Magnum à Danis in facinus propulsus memorat, cui non
magnoperè obluctor, quodque Magnus sceleris in tantum patriæ vindi-
cem perpetrati gravitate tandem ponderata, in hujus detestationem ex-
piationemque sæpenumerò manus sibi violentas inferre attentaverit. Atqui
servitorum interventu identidem à facinore præpeditus, rigidissima quo-
ad vixerat pœnitentia homicidium expiare conatum esse. Igitur Crant-
zium Magnum populi concursu affirmans trucidatum, à veritatis exor-
bitat tramite, quem an deprehenderint, qui Engelbertum à morte san-
ctitatis coruscasse prodigio, superis examinandum relinquo, illud Hen-
rici Molleri de Engelberto præconium contentus produxisse:

*Quas non ediderit strages, quæ funera Danis,
Non est propositi dinumerare mei.
Si non ante diem fonte cecidisset ab ense,
Suedica majorem vix aluisset humus.
Vindicibus patriæ plerumque hæc præmia dantur.
I nunc & patrios Marte tuere lares.*

Æmulo proindè sublato, Marschalcus totius Reipublicæ clavum
moderatur, annuos regni census sibi potissimos vendicat, feuda suis dis-
tribuit, amplissima donat salaria, xenia & honoraria. Hinc reliquo-
rum servitores Optimatum invitati, aut sponte certatimque ad obsequia
convolant Marschalci, vel ab emissariis Marschalci per regnum plurimis in-
stigati, servitio Caroli se mancipant, illeque his quotidie adminiculis opu-
lentiæ, potentia & frequentia inclarescit. Cæteris verò Procerum à regno
subsidium flagitantibus illud quoque regis Erici succinit: *Ultra mensuram lodi-
cis non dirige suram.* Insinuans hoc proverbio non plures in familiam admit-
tendos, quam per angustam rei domesticæ provisionem possent sustentare.
Undè plurimorum in se odia Carolus exacuit, præsertim Erici Puchii,
qui prius fortunæ Marschalci invidens, propter cædem Engelberti sui
amantissimi Thesæi, & hanc Marschalci avaritiam injustitiamque, modò
capitalis evasit inimicus. Ideoque cum octonis suorum commilitonum
Caro-

Carolus destinat internecioni, cujus patrandaë quæfivit sapius occasionem. Et in confessu Senatus frequenti Stocholmiæ illam Carolo exprobrat fraudem, suadens emissariorum revocationem, quod suos abducerent clientes, & ad pugnam laceffens statariam, respondente Marschalco: Sedato patriæ tumultu, non polymachia, sed cum Erico monarchia decertare paratum. Hac offensus audacia Ericus, foras exilit, & uni conjuratorum cædem suggerenti respondet, intempestivam esse. Tandem verò præsentium interventu summatum, post multam illic corrixationem in amicitiam redierunt, dexteris porrectis, & animis divaricatis.

Nam paucis post diebus instante termino Nycopiæ dedendæ, Marschalcus abitum parat, & Ericus sibi hoc negotium suadet committendum, ut arcem suæ faceret potestatis. Atqui passus repulsam, terra non mari hortatur Carolus illuc proficisci, ut Telgæ, quod suis firmatum tenuit præsidio castrum, inermem trucidaret. His autem singulari Numinis providentia, & amicorum consilio ereptus periculis Marschalcus, Nycopiæ pervenit incolumis, quam octiduo post deditam Johanni Caroli commisit propugnandam, & Vastenum sociis regni Consiliariis properavit. Illic Kroepelinus, unus Crucigerorum de Prussia Martinus, Petrus Wille Hamburgensium Consul, & Tynno Hadelwerck Lubecensium Senator, occurrentes nomine Regis, obtinent inducias ad IV. Calendas Augusti, quando Calmarniæ reliqua pacis momenta decernerentur. Interim obsessis commeatus foret permittendus, & violentia non inferenda, licet obsidio nullibi solvenda esset. Deinde tractatos lautè atque magnifice donatos inde Marschalcus oratores expedit, solo Kroepelino & Hamburgensi secum Stocholmiam perducto consule, Regiis ibidem pacta insinuat.

Hæc inter Puchius sectatores Engelberti, adhuc Oerebrogiæ possessores in Marschalci Wasteno reducis instigat necem. Verum his potentiam Caroli prætendentibus, abnuentibusque facinus, aliam cædis rationem inivit. Siquidem Herestechium, per quod Carolus cymbis rediturus foret, demeris cisternis faxisque reddidit impervium, ut Marschalcus illic transitu prohibitus, Telgas diverteret, insidiisque occumberet ibidem paratis. At Carolus doli non ignarus, Herestechio repurgato, salvus Stocholmiam pertingit, & scelus diffimulans, Ericum amicè compellat subsequentem. Tamen convivio exceptus à Puchio diebus proximis, cum apprimè vino madidum cerneret, subridens causam obstructi sciscitatur transitus. Quam Ericus non inficiens, asserit nulli cis Calmarniam per vastum maris pelagus oberranti lucio, tot unquam hamos & nassas fuisse propositas, quot Marschalco insidias frustra Ericus tetendisset. Quod soror Caroli responsum cum indignatione suscepit, & is premens altum corde furorem, joco delusit utrumque, abitumque maturat. Denique Castellano Regis ad colloquium provocato, intimavit Kroepelinus & Hamburgicus orator statutum Wastenense, quod obsessis immensum attulit gaudium, utpotè quorum CXXXIII. cachexia mortui essent, ex veterum esu ciborum contracta, reliqui scipionibus innixi, morbisque & fame attenuati, vix armis erant utiles sustinendis, multò minus idonei arcis defensionis. Idque si Marschalco prius innotuisset, pactis non subscripsisset Wasteni.

Nunc etiam rebellionis sequaces Engelberti, pertæsi, Stocholmiæ Oerebrogiam, & obsequia Marschalco sua deferunt, refusionem opum amissarum, excessuum impunitatem, & stipendia larga pollicenti.

Quos protinus Oerebrogiam comitatus, arcem suæ submittit potestati, dolos impostærum Puchii non formidans. Redeunti Stocholmiam occurrit Christiernus Nicolai Dapifer, & Magnus Finlandiæ Præsul, quibus cum & reliquis Procerum Marschalcus Calmarniam festinavit. Quò Rex exeunte Julio Ducibus Pomeraniæ, Senatu Danorum, & Legatis urbium stipatus Vandalicarum advenit. Sueones graviter cum ipso nomine injuriarum expostulant, perfidiæ atque perjurii tyrannidisque arguunt. Sed tandem mense Augusto disceptationibus consumpto, in has concordiaë itur utrinque conditiones: Ericus throno restitutus Sueciæ, indigenis jura & libertates linqueret illibata, quorum opera, non alienigenarum, arces & regnum gubernaret, festoque Archangeli Sudercopiæ prædicta consummaturus, & sceptrum recepturus compareret.

Sed auscultemus Albertum Crantzius de his lib. V. Sueciæ, capite 37. loquentem constitutis: *Interea rex Ericus, audita morte rebellantis Engelberti, misit solennes oratores in Lubecam & vicarias urbes, oratum ut rem inter se & Suecia Proceres ad pacem reformandam interciperent. Nec dubitavere civitatum concilia, regiis postulationibus annuere. Nam missis ex suo quæque civitas concilia viris probatis in Sueciam, causam omnem in disquisitionem profuerunt. Et post multa in omnem partem allegata, in eam pervenere sententiam, quam pactis firmaverunt, ut Ericus regni Suecici gubernacula in ceterum teneret, Suecos regni arcibus præficeret, non Danos, regium censum cum ibi præfens adesset, totum acciperet, absens dimidium; veterem oppidis & villis libertatem, mercatoribus undecunque venientibus sua privilegia servaret.*

Horum itaque vigore compulsus Ericus, mox arcem Calmar-nensium, binis Sueonum Optimatibus Benedicto & Boëtio germanis assignavit, & Calendis Septembris in Gotlandiam transmeavit. Sed nostrates Stocholmiam regressi, Ordinibus evocatis significant Calmar-niæ statuta, seque accingunt profectioi Sudercopiam. Rex autem termino instante, quid Sueones molirentur Sudercopiæ destinat exploratum quendam Hermannum von Wagen, XXVI. comitibus succinctum. Quumque provectus celoce in altum, procellis in conspectu Regis obruitur, idque arbitror esse naufragium, quod Ericus Upsalensis exprobrat Pomerano, contendens non XXVII. ast CCC. nobilissimo in Suecia, Dania & Norvegia genere procreatos, truculento Erici mandato pelagus ingressos procellosum, miserabili spectaculo vorticibus occubuisse. Quod si ita est, scelus non impunè tulerat Ericus, cum sequentibus inde solvens diebus, horrenda sit jactatus tempestate, & CC classiariorum amissis, superstiteque in varios portus classe depulsa, non absque summo vitæ discrimine navi prætoria Gotlandiam repetiverit. Attamen fama sermone naufragorum publicata, mortem Regis Sudercopiæ Ordinibus denunciat. Quam Marschalcus Nycopiæ inaudiens, non usque mœstus Sudercopiam descendit, moxque convenit Dapiferum in sinu hærentem propinquo cum Senatu Danorum. Ubi III Nonas Octobris consensu unanimi decretis subscribitur Calmarnensibus, illic festo Præcurforis, anno MCDXXXVII. conventus iterum habendus decernitur, & Dapifer, Marschalcusque in suo confirmantur officio. Demùm vigore transactionis compelluntur alienigenæ regni arces resignare, quas Marschalcus fidei patriæ viris commisit regendas, erantque sequentes: Axevaldium, Elfsburgum, Stegeholmium, Stegeburgum, Arosia & Abogia, quæ vasalli mortuis Dapifero & Marschalco, senatui repetita consignaturi essent.

Hos inter Kroepelinus, ob sinceram nostratibus operam navatam fortitur Abogiam, & Nicolaus Stenonis præter Stegeburgum, trina in feudum amplissima consequitur territoria, Tunense, Trogdense ac Verendense. Post coram Senatu ænormium accusatus est criminum Puchius, & præsertim à Dapifero, Marschalci patrocínio non mortem duntaxat evasit, sed & feudum retinuit Castelholmensè. Verum Nicolaus & Ericus parem promotori gratiam deinceps rependerunt.

Famosus autem ille, ac de patria optimè meritis Broderus Suenonis, quod hac feudorum distributione neglectus, ægerrimè ferebat. Undè Sudercopia discedens, in proximo servitores prato reliquit, & urbem repetiit, Senatunquæ, Marschalco iniquam exprobens audacter partitionem. Quocirca præsentium suavis ab illo captivatus, prostridie horis antelucanis capite mulctatur, & Wasteni prope Calendas Novembres humatur. Indignus profectò hac laborum mercede, quam formidans ejus potentiam Carolus jure nullo irrogavit, & hostis exarmandi gratia feudum denegavit. Hanc scelerum pœnam Joannes Erici Danus ibidem existens potiori jure promeruisset, illi tamen suis Marschalci literis Wasteni securitatem præstat morandi.

Stocholmiam verò hinc Proceribus reversis, præses castri, requisitus arcem resignat, & in Daniam commigrat. Sed Puchius feudo Sudercopiæ obtento non contentus, semina novæ dissensionis passim spargit copiosa, populum Uplandiæ sibi conciliat, centum armatos in Marschalci Arbogiam amicè invitati cædem instigat. Igitur Carolus effertum placaturus inimici animum, annuos ipsi Helsingiæ redditus insuper assignat, non tamen mitiorem efficiens. Id Marschalci sibi nequaquam persuadens, festo D. Catharinæ die Stocholmiâ Arbogiam versus contendit, & Kopingiam veniens, Archimagirum præmisit in urbem obsonia præparatum. Ex quo protinus in vincula conjecto, Ericus illic armis expediendis intentus, Marschalci cognoscens adventum, binis consulum obviam expeditis bellum ipsi denunciat. Quo Carolus inopinato non nihil percussus nuncio, tamen suorum paucitati non diffusus, hostem censuit aggrediendum. Atqui sectatorum dissuasus consilio, Arosiam remeavit, illaque cibus & viris firmata, ac militum turma Oerebrogiæ destinata per occultos viarum calles protectioni, Stocholmiam Idibus Decembris revisit.

Ericus audito Marschalci reditu, sibi victoriam pollicetur, & convocatis Arbogiæ Wesmannis, tyrannidem Caroli prodidit, asserens carnifice secum ducto, rusticos in rotas & palos agere, sepibusque alligatos flagellare, frigore, fame, fumo & igne passim enecare: Unde suadet ipso deposito, rusticorum uni apud saxum Morensè diadema porrigendum. His populus ad rebellionem provocatus, mandato Erici Arosiam ligat obsidione, quam Benedictus Gunnari cum CXX. tenuit armatis protegendam. Sed Puchius inde perrexit Oerebrogiam, ubi congregatis Nericiis pari oratione persuasit castri oppugnationem, quod expugnatum in cœnobium promisit se commutaturum, & eodem funus Engelberti conditurum. Rebus itaque probè ordinatis, & cuidam suorum commendatis, castra revisit Arosiæ, illoque absente præsidium erupit Oerebrogensè, ac imbellem plebeculæ multitudinem miserabili cumulavit clade. Idem Puchiani Arosiæ patiuntur infortunium, quos Dominica post natalem S. Luciæ, & pridie ductor castrensiū aggressus, insigni victoria profligavit. Inde soluta utrobique obsidio, & Ericus sui roborandi gratia profugit extemplò ad Montanos ac Dalecarlos.

1437.

Marschalcus autem copiis à Stocholmensibus, quibusdam Episcoporum & Optimatum subito contractis, Enecopiam festinat, & accolis ad obedientiam revocatis, mulctatisque, pergit Arosiam. Illic gravius defævit in rebelles, quatuor rebellionis primipilos flammis consumens, plexisque Rechaboanis, cum reliquis Erici fautoribus, vitæ non pecuniæ parcendo, Arbogiam processit. Hinc natalitiis Domini peractis, anno MCDXXXVII. illuc abiit Carolus, & literis Erici, Johannis Martini & Dalecarlorum bellum minantibus acceptis, quantocius regni totius militem evocat, Idibus Januarii Arosiæ lustrandum. Hac populus in Ostrogothia Askeherensis seditione factus animosus, ex cœnobio Vastenensi Johannem Erici crudeliter exturbatum, & in Mortalensium judicio damnatum, securi percussit. Ita pœnam crudelitatis à Rege condonatum, à Marschalco simulatam, & à Numine hæcenus dilatam tyrannus non effugit, cujus exequutores nullo Marschalcus jure postmodum mulctavit.

Marschalcus Arosia moturus, inaudivit Ericum in descensu cum suis esse copiis, & obviam animosè processit. Sed Ericus in sylva Helleni firmatis castris, ita excepit adventantem, ut planiciem compulsus esset repetere. Deindè Procerum interventu colloquio dies assignatur, quod Ericus Nicolao Stenonis & Hermanno Berman obsidibus acceptis, audacter frequentavit. Illic Marschalco reconciliatus minus sincerè, promittit Dalecarlos postridiè sub Ecclesia Heracherensi comparituros, culpamque deprecaturus. Quos illic & dein sub Arosia triduum Marschalcus frustra expectans, apud Scultunensium ædem sacram illo dolo moram interim trahentes, ut Helsingorum & Gestriciorum advenientium accessu confortati, Marschalco congregerentur, tandem fraudem Erici secus identidem referentis cognoscit Marschalcus, & Dalecarlorum castra intrepidè accessit. Verum hosti protinus supplici factò, veniamque poscenti & obedientiam dolosè spondenti, culpam condonavit.

Cæterum controversiæ Marschalcum & Ericum inter decisio Arosiam devoluta fuit, ubi comparet Puchius, securitatem Thoma Stregnensium præfule, aliisque magnatum literis & juramentis sanctè promittentibus. Remansit tamen aliquandiu in exercitu Dalecarlorum, facces rebellionis denuò subdens, & subsidia propediem ab Helsingis spondens affutura. Denique profectionem commilitonibus Arosiam dissuadentibus, respondit, se nunquam decentius quam inter regni Proceres conversaturum esse, & illuc contendit modico stipatus satellitio. Ac primum congressus adversario in Dominicanorum cœnobio, minus cautè animi secreta profudit, Marschalco ansam porrigens victoriæ, & suæ dans captivationi occasionem, quam non evasisset, si loci religio & immunitas permisissent. Præsertim cum fidelissimus Erici athes, Johannes Martini pridie inter pocula non obscuris prodidisset sermonibus utriusque conspirationem. Proindè dolo Caroli teter illic fumus & oculis Optimatum nocivus excitatus, disceptationem ipsos compulit in arcem transferre propinquam. Quam tamen Ericus, insidias persentiscens non fuisset ingressus, nisi proprio Marschalco ipsum juramento, prout cantio vulgaris testatur, asscurasset.

Igitur illo fretus Puchius eadem obloquitur hostibus libertate, & suafu potissimum Archiepiscopi cum suo Pylade Johanne Martini vinculis mancipatur, cæterique sectatorum. Postridiè autem Johannes in rotas agitur, & Ericus Stocholmiam captivus ad Dapiferum sibi infensissimè.

iffimum ablegatur. Hujus fama Helsingii & Dalecarli facinoris perculli, præsubita domum fuga dilabuntur, & Carolus regnum undequaque peragrans, incolas ad obedientiam revocavit. Interea consilio Procerum capitis supplicio Stocholmiæ multatus Ericus, Wasteni confecturam sepulturam. Mox verò Kroepelinus Abogensium Præses, cum sequacibus Erici Castelholmium in Alandia occupantibus ita transegit, ut mille perceptis aureorum, sibi castrum consignarent. Hoc Marschalcus pacto tribus liberatus æmulis, suo nimium arroganti dominio quartum & quintum suscitavit adversarium, & quidem ipsum Dapiferum & Nicolaum Stenonis, licet hic sororius, & ille patris loco alias observaretur.

Tanto autem conscientiae remorsu Archiepiscopus propter necem Erici procuratam affligebatur, ut Eucharistiæ abstinere sumptione quoad supervixerat, & destinato in urbem Martino Krøgero, sceleris flagitaret condonationem, ante nuncii reditum vivis excedens.

Eodem animi cruciatu Stregnensium Præsul Thomas, minori tamen de culpa torquebatur. Post increbescente rumore quod Rex in Gotlandia superstes viveret, Stregnesiæ Comitibus indicunt Optimates, & ipsa octiduo cis Paschæ festum inchoant. Illic denuo pactis subscribitur Calmarnensibus, ubi novus ad VIII. Julii Calendas assertitur conventus, velut Sudercopiæ anno priori decretum foret, quem Archiepiscopus, Dapifer & Marschalcus accessuri, cum aliis Procerum nonnullis. Hic demum Carolus Stocholmiæ imperium sibi vendicans soli, Christierno Nicolai permittit Nycopiæ gubernationem. Atqui Rex vere primo adiit Prussiam, & consilio amicorum quæsito, auditoque in Gotlandiam rediit, inde significans ante VI Nonarum Septembrium diem, se Calmarniam non venturum. Illo nostrates, in Idasundio hærentes nuncio percepto, domum aliquandiu divertunt: Quibus ibidem morantibus, Dalecarli contra Marschalci præfectos insurgentes, cædunt Benedictum Gunnari, Matthiam Joannis & Olaum Stochium. Horum vestigiis Westrogothi insistentes, trucidant Benedictum Uddonis, & Wermelandi Turonem Kerilli, viros primarios & Carolo plurimum dilectos. Quem crebris à seditione ipsos dehortantem literis prorsus contempserunt, & sui juris esse voluerunt. Atque his seditionis Marschalco pacandis intento, Archiepiscopus, Dapifer, cæterique Optimatum Calmarniam festinarunt, & subsequenti Carolo literis insinuant Regem Calmarniam pro tempore non accessurum, ideoque cursum reflecteret, & ipsos quoque sensim remeantes Scheningiæ præstolaretur.

Inde verò Marschalci reditu gavisi, quod ipsius haberent regimen exosum, mallentque sub Rege quamquam tyranno impofterum vivere, cum Danis & Norvegis novum pangunt contractum. Etenim in primis unionem trium sub uno moderatore confirmant regnorum; Ericum in Dania absentem throno Sueciæ restituunt; Nec ipsi nec ulli successorum nova condere statuta citra ordinum consensum decernunt permittendum: Qui legibus, privilegiis, libertatibus & consuetudinibus indigenas omnino frui permetterent: Cuique regnorum Dapiferum, Marschalcum, Cancellarium, Architriclinum, aliosque munerum Præfides deputarent: Trimestri morabitur spacio continuatim Rex in quolibet regno; Reliquis duobus consultis, & consentientibus unum regnum bello manus nequaquam admoveret: cui ferent pro facultate subsidium, damnorum compensationem à Rege requirendo. Quo de vita sublato, XL. primarii de regno quolibet viri Halmstadii confluentes, Regem designarent: Regionum unus filiorum super-

„ites & idoneus diademati acceptandus : Sin aliquis Procerum cæterorum ad illam sublimandus dignitatem, ex quo poseendus regno forte quærendum esse.

Reliquos minoris momenti articulos, de provisione liberorum regalium, profugis non fovendis, vectigalibus imminuendis, & moneta emendanda, in ipso statuti diplomate, quod passim circumfertur, & à Huitfeldio profertur, Lector requirat, quod hujusmodi habet primordium : Nos Johannes Laxmannus Lundensis, Olaus Upsalensis, Aslacus Nidrosiensis Archiepiscopi; Axelius Petri, Dania, Christiernus Nicolai, Suecia, ac Endretus Erlandi, Norvegia, Consilarii. Atque cum locus, dies & annus in literarum calce prætermitti, de his variam proferunt historici opinionem. Olaus & Laurentius Neritii, contendunt anno MCDXXXV. Halmstadii Calendis Maji, illud esse editum statutum : Sed à vero aberrant, siquidem Laxmannus sequenti primum anno Præsul evaserit Lundensium, ut constat ex Chronico Huitfeldii Ecclesiastico, & Christiernus Nicolai non adfuerit conventui Halmstadiano, ut neque ullus Noricorum, idque liquet ex ipso decreti tenore, V Nonas, non Calendis Maji, obsignato. Huitfeldius sibi non consentit, utpote qui pagina 575. anno MCDXXXVI. & mensi Martio tribuit Statuti hujus concinnationem. Atqui folio 631. & linea eadem, Calendis Martiis, & Calendis Juliis anni MCDXXXVII. assignavit, quam veritati conformiter viderint Danorum Chronographi. Hic quidem annum veraciter indigitat, ast diem perperam adsignat, qui fuit certo VI Nonarum Septembrium, sollemnitate DEI genetricis in lucem propagatæ, non ab Elizabetha visitatæ solennis. De cætero autem quæ ex prologo, quæ etiam epilogo decreti memorati non obscure licet colligere, non illud Calmarniæ consummatum, aut obsignatum extitisse.

Demum non comparente Erico, Archiepiscopus, Dapifer, Abogensium Antistes, & Johannes Kroepelinus in Daniam proficiscuntur, in Sueciam non redituri antequam Ericum secum reduxissent, qui fastuoso Marschalci imperio finem imponeret, pactaque servaret. Verum Lundia comperientes ipsius etiam in Danos perfidiam & tyrannidem, quibus Bugislaum pro rege nitebatur obtrudere, alienigenis regni munitioes demandando, & jura immunitatesque temerario ausu prævaricando, reditum in patriam maturarunt Archiepiscopus & Dapifer.

Attamen ut nemo mortalium ipsos inconstantia merito arguere posset, ævo præsentis vel sequenti, Abogensium cum Kroepelino Episcopum ad Regem expediunt, subjectionem nomine totius regni deferentes, dummodo vellet pactis adhærere. Quos diu ne quidem responso dignatus est, & tandem consensit transactioni anno MCDXXXVIII. Calmarniæ ad Calendas Augusti celebrandæ, & non comparuit, velut sequens ostendet historia.

Nunc restat ut insignem detegamus Huitfeldii fraudem, qui probe sciens, primariam fermè desertæ à Sueonibus unionis causam, quod Dani nostratibus insciis Christophorum, contra fœderis condiciones regem acceptarint, affirmat his Suecorum Proceribus in Dania Christophori electionem propositam fuisse. Id autem ne umbram quidem habere veritatis, non ex nostris solum historiis manifestum, ast etiam Danorum, ab Erpoldo Lindenbruchio publicatis. Immo sequenti primum anno ipsimet Dani Christophoro assentiunt designando, quomodo igitur nostris hoc anno ipsum proponunt candidatum? Sui etiam Huitfeldius immemor, reliquo historiae progressu contrariam sectatur sententiam, velut infra prolixius comprobandum, & jam in Sueciam remeandum.

Redeuntibus ex Dania Episcopo Finlandiæ & Kroepelino, Arbo-
gia

giæ confluunt Optimates regni III. Idus Novembris conventui ex voluntate Regis Calmarniæ MCDXXXVIII. exeunte Julio frequentando consentientes. Ibidem deinceps querenti Marschalco de Wermelandis, Westrogothis & Dalecarlis, qui præfectos vita & bonis per summum nefas exuissent, & manus & pedis unius truncationem minitanti, proximo Natalis Domini festo inferendam, suadent Proceres juris processu litem inprimis ventilandam esse. Præsertim verò Dapifer literis & nunciis rebelles ad obedientiam & pœnitentiam se perduciturum pollicetur; Marschalcoque seorsim vocato suggerit quoslibet regni ordines ipsi infestos, ac sibi ad hæerere paratos, si quid vellet in ipsum machinari. Verum fraudem Dapiferi Carolus non ignorans, ad sequentia provocat regni comitia, & Stocholmiæ ad solennia Nati Salvatoris accelerat. Etenim licet se patris & filii salutarent vocabulis, tamen capitale fovent pectoribus odium, Dapifero potentia & magnificentia Caroli plurimum invidente. Immo tametsi Marschalcus Christierni sororem Ceciliam Thordonis Bonde conjugem haberet aviam paternam, ita occæcat mentes ambitio & viros sanguine amoreque conjunctissimos, transversos agit regiminis & honoris affectatio! Et gubernaculum quidem Dapifer Marschalco extortum iri, certo sibi persuadebat, si suis Arosiæ & sibi Dalecarlorum cederet dominium.

Vnde præfatos Carolo reconciliaturus, magis ad rebellandum instigat, quos etiam anno MCDXXXVIII. mense Januario, Enecopiæ in Marschalcum concitare laborat. Sed Dalecarlis illic convocatis dolum Christierni non ignorantibus, & Caroli potentiam formidantibus, supplices rebellionis cædisque veniam poscunt, multam spondent, & residuum tributum annui cis Calendas Februarias promittunt, ac gratia Procerum intercessione obtenta, læti redeunt domum, & Marschalcus Stocholmiæ.

Proinde Dapifer hic fiducia concepta frustratus, clam Wermelandos protinus ad census abnuendum, & arma capessendum permovet. Ideo properantibus ad obsidendam Oerebrogiæ, ductore Torstano Ingelli, Arvidum Svan cum delecta equitum turma destinat in occursum, & ipsemet festinat Oerebrogiæ. Arvidus interim Wermelandis congressus, CXX. cæsis, ad subjectionem & tributorum compulit solutionem. Captos verò rebellium antesignanos, Torstanum & Joannem Johannis Marschalcus flammis consumpsit, quod perduellibus plerumque irrogavit supplicium. Inde ad secundam Quadragesimæ Dominicam Arbogiæ denuò Proceres concurrunt; Ubi responso Danis Calmarniæ propediem dando deliberato, & numero legatorum ordinato, confurgit Marschalcus officii onere poscens defungi, cum teste Dapifero, cunctis suum esset regimen ordinibus invisum: Atqui Status testimonio Dapiferi oblectantes, Marschalcum in officio confirmant, illo fruiturum quoad Regem forent consecuti.

Ericus autem termino colloquii instante Calmarnensis, in Gotlandiam navigat, in Daniam amplius non rediturus, quam Ducibus Pomeraniæ tradidit gubernandam. Sed ex Gotlandia Sueciam latrociniis infestare decrevit, ut palam historia fatetur Danorum, & eventus monstravit. Regii Sueones ignari abitus, pergunt Calmarniam, quorum primarius Olaus Archiepiscopus, Nycopiæ pernoctans XXV Junii, in ferculo lactis amygdalini, à quodam Optimatum destinato, intoxicatus occubuit. Idque pertulit ob favorem, quem Regis identidem exhibuit revocationi, vitæ dispendium, prout Chronographi memorant Sueonum, nomen suppressantes malefactoris, Carolum tamen veneficii insimulantes, qui Regis inductioni præsertim reluctabatur.

Hinc tanto liberatus aduersario, cum reliquis alacer properat Calmarniam, quibus Proceres Danorum, & hos inter Præsul Lundensis, Ericus Krumedichius & Martinus Joannis, nomine Regis occurrentes, significant Ericum pactis abiturum, nisi ternis ipsi liceret Sueciæ munitioibus, pro arbitrio providere. Quod nostri præcisè abnuunt, insuper affirmantes, Sueticis solum stipato comitibus, accessum concedere in regnum. Ac si decretis stare Pomeranus renueret, ipsos obedientiæ iuramentis sciret absolutos, & imposterum quidem unioni adhæsurus, amicitiam confœderatis exhibituros, sed nunquam unius Regi se gubernationi submissuros. Quandoquidem propriis & multifariis hætenus edocti fuerint detrimentis, nollent diutius famuli & tributarii Danorum existere, ac utinam in sententia perseverassent, non multò gravioribus patriam ærumnis deinceps exposuissent! Tandem inde regressi, Ordinibus Telgæ convocatis, recensent acta Calmarniæ, quorum consensu citant Regem ad Moraftenium, citra trimestre illic compariturum, & criminibus objectis responsurum, pactisque satisfacturum, alias regno exturbandus, & sequaces vita, bonis, honoreque spoliandos.

Itaque publicis conlatis negotiis, privata Dapifer aggreditur, plus feudi à Marschalco flagrans, licet Nycopiam & Wiburgum unaque ditiones haberet subjectas, ac simul Torstunense, Simptunense, Asundense, Lagundense, territoria regni amplissima, cum præcipua Roslagiæ portione obtineret. Quamobrem postulatis annuere compulsus Marschalcus, prioribus Gestritiam adjecit, & Stocholmiam secundis nuptiis operam daturus abivit. Sed quandoquidem literæ Germanis & Danis, aliisque scribendæ nationibus restarent obsignandæ, suo liquit illic Secretario annulum signatorium, quem Dapifer diplomati super Helsingiæ confecto infeudatione fraudulenter suppressit, citra Marschalci scitum vel consensum. Omnibus verò Telgæ rebus expeditis, inde Optimates Stocholmiam ad Marschalci festinant connubium, qui prælustrem Caroli Ormonis filiam, nomine Catharinam illic duxerat, III Nonas Octobris nuptias qua par erat sollemnitate peragens, die videlicet natali recurrente, & XXX. ætatis annum complente.

Hæc inter Proceres Danorum patriæ miserti, à Rege desertæ, & à Pomeranis nimium quotidie pressæ, Korsoræ convolant, & VI Calendas Novembris, Christophorum Erici sorore genitum, literis & nunciis ad thronum invitant, non Daniæ solum, aut etiam Sueciæ & Norvegiæ capeffendum; Quamquam Nostratibus & Norvegis prorsus infideliter cum ipsis egerint, quibus pro arbitrio illudebant, pedetentim ad servitutem redigere laborantes. Consule obsecro literas apud Huitfeldium, Lector, Christophoro expeditas, & fraudem manibus apprehendes. Quarum etiam cognosces testimonio, quam candidè à Huitfeldio nuper narratum, Danos nostratibus illuc ex Calmarnensi colloquio legatis, Christophori proposuisse inaugurationem? Qui persuasus Danorum literis consensit electioni, modo Sueciæ & Daniæ sceptrum simul obtineret velut spem fecissent indubiam, amplissimamque, ut cantio illa tempestate in gratiam Candidati vicatim his inter alia verbis ab Erico Upsalensi productis decantata:

*Nutriet hunc Suecia, vestit Norvegia Regem,
Militet ex Dacia per tempora Rex sua multa.*

Ac eorundem consilio Sueones per literas sabbatho post diem S. Martini conscriptas, hortatur Christophorus ad sui designationem, avunculo repu-

repudiato. Interim Dapifer & Marschalcus de gubernaculo etiam decertant, hicque compertis Christierni insidiis, Stocholmiæ in frequenti senatorum corona, illas ipsi exprobrat, simulque annuli abusum Telgæ commissum objicit, regiminis consortem detrectans, & vel totum vel nullum Reipublicæ imposterum se habiturum asseverans dominium. Quod proinde Marschalco soli commissum, æmulo subductum, Caroli potentiam deinceps formidanti, & novas machinanti decipulas, sicut contextus prolixè suggeret subnectendus. Attamen feuda Marschalcus non absque consilio Senatus largiturus, eorumque de consensu regnum moderaturus, quorum etiam suasu Gestriciam Dapifero subtraxit, alteri Procerum donatam. Indeque Christiernus & filius Carolus Christierni acerbissimo in Marschalco odio inflamantur, vultu tamen amicitiam & verbis præ se ferentes. Unde Nicolaum Stenonis, Carolo propter avaritiam, licet sororem illius haberet conjugem, non minus infestum, aliosque Procerum ad suas pertrahunt factiones.

Conjuratiōnis verò ignarus Marschalcus, mense Novembri cum exercitu in Dalecarliam abiit, incolas ad censuum & mulctarum compulsurus pensionem; & Dapifer cum suis interim Nycopiæ colloquio instituto, Regis decernit inductionem. Carolus ad obedientiam rebellibus non difficulter perductis, remeat Arosiam, successum Dapifero literis insinuans, & comitia Sudercopiæ, ad VII. Idus Januarii, anno MCDXXXIX. peragenda publicans, ipsumque illuc invitans cum reliquis Optimatum de Calmarniæ & aliarum subactione munitionum consultatum. Atqui Christiernus suis Sudercopiæ obstaculum molitionibus positum iri comperiens, conventum dissuasit, quod crebra conventuum celebratio, plus regno detrimenti, quam emolumentum adportaret. Neque Carolus fraudis inscius, ideoque nihili fecit admonitionem, & vocatus ab Archiepiscopo Nicolao, aliisque Optimatum, Enecopiam ad colloquium perrexit. Illic Dapiferi conceptam in ipsum indignationem propter feudorum subtractionem suggerunt, subjungentes belli civilis subverendum grave incendium, nisi Marschalcus refunderet ablata. Quibus patienter auditis, respondit periculo conjunctam plurimum collationem feudorum, siquidem ipse, & Nicolaus Stenonis Ericum in patriæ perniciem reducere machinarentur.

Igitur Benedicto Joannis de Salestad Christierni genero Nycopiam inde ablegato, mandat Dapifero intimandum, si regno fidus, neque Regis inductioni amplius favorem impenderet, non tantum ditiones, sed etiam cordis dimidium cum ipso divisurum; Sin minus acerrimum ipse & sectatorum fore inimicum. Hæc ad focerum Benedictus retulit, à reliquis Procerum quoque rogatus, & Marschalcus Arosiam proficiscitur, illic natalem Domini transigens, & anno MCDXXXIX. 1439. imminente Sudercopiam versus iter dirigens. Atque Ringstadholmio appropinquans, quod Carolus Dapiferi tenuit filius, utriusque, velut etiam sororii non obscuris in se animum cognoscit indicis, & clario-ribus Sudercopiam ingressus. Etenim suo perterritos adventu, obsidionemque formidantes, inaudivit Carolum & Nicolaum ex tota Ostrogothia commeatum inique congregatum arcibus suis intulisse, aliasque de prophanis & sacris ædibus prædas avexisse. Qui palam Marschalco rebellionem etiam denunciarunt, & illius per literas causam ex sororio sciscitanti responsum, quod Dapifero referente cognoverit suæ & fratrum studere Marschalco subversioni, quam etiam atque etiam propulsaturus esset, & acceptis obsidibus coram de ipsa disceptaturus.

Quamobrem Turo Stenonis frater Caroli uterinus cum tribus Procerum aliis factus obses, & Nicolaus Stegeburgo Sudercopiam progressus, affiniq; congressus eadem exaggerat, & tandem Marschalci cognita innocentia, culpam deprecatur, fidelitatem pollicetur, & gratiam promeretur. His vix dum consummatis, porriguntur in platea Carolo Dapiferi literæ, Revelstadii in Uplandia morantis, & Sudercopiam descendere abnuentis, quibus asserit Nicolaum & fratres, Benedictum, Boëtiumque, in Regis una secum consensisse revocationem, quantocius omnino maturandam.

Hanc verò adversariorum conjurationem silentio premit Marschalcus, & comitiis Sudercopiæ absolutis, Scheningiam abiit, inde Revelstadium Idibus Januarii mediocrem equitum alam expediens captivatum Dapiferum, Claudio Langio & Johanne Medelvichio antesignanis. Sed alteram mandat cohortem Arvido Svan, Calmarniam auxiliis Smalandensium Benedicto & Boëtio Stenonis erepturo, ac ipsemet cum reliqua pergit Elsburgum phalange. Quod Henrico Snechenburgo protinus extortum, Turoni Stenonis confidit moderandum & tuendum. Interea Claudius Lang noctu Christiernum invadens, captum rhedæ imponit feminudum, & satellitum plerosque vinculis Marschalci obligat, tribus illorum cæsis, & inter hos prænobili viro & Principum aulis spectabili Torstenio Joannis. Captivum bonis spoliatum Dapiferum Arosiam, & inde Oerebrogiam transvehit Claudius, uxore Nyccopiam evadente, quam filii Caroli auxilio decrevit propugnare.

Marschalcus Elsburgo Axevaldium veniens, de Christierno fit certior captivato, à quo Oerebrogiam ingressus, arces flagitat, Nyccopiam & Wiburgum, & consensum timore consternati senis ultro impetrat. Verum conjugem & filium sciens oblectaturos, publico Nyccopiam edicto regni convocat militem, & cingit castrum obsidione; quod amicorum utrinque interventu postridie deditum occupat, Christierno & filio vitæ bonorumque immunitate promissa, ac Wiburgo & Ringstadio permissis; Quando etiam bonis & gratiæ Dapifer restitutus, Regem denuo abjurat, & cum Marschalco in ipsum filiusque conjurant. Tum Carolus temporis compellatus Kroepelini literis, veniam Regis conveniendi in Sueciæ & Marschalci emolumentum postulantis, concessit, de illius certus fidelitate, multis explorata documentis.

Dum his Marschalcus in Uplandia & Sudermannia invigilat, Nicolaus Stenonis oblitus æquitatis, honestatis & obligationis toties præstitæ, velut tyrannus Ostrogothis dominatur; Quocirca indigenarum querelis Marschalcus compulsus, illuc exercitum direxit, unaque cum Archiepiscopo, Dapifero, Thoma Stregnensium Præfule, aliisque Procerum subsequitur. Illuc autem perveniens hominem ab honestis concordia adminiculis depræhendit alienum, & binis extemplo castris obsidet, unis Hermanno Berman, & alteris Carolo Christierni demandatis. Sed isti munus abnuenti & Ringstadholum potius resignanti subrogat Erengislonem, castrique deputat vasallum, mandans cum perfidissimo nullas inducias hoste constituendas, & inde commigrans. Quas tamen Nicolai fraudibus circumventi paucis post diebus approbarunt, ad Dominicam continuandas Palmarum, & interim soluta obsidione Nicolaus Stegeburgi quiete moraturus, & frater Ericus cum Erengislone Marschalcum de fide publica compellaturi, illaque impetrata Nicolaus ipsum conventurus, & voluntati promptissime satisfacturus.

Adveniēti Oerebrogiam Erengisloni, & pactum commemoranti, graviter succensuit Marschalcus, Nicolai merito suspectam habens perfidiam, & tamen fratri ad colloquium vocato saluum tribuit pro Nicolao conductum. Atqui eodem penè momento innotuit Marschalco, quod Nicolaus triduo post abitum Erengislonis castro firmato, & XXII. secum acceptis satellitibus, ad Regem in Gotlandiam profugerit. Illic obsequium Regi spondens & subsidium Stegeburgo implorans, CC. impetrat armatos, aurique & annonæ plurimum, qui etiam regni Marschalco deputato mandat Sueonibus obœdientiam suo nomine omnimodam præstare. Simul quoque scriptis ad Norvegos literis, jubet illos Elsburgum impugnare, idque promptè mandatum exequuntur, ductoribus Johanne Umresa & Olao Bochio, atque Turonem cum præsidio X. hebdomadam spacio viriliter persequuntur. Nicolaus autem cum regio milite Sudercopiam delatus esset, Hermannum Berman inde propellit, mandata Erici divulgat, subditos ipsi conciliat, provinciam cum prætorio Danorum vexillo pererrans rapinis inhiat, sacros profanosque spoliat.

Hinc denuo Ostrogothiæ miseratus calamitati Marschalcus, illuc suos quantocius expedit satellites, à quibus Dani passim profligati, & Nicolaus Sudercopiæ omni relicta supellectili, turpi repetit fuga Gotlandiam, & Carolini Stegeburgum iterum impugnant, idque accidit hosti feriis Paschæ solennibus exterminium. Mox subsecutus cum reliquo Carolus exercitu, Stegeburgum per sequens bimestre gnaviter oppugnavit, & interim Turo cum Norvegis menstruas pactus est inducias, per octonos spondens obsides hosti traditos, quod castrum ipsi proditurus, nisi subsidium cis terminum obtineret præfixum. Itaque fratrem Stegeburgi conveniens auxilium flagitat obsessis, & CC. ibidem consequitur insignes milites, & literas ad Neritios, Vesmannos & Vestrogothos, expeditionem in Norvegos mandantes accepit. Unde his populi numerosa stipatus Turo frequentia, hostem invadit, fugat, & arcem liberat obsidione. Marschalcus tandem etiam cum præsidio illa conditione transiit, ut nisi ante VI. Idus Septemb. nancisceretur suppetias, sibi dederet munitionem, & Stocholmiam senatum regni consulturus concessit.

Memorat Laurentius Arosiensis, Caroli studiosissimum commendandi, sub Stegeburgo ter libratores nomine Rotenburgum conatu irrito in obvium Marschalci pectus, ex grandibus pilas contraxisse machinis, & tandem perpetua corporis infirmitate cœlitus punitum. Quod neque affirmo neque infirmo paradoxum, Dei arcana rimari formidans.

Nostros autem Stegeburgi cum sequacibus Pomerani decertantibus, Dani mense Junio Lubecæ Christophoro excipiendo, & in Daniā perducendo, occurrunt, ubi VIII. Calendas Julii, Erico præstitam renunciant subjectionem, quorum literis Stegeburgi, quò post Caroli festinavit abitum, respondit XXV. Julii, hortans ad mentem saniorē, & se iudicio submittens neutralium. Comitati autem Stegeburgum Nicolaus Stenonis & Krœpelinus Regem, qui publicatis inde quaquaversum diplomatibus, Consiliarios regni eò invitat, & pactis observantiam Calmarnensibus promittit. Sed horum nemo mandatis obtemperare perfidi Regis dignatus fuerat, difficulterque à Marschalco impetratum, ut in colloquium quatuor regionum commissariorum in Ecclesia habendum Achrensi consentiret. Quò CCC. stipatus equitibus proficiscitur, & impense regiis oratoribus Marschalco Stegeburgum suadentibus abitum præcise denegavit. Tamen citra diem Archangeli eò senatum iri destinatum, qui cum Rege controversiam transigeret, pollicetur,

cetur, induciis quoque ad D. Martini protrahendis sollennitatem, annuit. Velut etiam conventui Jenecopiæ Calendis Novembris frequentando præbuit consensum, quò Erici & Vandalicarum Legati civitatum venturi, causamque Regis cum nostratibus disceptaturi essent,

Hac legatione ad Marschalcum fungebantur, Joannes cognomento Niger, Magnus Green & Krœpelinus, qui regiæ perfidiæ non inscii, Carolo & regno Sueciæ fidelem addicunt obedientiam, assistentiamque, & Pomerano Achrensem referunt transactionem. Is spe concepra de captivando illuc veniente Marschalco, se frustratum videns, non exspectato senatus Suetici adventu, Stegeburgo in Gotlandiam rediit, inde XVIII. Calendas Octobris Christophoro per literas suadens throni abrenunciationem Danici, quod parem laborum ab ingrata Regibus natione secum mercedem reportaturus foret, & apographum responsi Danis simul perscripti destinans. Illo criminationibus sibi objectis, & valvis Ecclesiæ Lubecensis nuper affixis, occurrit, quas inter culpam Erico Sueciæ & Norvegiæ à Danis avulsarum impingunt; Quam à suo derivans capite, in Danos contorquet, affirmans illam regnorum divaricationem soli Danorum perfidiæ, crudeli & insatiabili avaritiæ, immoderatæque in confœderatos populos dominandi expensam libidini referendam. Pluribus etiam debacchatus in Danos convitiis, prout literis constat, pagina 610. à Huitfeldio in Historia Erici prolatis. Potissimas autem exturbati Pomerani adferunt illo syngrammate Dani causas, quod arces peregrinis commiserit hominibus, & cimeliarchium, archivumque ornamentis & documentis spoliavit. Attamen nostratibus vitio plerumque vertunt, quod similibus & multò gravioribus de causis, Christiernum & Johannem throno profligarint!

Verum Marschalcus de colloquio reversus Stocholmiam, Proceribus exponit acta cum nunciis regiis negotia, & consensu mutuo comitia Telgæ festo D. Michaelis peragenda indicunt, citantque illuc Nicolaum Stenonis fratresque, in patriæ defensionem consensuros, venia criminum impetrata. Quamobrem die constituta illic Ordines regni congregati, primum Legatos Jenecopiam ituros constituunt, Nicolaum Upsalensium & Thomam Stregnensium Antistites, Carolum regni Gubernatorem, Johannem Svarte, Ottonem Olai, Arvidum Svan & Andream Nicolai, Sueciæ Consiliarios. Deinde Nicolao, Benedicto & Boetio Stenonis, crimen deprecantibus, Stegeburgi & Calmarniæ deditionem spondentibus, Regemque abjurantibus, gratia conceditur, & hinc disceditur. Neque Regi obedientiam Sueones hoc renunciant conventu, ut quidam sentiunt falsò Historicorum, sed Jenecopiæ. Attamen gravaminum articulos hic concinnarunt, & cum Proceribus ad colloquium profecturis destinant. Velut etiam his comitiis decretum, ut aliquandiu regnum sub Marschalci regimine respiraret, seque colligeret, Regis interim electione prorogata. Unde Archiepiscopo Christophori delignationem urgenti, obluantur Proceres, nec ipsum neque ullum exterorum Principum hoc amplius honore à Sueonibus decorandum asseverantes, & prò dolor, non servantes.

Telgâ verò Marschalcus Stocholmiam profectus, indeque Nycopiam, & colloquii tempore appropinquante, Jenecopiam versus XXI. Octobris, comite itineris Turone fratre, discessit. Atqui prima sub nemore Colmornensi nocte, Turo Stenonis lethali correptus ægritudine, tertia ibidem expiravit, XXII. annum ætatis agens, Carolusque posthabita profectioe cum fraterno Nycopiam mæstissimus remeavit funere.

re. Cæteri ordinum Legati Jenecopiam advenientes, nullam Erici restituendi mentionem ab oratoribus & procuratoribus multimodè inculcatam admittere voluerunt, promulgatis XXVII. prodicionibus capitalibus, & infamibus, ut testatur Lindenbruchius, deque his ad Regem datis literis, omnem ipsi renunciarunt subjectionem.

Huc etiam confluerant non invitati Danorum nuncii Johannes Laxman, Lundensis, Joannes Roschildensis, præsules, Joannes Grim, Claudius Nicolai, Equites, Olaus Axelii & Albertus Mærer, Christophori architrictinus, regnorum unionem & sui candidati admissionem Sueonibus insinuando, hortando, commendando, & culpam violati fœderis, quod Christophorum infæciis Suecis designarint, callidè excusando. Etenim nostris in consilium non adhibitis, Christophorum à Danis Regem deputatum, præter Lindenbruchium, illud manifeste Huitfeldius confitetur in Chronico illius pagina 627. quamquam sui non satis aut veritatis memor, 586. contrariam tueatur sententiam. Et hujusmodi quidem cum creberrimè reperiantur in ipso antilogiæ, & turpissima veritatis naufragia, potiori jure commentarios illius appellaverim Æsopicos & Mesoaliticos, quam ipse folio 509. Johannis Magni Æsopicam vocarit historiam, vacuum flagitiis. Denique idem fæctens crimen suis Erasmus Lætus impingit libro IV. sui poematis.

*Hic sese Sueones multumque Sæpe querantur
Præteritos; cum Margreta nil legibus istud
Congruerit: quod communi suffragia voto
Consent: ac dicti veniant ad calmina reges,
Quos Sueonum Danis electio juncta probarit.*

Quocirca tantam nostratibus injuriam summopere exprobrantibus & exaggerantibus, aliud nihil pro tempore Dani impetrarunt, quam approbationem statuti Calmarnensis anno MCDXXXVII. conditi, expuncta illic Erici restitutione, atque VIII. Calendas Julii anno sequenti, conventus Calmarniæ celebrationem, bonorum utrobique usurpationem, injurarum protelationem ac liberam negotiationem; Quibus die Martis post calendas Novembres constitutis, domum utrinque digrediuntur.

Hujus nemo meminit nostratium scriptorum conventus, præter M. Jacobum Gislonis, qui tamen Norvegis frequentatum quoque fuisse confirmans, hallucinatur. Ericus verò Upsalensis ipsum cum sequentis anni permiscet colloquio; Sed exteri Chronographi Enecopiæ pro Jenecopiæ celebratum memorantes, etiam nonnihil exorbitant. Verum Nicolaus & Boetius Stehonis, finitis Telgæ comitiis ad Ericum denuò in Gotlandiam profugerunt, immemores obligationis & religionis, quorum satellites IX. inde septimanis Ostrogothiam LX. equorum pabulatione, aliæque divexarunt crudeliter contributione. In quos proindè copias suas Marschalcus inniuit, quæ Norcopiam & Sudercopiam inter hostem die reditus de Gotlandia Nicolaum aggressæ, victoriam obtinent, & Nicolao plurimisque sequacium vincula injiciunt. Ille Norcopiam perductus, triduo mæroribus & pestis doloribus expirat. Horum Sudercopiæ IX. capitibus truncatis, rotis palisque affiguntur, promeritam rebellionis & perfidiæ in patriam luentes pœnam, anno MCDXXXIX. 1440.
abeunte, vel MCDXL. ineunte. Tamen priusquam Nicolaus & Boetius Telgæ dimissi, Stegeburgum & Calmarniam Carolo pandere compelluntur, qui hanc Gustavo Caroli sororio, & Birgero Trolle mandat afferendam.

Appetente autem Quadragesimæ jejunió, & anno MCDXL. progrediente, Marschalcus Borcholmium, Oelandiamque Magno Gren, Erici partibus adhærenti subducturus, Calmarniam abiit, illam pridie carnisprivii ut vocant, ingrediens. Cujus adventu Rotenborgius ibidem ægrotans exhilaratus, missis ad ipsum Castellanis, culpam explosionis sub Stegeburgo factæ deprecatur, vindictam fatetur divinam, & venia sceleris impetrata spiritum efflavit. Hæc Laurentius Arosienis, qui porro memorat, Magnum Gren illuc vocatum, Borcholmii postulatam abnuisse deditionem, licet superiori anno fidelitatem obedientiamque Patriæ & Marschalco sancte promisisset. Ea propter milite protinus ipsum, arcemque Carolus circumdedit, & Stocholmiam reperit, illam tribus ante Pascha septimanis attingens. Et rescians Krœpelinurii Abogiæ proximo mensè vivis excessisse, illuc maturat evestigiò abitum, V. Nonas Maji castrum citra molestiam occupando, & simul Kastelholmium in reditu cum Alandia recuperando. Sollennibus Pentecostes feriis Carolus Stocholmiæ comparuit, & mox classe militeque cinctus copiosis Oelandiam properat, suis laturus suppetias, nebulaque divinitus, juxta Laurentium Arosiensem, velut Eneas Carthaginem ingressurus, obtectus & protectus ex structis à Magno Gren insidiis, in portam insulæ Borgensem incolumis defertur.

Exinde hostis gravius pressus, inducias ad IV. Calend. Augusti poscit & obtinet, illo tempore Borcholmium Marschalco traditurus, nisi regiis intereà adjutus foret subsidiis. Sed spe Magnus sua delusus, castrum prodidit Carolo, veniente termino, qui mox Calmarniam pergens obvios habet Lundensem Archiepiscopum, & Claudium Nicolai Rönou sororium. Etenim Marschalcus non ignarus quosdam Sueticorum procerum Christophori studiosos coronandi, conductum Calmarniæ festo D. Johannis cum Danis congressum hæcenus prorogavit. Ideoque Dani moræ impatientes, Marschalcum non acciti hic conveniunt, sibi certo suadentes ipsum consilio Claudii, qui sororem Catharinam habuit conjugem, obtemperaturum, & Christophori suffragaturum inaugurationi. Cujus expugnandi animum, regiminis cupidum, nullas non admovent machinas, nunc mentis, corporisque in Christophoro dotes prædicando, mansuetudine, justitia, clementia, liberalitateque commendatis, nunc Caroli sub ipso conditionem, promotionemque prorsus admirandam memorando, quod ipsi non Regis ast filii loco futurus esset, ab illius nutu in cunctis Reipubl. negotiis administrandis dependens foret; Integro Finlandiæ ducatu gavisurus; Oelandiam & Borcholmium pro XL. millibus marcarum regno defendendo impensarum vice pignoris habiturus; nulli regiminis, censuum actionumve aut injuriarum rationem factururus, ut neque inimicis judicio responsurus. Verum ex his aureis montibus, vix glareæ præstolans Carolus acervos, petitis aures non consensum præbuit, prætexendo absentiam senatus Suetici, & rem tanti momenti ad ordinum frequentiam Arbogiæ circiter Octobris calendæ comparituram, devolvendo.

Hinc Marschalcus Stocholmiam remeat, in via divertens Vastenum, ubi Vestalem ordinis S. Birgittæ octuagenariam, de sua ad thronum Sueciæ sublatione consulens, respondit illo indubiè potiturum. Suetiones autem hac vice Christophorum ipsi præferentes, triplicem à Deo vindictam passuros, annonæ caritatem, belli & pestis sævitiam, tamen illi subrogandum esse Marschalcum. Tum etiam temporis in choro parthenico infantem diadema in capite ipsius conspicatum, inclamasse matrem,

matrem, visumque indigitasse. Hæc refero secutus Laurentium Arosiensem, historiæ Suevicæ patrem, Ericum Upsalensem, Johannem Gothum, & Henricum Mollerum ita modulantem:

*Alluit Ostrogothos vastus lacus amne Vetherus,
 Vernaque contingens prata resolvit aquas;
 Vastenum lacu jacet urbs adjuncta Vethero,
 Inclita reliquias, Diva Birgitta tuis;
 Confitus arboribus variis his germinat hortus
 Quo non in Sveonum clarior orbe viret.
 Hic immaturis auditus vocibus infans
 Dixisse ad matrem talia verba suam:
 Ecce Gubernator Suecorum Carolus ora,
 Id video, auratis fert diademata comis.
 Clausaque virgineo Monialis in ordine, eodem
 Tempore, Cumæi plena furoris erat.
 Carolus hanc adiit, cupidoque interrogat ore,
 Quis Rex, quis Sveonum debeat esse status?
 Ipsa Sibyllina reddens oracula mente
 His aperit, Phæbo plena, futura sonis:
 Te te fata cient, fasces te Carole regni
 Poscunt, te certo sacra corona manet;
 Id non impedient qui rem tenduntque moventque,
 Ut dentur Bojo Suedica sceptrâ Duci Sc.
 Istis auspiciis tantum datur ansa furori,
 Ira Deum in Gothicos quem meditantur agros.*

Aliaque non pauca memorati scriptores circa Carolum recensent prodigia & vaticinia, quæ si veritati conformia, miranda profectò Dei providentia ipsum throno destinavit, atque tantæ ingratum beneficentiæ varia sorte jactavit.

Arbogiam postea ventum est, nostris & iisdem Danorum Legatis qui nuper Calmarniæ Marschalcum convenissent, ubi per utrosque denuò affecuratus de postulatis obtinendis, & à Christophoro roborandis, in ipsius consensit electionem, quam Ordines simul his approbarunt conditionibus: Si juramento, literisque sponderet ex dictamine Legum Suevicarum, & veterum immunitatum se indigenas gubernaturum; Natione Suecos duntaxat in collegium senatorium, & ad provinciarum, arciumque moderationem promoturum; feuda concessurum; illaque omnia de consensu Archiepiscopi, Dapiferi, Legiferi Uplandiæ, & trium adhuc Consiliariorum; Neque ullum beneficio & officio spoliaturum his inconsultis. His etiam procerum senis regnum moriens cum munitionibus resignaturum. In Suecia constitutus, aula, cubiculi & stabuli magistrum, Cancellarium, Architriclinum & pocillatorem, indigenas habiturum, qui advenientem in limitibus regnorum exciperent, deducerent ac reducerent. Censum annuum usitata quantitate & qualitate levaturum, hic consumpturum, non regno emissurum, nisi ex causa in fœderis diplomate comprehensa, residuo in regni commodum

«converso, sub certis rationum magistris dispensando, conservandoque.
 «Thesaurum itidem regni non elatum; monumenta archivi subducta
 «inque Dania vel Norvegia deprehensa, & pariter Gotlandiam restituru-
 «rum. Bohusii Sueones sine vectigalium solutione negotiaturos. Eisdem
 «quidquid ditionum ex Russia trium regnorum armis fuerit subactum pos-
 «sessuros. Reditus à proscriptorum prædijs, hac vigente discordia per-
 «ceptos non refusuros. Captivatis in bello Holsatico & Vandalico, damna
 «compensaturum; Ac denique de vectigalibus & monetæ percussione,
 «adhibito senatus consilio dispositurum.

Hæc Statibus, & illa Marschalco Christophorum suis confirmatu-
 rum literis, commissarii Danorum, Præsul Lundensis & Claudius Ron-
 nou eis dexterisque & scriptis pollicentur. Qui Sueonum ad eundem re-
 gni competitorem, Marschalci que diplomatibus super his, & conventu
 sequenti anno XXIV. Junii Calmarniæ celebrando, ubi Christophorus e-
 tiam compariturus esset, acceptis, Daniam gaudio exilientes repetitive-
 runt, & suos nostratiumque quisque lares adivit proprios. Neque am-
 bigebat ullus de votorum Suecicorum prompta à Christophoro subscri-
 ptione, sed promissorum executionem quilibet prudentium virorum in-
 dubium vocabat, & horum conjecturæ respondebat eventus. Nam Ba-
 varus desiderio Sueonum cognitis, primum Marschalco Halmstadii anno
 1441. MCDXLI. Idibus Januarii congressus, ipsum amicissimè susceptum, lau-
 tissime tractat, in patrem adoptat, sigillis contentat, & amplissimis o-
 neratum promissis dimittit, illum Calmarniæ cæterosque Optimatum fe-
 sto Baptistæ conventurus. Inde autem Hafniam reversus XXV. Martii,
 promptissime liberalissimeque petitis Ordinum Sueticorum quoque suo di-
 plomate suffragatur.

Erat Christophorus de prosapia Sueciæ Daniæque regali propa-
 gatus, utpote Magni II. Sueonum monarchæ atnepos, Erici Ducis tri-
 nepos, Valdemari IV. Danici regis abnepos, Henrici Megapolensium
 Ducis pronepos, Ruberti Cæsaris nepos, & Johannis comitis Palatini ac
 Catharinæ Vartislao VII. Pomeraniæ Duce prognatæ filius. Sed Ericus
 avunculus anno regni XLII. trium regnorum thronis jure meritissimo
 exturbatus, decennio moratur in Gotlandia, Suecos potissimum la-
 trociniis infestans, Christophoro connivente.

Quo motus Carolus sceptrum nactus, piratam de insula expulit,
 Rivoldium à Danis perductum, ubi MCDLIX. in fata concessit, plu-
 rimis infamis criminibus. Ideoque Crantzii demiror impudentiam, quod
 scelus illud clarissimis Romani imperii Cæsaribus conferre non erube-
 scat. Terminò demum invitante, Sueones Calmarniam suscepturi Chri-
 stophorum, & in Sueciam perducturi festinarunt. Atqui Juthiæ tumul-
 tui ille intentus sedando, ubi VIII. idus Junii MDCCC. cecidit indige-
 narum rebellium, nostris per literas insinuat, eapropter ante XV. Au-
 gusti diem illic non compariturum. Quamobrem rediit Stocholmiam
 Marschalco, regio illuc adventui necessaria provisorius, cæteris Optima-
 tum Calmarniæ Regem præstolantibus, & VI. Idus Septembris adveni-
 entem magnificè suscipientibus, perque mare Stocholmiam versus dedu-
 centibus. Cui non minori apparatu in Herestechio Marschalco occurrit,
 & ad insulam urbi propinquam amœnitatem mirandam perducit. Undè post
 biduum suburbio applicantem cum splendida inducit processione, & post
 aliquot dierum spacium educit Upsaliam. Quem pro veteri laudabilique
 consuetudine in saxo primum Morensi collocatum, Ordines Sueciæ Go-
 thiæque Idibus Septembris regem salutant, deinde Upsaliam comitatum
 postri-

postridie aureo redimunt diademate, qui LXX. de Suecis, Danis & Germanis cingulo donavit militari, quorum agmine id honoris primum contulit Marschalco. Quem inter & Archiepiscopum hic & Stocholmiam ingressus ac regressus, incedens medius, subaudivit populi voces Carolum elegantia corporis, & sermonis eloquentia magis conspicuum sibi præferentis, sceptroque digniorem submurmurantis, ac tacite excanduit.

Illud vero plebis suffragium die quodam in templum procedendo exprobranti, & latus stipare vetanti, respondit vulgi opiniones fatui perfimiles sermonibus contemnendas, seque corporis dotibus longe ipso inferiorem, hominum sententia discretorum reputandum. Attamen efficere Carolus non potuit, quin exinde invidia & indignatio hærent Christophori animo, postea occasionem ipsum perdendi sedulo captantis. Enimvero Rege instigante, mox adversarii litem moverunt, & præsertim Christiernus Nicolai suæ captivationis cupidus vindicandæ, ipsi oblectatur. Atqui Carolus suæ diffidens causæ, & hostium formidans potentiam, iudicio noluit decertare, & regium obtendit diploma, quo administratæ Reipublicæ spondit Christophorus, ipsum rationem nemini redditurum, & tamen insidias difficulter hostium evasit. Diffimulans autem Marschalco se intelligere Regis machinatione tantas persequutionum procellas suo capiti incumbere, illum ad suscipiendam de fonte sacro filiam, cum sectatoribus universis in prædium Suartesiö invitatum, splendido excepit symposio.

Deinde Christophori efferatum magis placaturus animum, V. Calendas Novembris acropolim ipsi Stocholmensem consignat, cum præpinguibus centum bobus & ducentis ovibus, milleque pro comparatione piscium atque aromatum marcis Suecanis. Sed spes Carolum fefellit, cum nihilominus mandato Regis Dapifero Raseburgum & Bothniam tradere compelleretur, Calendis Maji MCDXLII. primò Viburgum habiturus. Idcirco Bavari perfidiam & æmulum invidiam censuit quanto magis declinandam, & suppellectili navibus subito imposita, exeunte Octobri, Finlandiæ proram obvertit, IV Idus Novembris Abogiam appellens, Deoque conservatori plurimum gratulans.

Demum anno MCDXLII. appetente, Christophorus Sueciæ Gothiæque pro veteri consuetudine perlustrationi se accinxit, ubique Carolum infamans, obloquentes patulis auribus auscultans, & querelas coercans. 1442.

Quibus se permotum obtendens, Carolum citat Stocholmiam, illic sub gratiæ regiæ amissione primo vere compariturum, & hostium gravaminibus responsurum. Sed aditum prorsus abnuit, nisi obsidibus & literis à Christophoro primum esset assecuratus. Interim terminò imminente, Viburgum frustra sibi à Dapifero flagitat resignandum. Is namque XXIX. Aprilis ibidem de vita migrans, severe inhihet præsidio castrum Marschalco dedere. Christophorus vero formidans rebellionem à Carolo in sua restaurandam absentia, Abogiam missò Alberto Mœrer, consiliario intimo, amicissime ipsum Stocholmiam invitat, & literis firmissimè reddit securum.

Hinc vere ineunte cum X. navium classe & D. armatis Regem Carolus invisit, reliquos hostium modicè pertimescens, Christierno sublato, immò tot stipatus viris fortissimis, neque Christophorum magnopere perhorrescens. Qui potius Caroli adventu percussus, familiarissimo illum excepit colloquio, favorem & amorem liberaliter pollicendo. Attamen paucis post horis in frequenti Suecorum, Danorum & Nori-

Noricorum confessu, Abogiam, Tavastaburgum, Olandiam & Suartefiogum reposcit, adversariisque illum nomine detrimentorum compellandi fecit potestatem. Sed regiam appellans fidem, & identidem ad promissa literis firmata provocans, ægre quidem iudicium evadit. Verum Abogiæ cogitur annuere resignationi, quam potitus Viburgo executurus esset. Proinde his denuo perfunctus discriminibus, cum literis ad præsidium Viburgense regiis in Finlandiam festinavit, quarum vigore castrum nactus restituit Abogiam, seque Viburgi tantopere obfirmat, ut Regis imposterum contemneret molitiones.

Huitfeldius in chronico memorat Christierni I. tertiam unionis subscriptionem hoc tempore à Proceribus trium regnorum Stocholmiæ impetratam. Præfatio autem Legibus præfixa Suecorum, affirmat Christophorum easdem plurimum à jurisperitis limatas VI. Nonas Maji suo confirmasse diplomate.

1443. His omnibus transactis, Archiepiscopo & quatuor Optimatum regni moderationem mandat, quos inter Benedictus Joannis de Salestad, & Nicolaus Joannis à Diursholm, fratres, ac Equites torquati, Carolique hostes conjurati, & ita Ludosiam properat, ubi à Norvegis exceptus deducitur Aslogiam, & diademate cingitur. Tandem in Daniam, anno propemodum circumacto, regressus, Calendis Januariis, MCDXLIII. Ripæ insignia quoque regalia capessit, hætenus eapropter prorogata, quod non nisi acceptis Sueciæ & Norvegiæ fascibus, Daniæ axioma captare decrevisset, alias forsitan repudiandum.

Itaque trium regnorum potens factus Christophorus, cœpit moliri vindictam in civitates Vandalias, toties impugnatae & expugnatae Daniæ. Ac potissimum Lubecensibus insensus, dolo urbem subjugare attemptavit, quem Brandus Slavorum & Ericus Suecorum historici prolixè detexerunt, adeò ut Crantzii & Huitfeldii excusatio illum frustra nitatur amplius occultare. Verum spe sua fraudeque Rex frustratus, cum ignominia repetit Scandiam, mox quendam M. Johannem ad Baltasarum Soldanum Turcorum destinans Imperatorem Legatum, fortè contra potentiam Vandalicam consilium & auxilium illic impetraturum. Sequenti autem anno cum munere & literis, nostro Genealogiarum Theatro insertis, remeavit, quibus Christophoro etiam filiam Xerxinam defert uxorem, ad Moschoviæ limites propediem à parente adducendam.

Sed MCDXLIII. pridie Idus Octobris, Hafnensibus & Helsingburgensibus municipale dederat jus, nuncupatum Byrcense, quod leges civitatum borealium ex vetustissimo Suecorum emporio Byrca sint propagatae, prout jus nauticum de Visby postmodum est seminatum. Codicem quoque Legum in Suecia municipalium hodiernum verisimile Christophori auspicio magnoperè auctum fuisse.

Sed quando Christophorus his domi fideliter invigilat, foris in mari Baltico Ericus avunculus deprædandis Sueonibus non indormit, captos vita bonisque crudelissime spolians, & Danis, teste Lindenbruchio, parcens. Qui etiam non obscure insinuat, Danorum consensu, nè Sueonibus jugum excutiendi facultas daretur, hanc piraticam in ipsos præsertim exercuisse. Quæ fraus, immò scelus, an synceris competat cond ceatque fœderum fociis, cordato æstimandum permitto lectori.

Atque infamis ille pirata, quadam vice VII. Stocholmensium naves, permagni precii oneratas mercibus interceptit, quas bonis vacuas myoparones effecit, & classiarios carcere, fame, equuleis, crucibus, aliisque, velut alter Phalaris, confecit. De his verò querentes apud Christophorum detrimentis, ludibrio excepit, respondens avunculum

lum in scopulis hærentem, sine alimento vitam illic ducere nequam posse, quæ alia non impetrans via, hac captaret.

Proinde illa vacuus sollicitudine, aliam de conjugè ducenda lubens amplectitur, & Cæsaris Turcici, qua de causa ignoro, filia posthabita, Dorotheam Johanne Brandenburgensium natam Marchione, sponsam delegit, nuptias Hafniæ Septembri mense anno MCDXLV. peragendo. Hic Bavaris primus honoris & sessionis, reliquis Germanorum secundus, Danis proximus, & postremus januæque vicinus Suecis & Norvegis deferebatur gradus. Quibus etiam triduo expleto, nullus impertiebatur victus, licet ex Suecia & Norvegia illuc potissima fuerint victualia destinata, quas ingenti contributione imposita, reliquas quoque nuptiarum impensas, Rex compulit numerare.

1445.

Neque solum inde Sueones & Norvegi exasperati, sed etiam quod nimium consilio Bavarorum uteretur, indigenarum contempto, qui istorum auxilio preciosis muneribus comparato, votorum quorumlibet compotes evadere tenebantur. Quorum præterea suasu Christophorus pro singulis feudorum diplomatibus XX. Anglicæ monetæ nobulos à Sueonibus solummodo extorsit, quorum ipsi cessit dimidium & cancellario residuum populari. Attamen feudo vix licuit subindè hebdomadibus aliquot frui, antequam competitori auri tantum numeranti conferretur. Hinc exteris ipsis & incolis contigit non solum inopia, verum etiam capitalis de feudorum subtractione corrixatio, digladiatioque, Rege cum sequacibus insaniam nostratium affatim subsannante.

Quamobrem his, aliisque Sueones & Norvegi causis permoti, Danis etiam ad suas accedentibus partes, finita nuptiarum festivitate, graviter cum Rege harum gratia injuriarum expostrarunt, & Bavarorum ex Scandia dimissionem importunè flagitarunt. Ac quamquam diu multumque Proceribus oblectatus, tamen votis illorum tandem respondere compellitur, Bavaros magnifice donatos in patriam expediens, & tacite indigenis hoc nomine ac præcipuè Sueonibus succensens; Atqui Dorotheæ provitalitiis seu anaphernalibus bonis ex Suecia cessit, Ordinum consensu, Oerebrogia cum Neritia & Vermelandia.

Has autem provincias ipsa post mariti obitum de Scandia migrante, persolutis XV. millibus aureorum, redimere Sueci tenebantur. Indeque gravibus ab illa nostri postmodum molestiis affecti, quemadmodum sequens historiæ testabitur procurfus.

Anno MCDXLVI. adveniente, Christophorus novâ sociatus nupta, Sueciam ingreditur, indigenis minus longè quam Crantzius in sua comminiscitur Dania gratus accedens. Siquidem populum sævissima presserat aliquot annis caritas annonæ, & tamen qualibet ab incolis nocte DC. propemodum modios hordei pro solo equorum pabulo extorsit, præter alia proprio necessaria victui tributa. Itaque homines arborum victitabant corticibus, & jumentis cessit frumentum, quod indignum facinus ipsi cognomen de corticum indidit esu, apud sequentem perseverans posteritatem, in dedecus inhumanissimi Regis sempiternum.

1446.

Deinde præsentibus Sueones denuò monent Christophoro querelam, de avunculo regnum quotidie latrociniis infestante, qui etiam nuper Trosensi flammam subdidisset oppido, & quosdam Optimatum captivos abduxisset. Unde consensit animo fucato in piratæ profligationem, mandans impensas, militem & classem apparari, atque literis Marschalcum de Finlandia cum suo militiæ insigni apparatu advocans. Qui vadibus acceptis multa Stocholmiam potentia magnificentiaque appellit, comiter à

Christophoro & consorte genialiterque exceptus aliquoties, vicissim utrosque & comites splendido exhilaravit convivio, plurimisque decedibus pellium nobilissimarum donavit.

Indè apparatur expeditio in Gotlandiam, & Sueones armis virisque classem onerant. Christophorus regni censibus in auro & argento levatis aliquoties, iis suam stipat navem, quos Crantzius centum, aut Chronicon vetus Lubecensium CD. florenorum æstimat millibus; Huitfeldius vero inferiores multo existimat, sola fretus conjectura, & tantos regni proventus existere dissimulans. Verum quandoquidem rationum Sueticarum codicibus inconsultis illud memoret, potius Brandii vel Crantzii approbamus calculos, illa scribentium historiam tempestate.

Pergunt denique Christophorus & Sueones infesta versus Gotlandiam classe, quorum Ericus cognoscens adventum, Regis expetiit obtinetque colloquium, arbitris contra nostratium voluntatem remotis aliquandiu habitum. Sed quid illo concluderint soliloquio, continuata deinceps in Suecos atrocina palam manifestarunt, licet nostris Christophorus fucum facturus & tantisper illusurus, ipsis ab avunculo pacis impetrarit libellos.

Ast scrutans intima cordis penetralia Deus, perfidiam Christophori Daniam versus hinc navigantis, pro merito multavit naufragio, quo navis thesaurum vehens, fluctibus absorpta, & ipse nudus prope modum in littus projectus est. Ita mæstissimum Stenholmium properat, & indè Calmarniam, ubi convenit uxorem, cumque illa remeat in Daniam.

Marschaleus autem prospere Stocholmiam relatus, Septembri mense Christinam filiam Erico Gyllensternorum parenti desponsavit, solennibus nuptiarum in prædio Suartesiö celebratis.

1447. Quo tempore quidam ordinis Minorum sectator, prophetiæ dono Stocholmiæ famosus, Carolo regios ante sequens evolutum triennium honores vaticinatur impertiendos, & Christophorum amplius in Suecia non visendum. Qui damnum naufragio perceptum compensaturus, frequentissimam de tribus regnis producit in Anglos & Hollandos classem, illos in freto Cymbrico invadens anno MCDXLVII. ac mercibus spolians. Quibus plerasque Hafniæ domos, velut etiam censibus circum Idus Septembris, illuc ex Sueonia in belli usum perlatis, complevit. Quæ autem dissensionis fuerint causæ, nemo historicorum suggerit, quem hæcenus ego conspexeram.

1448. Denique Christophorus anno exeunte comitia Jenecopiæ frequentanda, Idibus Januarii MCDXLVIII. promulgavit. Ubi quosdam Optimatum Suecicorum, suis minus promptè obtemperantes molitionibus, decreverat trucidandos. Quò tamen sceleris ignari, & nullius sibi facinoris conscii alacres confluunt Sueones, interea VI. Januarii, Deo insonantem patrono, Helsingburgi Christophorum scelus spirantem in fata præcipitante. Qui proximus morti sceleris concepti pœnitens, nostratibus insignis munus legavit, quod tamen Dani sapius postulatum, cum immenso de Scandia congregato thesauro in usum belli urbibus Vandalicis inferendi, preciosa Regis suppellectili, equis, armis & classe Sueonum instructissima retinuerunt. Idque Laurentius Neritius, & Albertus Crantzius libro VIII. suæ Daniæ, contestantur. Mense verò Augusti sepulchro Christophorus Roschildiæ commendatur, nullis superstibus liberis, quem Laurentius Arosiensis staturæ mediocris, obæsi corporis, præfervidi animi, petulantis ingenii, libidini mancipatum, lusui & poculis in altam

noctem deditum, contentions inter homines conflandæ studiosissimum, affirmat extitisse. Verum chronographi Danorum hoc veritatis testimonium præbuerunt, excepto ipso Erasmo Læto, qui libro IV. Margaretorum hac cecinit de illo ratione:

Dii quanta trophæis

Commoda, & in quantos pomæria tendere fines

Posset, consiliis si non corruptus avitos

Exueret mores, ingrataque multa secutus

Contrahat infandum petulanti crimine nomen.

Tempestat denique horrenda, quæ Sueciam Daniamque die obeuntis Christophori pervasit, tures & sylvas sternens, tecta ædium saxaque ingentia per auras transvectans, Historicis silentibus hanc facile controversiam dirimit, multique obnoxium sceleris arguit. Nec etiam una scriptorum sententia de Regis emortuali die, quibusdam Nonis Januarii, reliquis VIII Idus Januarii, mortuum contendit. Sed Huitfeldius utrumque affirmat, asserens Christophorum in profesto Epiphaniæ & VIII Idus Januarii, mundo sublato, quod paradoxo simile, cum nulli hominum magis, quam una contingat mors. Ideoque in negotio incerto nihil certi statuere audens, saltem magis propendeo in sententiam omnium nostratum, festo trium Regum, videlicet VIII Idus Januarii, Christophori obitu diem esse funestatum.

Arqui MCDXLVII. non isto anno nobilissimum Upsaliæ templum, unaque civitatis portio triduo conflagravit, Qua etiam clade Stocholmiæ non modicum, anno MCDXLV. cumulatum. Proceres verò Sueonum Jencopiæ cognito Christophori obitu, regni gubernaculum Benedicto & Nicolao Joannis fratribus committunt, interea moderandum, donec novi esset regis transacta designatio. Quibus etiam Christophorus regno excedens, & Nicolao Upsalensium præfulti, regimen consueverat deputare. Deinde Senatus Danici mox literis, non post Christophori sepulturam, ut falso censet Huitfeldius, invitati ad celebrandum Halmstadii de Rege subrogando colloquium, respondent hac super re citra omnium Ordinum nihil concludendum sententiam, quibus solenni corporis Christi festo Stocholmiam ad comitia confluentibus publicata, negotium inprimis proponendum, & inde Danis Norvegisque decretum suggerendum esse.

1447

Quo tempore Marschalcus etiam de Finlandia illuc accessurus, à cuius suffragio potissimum dependeret Regis appellatio. Illumque ea propter de Christophori transitu, & conventus publicatione certiore protinus Consilarii reddiderunt. Interea XVII Februarii humanis excessit Nicolaus Archiepiscopus, & M. Joannes Benedicti gubernatoris filius in cathedram subrogatur Upsalensem. Qua honoris accessione, illa in regio familia excellentior evasit, & infensior, præsertim Marschalco, qui cum prioribus frequenter disceptaverat, & nunc minus sollicitus erat. Atque horum privata contentio regnum Sueciæ publica sæpius oneravit calamitate, prout testimonio sequentis conspicuum historia.

Carolus interim æmulorum non multum reformidans potentiam, divitiarum abundantia & militum frequentia, prope solennia Pentecostes Viburgo Stocholmiam versus cum DCCC velificat armatis. Quamque die . . . Christi magnifice ingressus, primarias occupat civium ædes, militeque obfirmat, acropolin tenentibus Gubernatoribus Benedicto & Nicolao, filiisque. Inde convocati Suetici regni ordines Stocholmiam confluunt, quorum aliqui pro Gubernatoribus & Archiepiscopo novo

consentientes, Regis designationem ad conventum Halmitadi trium regnorum suadent differendam, reliquis, & præcipuè plebecula Marschalco suffragantibus, illam extemplo maturandam contendenti. Nam gravissimis productis rationum momentis, demonstrat fœderis Danos sapius conditiones transgressos, & illud in extremam sensim Sueciam Norvegiamque protrudere calamitatem, ast Daniam ad summam provehere felicitatem. Hinc pars adversa argumentis superata, Marschalco consentit, & literis affeclurata ex castro in ædes D. Gertrudis procedit, præter Archipræsulem, qui Carolo insalutato indignabundus Upsaliam rediit, electionis præstolaturus eventum. Residui verò Procerum in frequentia Statuum loco præfato congregati, ternos designant candidatos, quorum primus erat Carolus Canuti Sueciæ Marschalcus, & reliqui duo vel Benedictus & Nicolaus, fratres, vel Ericus & Christiernus horum filii, qui extiterant throni competitores.

Nec enim Hermanni Schedels approbo sententiam, qui sua mundi Epitome asserit Canutum Marschalci germanum, de corona cum ipso concertasse. Quandoquidem Carolus hoc nomine fratrem non habuerit, & Laurentius Arosiensis indigena historicus solummodò duos memoratos adjungat Carolo competitores. Itaque suffragiis à Præsulum binis & totidem Equitum jurejurando obstrictis quantocius cumulatis, LXIII Marschalco, & cæteris V duntaxat vota obtigerunt. Indè Carolum sollenniter regem salutatum, in Ecclesiam perducunt Ordines, finitoque doxalugio in arcem ipsum comitantur.

Hæc contigit Regis designatio XX Junii, quam Ericus Stregensium antistes Carolo impensè favens, & æmulis vehementer obsistens, potissimum procuravit. Quam inaudiens Archipræsul, suafuque Collegii Canonici impulsus, Stocholmiam rediit, illam approbat, Carolo fidelitatis sacramenta præstat, à quo Oelandiam & Norrundiam in feudum adipiscitur. Deinde poperant unà Upsaliam, Regem pro more prisco in Morensi prato IV. Calendis Julii constituentes, & sequenti die Apostolis Petro & Paulo sollenni diademate redimentes. Procerum vero XXXIII, cingulo donavit equestri, & triduo post Archiepiscopus consecrationis munere percepto, Catharinam uxorem Caroli decoravit corona. Oriundus erat Carolus de nobilissima Sueciæ prosapia & illustrissima veterum progenie Regum, etiam apud Danos & Norvegos olim dominantium. Siquidem atnepos fuerit Erici III. Suecorum Gothorumque monarchæ, atque Rechissæ Valdemaro I. Danorum rege factæ, quemadmodum Nobilitatis Suecanæ liquidò comprobatur Theatrum. Quod proinde Crantzius manifestari arguit mendacii, qui Carolum infimæ nobilitatis gradu comminiscitur propagatum.

Ipsi coronationis autem festivitati sumptus impendit omnes Carolus, toti regno contributionibus impositis, qua transacta Stocholmiam reversus, Danis suam per literas insinuat coronationem, & classem, regni thesaurum armaque hinc nullo jure in Daniam expedita serio reposcit; tum etiam Norvegos suæ facit certiores electionis, eosque amicissimè ad fœdus cum Sueonibus pangendum, & firmiter servandum, sanguine Noricorum regio progenitum se demonstrans. Deinceps perpendens Carolus Suetici juris Insulam sub Erico Pomerano, cum prægrandi Sueonum detrimento possideri, quos inde quotidianis infestaret excursionibus, illuc evestigio direxit exercitum, Magno Gren cum Birgero Trolle demandatum. Cujus Dani cognoscentes apparationem, & quorsum destinandus ignorantes, magnopere verebantur, nè suo immitteretur regno classem & thesaurum repetiturus.

Atqui

Atqui Gotlandiæ deputatum recuperationi audientes, metu liberati sunt, ubique de Rege patriæ defensore provisuri, axioma deferunt inprimis Adolpho, Holfatorum comiti; Quod ille senio præpeditus recusat, suadens Christierni Oldenburgenfium comitis, sua geniti sorore designationem. Cui morem Dani gerunt Christiernum, calendis Septembris anno MCDXLVIII Haderslebæ in regem auctorando, sequenti anno coronatum.

Interim Carolus in Oelandiam concessit, & copiarum Suecorum in Flensvicensem delatæ apud Gotlandos portum, obviam habent Erici cohortem, qua facili negotio repulsâ, urbem cingunt arcta obsidione. Illam Dani comperientes, simulque ab Erico in subsidium sollicitati, ipsis deditioem urbis & arcis spondenti, Carolum in Oelandia compellant, & evocando inde Suecorum exercitu, non erubescens prætere insulam Danicæ jurisdictionis illam existere; Sed rationibus Caroli confusi discedunt, navalem etiam expedituri exercitum. Nostri verò Erici cum Dano subodorantes conspersionem, urbis expugnationi majorem impendunt sedulitatem, & pridie Nonarum Decembris illam occuparunt, præsidio Erici in arcem compulsi; Quam dubio procul simul invasissent, si rebus suis fidelius invigilassent. Demum bruma imminente classis Danorum eò properat, & tribus tempestate amissis navibus, atque D. classariis, Insulæ appropinquat, urbisque inaudiens expugnationem, remeat in Daniam, & Carolus ex Oelandia in Sueciam. Quam pro consuetudine per sequentem lustravit hyemem, acceptat, præstatque subditis populis juramenta.

Quo tempore prohibitorum consuetas Danorum in Vestrogothiam irruptiones, illic limitaneas V partim restauravit partim de novo fundavit arces, nimirum Schageholmium, Romblaburgum, Oerestenum, Kynnaholmium & Echolmium.

Prius tamen de Gotlandia Magnum Gren revocavit, & quosdam procerum alios, totum belli negotium Trollio demandans. Quem Pomeranus tanta victualium laborans penuria, ut LX cum suis jam manducavit equos, muneribus & blanditiis aggressus, impetrat illius colloquium, in quo simulat deditioem castri, modo Oelandiam & Borcholmium quoad viveret consequeretur.

Hac verò per hyemem durante difficultate
 ma nostratum quiescunt, dolis
 quibus alias non difficulter
 tum Carolo suggeritur, & Ericus
 avertit inopiam. Et quamquam
 Sueciæ hanc propter transactionem
 citra illam castro potiri licuisset
 insidias, illi præbuit
 nulla stipatum cohorte destinat, Oelandiam
 tem, quam Visburgo dedito habiturus esset. Sed responsa
 prorogat, indies Danorum præstolans subsidium, qui cum exercitu mediocri,
 Olao Axelii antesignano, propè sollemnia Paschæ Visburgum accedunt, E-
 ricum inde deducunt, & arcem præsidio firmant. Nostri verò hærent att
 . . . dem demirantur, & grandioribus destituti navibus, vindictam
 de perfidissimo hoste sumere non permittuntur. Illa vero conditione
 Danis Visburgum prodidit Ericus, quod nisi Nycopiam Falstria, Ra-
 vensburgum & Aleholmium cum Lalandia vicissim nancisceretur, illud sibi
 resignarent. Sed non modo non steterunt Dani pactis, verum etiam partem
 divitiarum, quas Ericus secum vehebat ingentes, illi auferunt, residuum e-
 tiam ablaturi, & ipsum in Daniam captivum abducturi, nisi præsubita in Pome-
 rani-

raniam navigatione sibi consulisset. Ita Ryvoldium incolumis pervenit, amissis duntaxat binis navibus, ubi consensens in fata concessit.

Neque Huitfeldii satisfacit patrocinatio, qua Danorum probare nititur cum assensu Ericum in Pomeraniam navigasse. Merito autem delusus Ericus à Danis, quibus maluit castrum quam Sueonibus tradendum, & Borcholmium deferentibus assignare. Nec penitus Danorum veritati consentit assertio, culpam amissi

Carolo imputantium, quasi Erico inde abitum vetuisset impertiendum, & res ad Oelandiæ suscipiendam consignarum Ericum Erici captivasset. Siquidem Cancellarii literis & juramentis tantopere no dolos . . . aret ut dedito Visburgo, nisi Borcholmio potiretur, infulaque pericula illius subirent. Quorum . . . mo syncerum pectus delusit hominum ille perfidissimus, qui cum Danis tacite collusit, dignam fraudis ipsi mercedem referentibus.

Albertus Crantzius asseverat, ea propter Christiernum Gotlandiam Suetici juris ditionem sibi tantopere conatum subdere, ut Sueciam vellitatem recuperaret amissam. Carolus interea certior factus de Visburgi prodicione, Christierno Calendis Juliis per literas iteratum declarat, Magistro Crucigerorum Prutenicorum & Lubecensibus, aliisque Vandalorum civibus tradere Visbyensem urbem insulamque, & coram ipsis de Gotlandiæ jurisdictione cum illo disceptare, modò & ipsemet Visburgum iisdem consignet, qui plenam habituri potestatem utrumque victori deinceps imperari. Immo de quibuscunque utrinque controversiis in confesso eorundem cum Danis se propediem velle decertare significat, & responsum flagitanti captat occasionem illudendi.

Ideo . . . cipis Adolphi avunculi Christiern perat, & præmissis cum nonn pertrahendum in fraudem Sueon lente prosequitur, mense Julio Olaus, fallendi artifex egregius. J teris extemplo accersit, quind transf . . . t quodd cis fest . XII d . . . utroque proceres lite surg . . . is civitatem, non Dani solum arcem habituri forent, fruituri.

Hæc præfata, . . . riis place die Veneris festivitatem Olaus cum suis ad castrum procedit, plur connivente, verum reliquis su . . . perfidiam detestantibus. His cum Olao pactis, venerunt Henricus Barbech, Folcho Knoge, Folcho f . . . Torchiel Rudh, Fridericus Barbech, Equites, Hart . . . Claudius Henrici & Benedictus Krabbe, nobiles germani. Deinde expedito celoce, significat Christierno rei successum, & mandat actutum adpropinquare, habiturus accessum. Quomodo circa Visburgum Christ . . . restitutum cui Magnus Gren XXVIII, clam sacramento fidelitatis obstringit, & missis Equitum binis ad Sueones in urbem post biduum, pactis cum Olao initis se adhæsurum pollicetur. Atqui nec dum in castrum reversi, cum reliqui Danorum mandato Regis flammam injiciunt civitati, & nostros plenam signis invadunt.

